

Handwritten text, possibly a title or name, written vertically in a stylized, cursive script. The text is partially obscured by a large, irregular tear in the paper at the top.

A  
40-81




27.a 6

6



A  
40  
84

T  
I  
T  
R  
ot  
R  
a. I  
am  
  
  
I,  
O  
V  
A.





PROGYMNAS-  
MATVM LATINITA-  
TIS, SIVE DIALOGORVM  
VOLVMEN SECVNDVM.

CVBICVLVM.

---

PROGYMNASMA,  
SIVE DIALOGVS  
PRIMVS.

*Cubitum discessuri.*

PAEDAGOGVS, LVCIOLVS, & AMANDVS  
pueri, PATER, MATER.



PAEDAGOGVS. Heus pueri, iam  
tatis superque lusum est à cœna,  
quantum videlicet nunquam ante-  
hac. Dormitum censeo aliquando  
discedamus, quandoquidem istuc  
hora nos admonuit. L. Hora? numerastin', Amā-  
de, octauam? A. Ego verò numeravi, ac pridem.  
L. Cur tu reticebas? A. Quia iuuabat ludendo  
tempus extrahere, & alienas partes atq; munus

A

I N D E X.  
FIDES ET PIETAS CATHOLICORVM.

91.	Catechismus.	464
92.	Sacra conciones.	466
93.	Missæ sacrificium, & instrumentum sacrum.	472
94.	Piacularis confessio.	481
95.	Sacratissima Eucharistia.	486
96.	Ieiunia.	493
97.	Religiõsi. seu vita monastica.	497
98.	Templorum constructio & ornatus.	503
99.	Indulgentiæ, bona opera, Christi Vicarius, cultus & imploratio sanctorum, & alia demum.	508
100.	Veneratio, & laudes Dei matris.	514

PRO



I (2)

PROGYMNAS-  
MATVM LATINITA-  
TIS, SIVE DIALOGORVM  
VOLVMEN SECVNDVM.

CVBICVLVM.

---

PROGYMNASMA,  
SIVE DIALOGVS  
PRIMVS.

*Cubitum discessuri.*

PÆDAGOGVS, LVCIO LVS, & AMANDVS  
pueri, PATER, MATER.

**P**ÆDAGOGVS. Heus pueri, iam  
satis superque lusum est à cœna,  
quantum videlicet nunquam ante-  
hac. Dormitum censeo aliquando  
discedamus, quandoquidem istuc  
hora nos admonuit. L. Hora? numerastin', Amã-  
de, octauam? A. Ego verò numeravi, ac pridem.  
L. Cur tu reticebas? A. Quia iuuabat ludendo  
tempus extrahere, & alienas partes atq; munus

A



arrogare mihi nolebam. L. Astutè. P. Amande,  
 Amande, quid verbi ego ex te audio? A. Habes  
 causas. P. Quæ isthæc religio in te incessit? Tibi  
 edico, in posterum pace mea arroges licet, & si-  
 mul octauam pomeridianã audieris, mihi aurem  
 vellas. A. Si ita vis. P. Nèpe ita volo. L. Necdum  
 est cupido somni: ne prohibe nos, amabo, adhuc  
 aliquãtis per hac tam bella & optata lusione cõ-  
 tendere; paululo cõtenti erimus. P. Arcessit vos  
 somnus, qui quàm mox cubilia vestra ascēderi-  
 tis, tam mox utrũq; cõplectetur; etenim puero-  
 rum est amãtissimus. Estne aliter ac dixi? A. Haud  
 aliter. P. Ite præ. L. Ecce imus. P. Cæterùm ante-  
 quam in cubiculum nos abdamus, parçtibus pro  
 consuetudine dicenda est salus, porrigendaque  
 prius osculata manus dextera, poplitibus modice  
 curuatis, id quod boni liberalèsque pueruli  
 factitare consueuerunt, & ego vos sic institui.  
 A. Adeamus igitur ad eos festinatò. Pater mi chris-  
 tissime, & tu mater suauissima bene valete in  
 hanc noctem; nos ad quietem capeffendam pro-  
 ficiscimur. L. Saluus esto in crastinũ pater, saluus  
 esto mater. PAT. Quid? sopor ocellos vestros ob-  
 tegere properat? vtinam quiescatis ambo tran-  
 quillissimè vsque in lucem. Veruntamè non vs-  
 que adeo in multam lucem. Septè horæ vel pue-  
 ris putantur sufficere. Nihilominus ego vobis  
 octauam quoque, & aliquid etiam vltra indulse-  
 rim. A. Istuc tibi est in manu, pater. M. Dominus  
 IESVS vigilantes vos iuxta atque somno cõso-  
 pitos ab omni malo periculòque semper custo-  
 diat, filioli mei. P. Spero equidem hanc noctem  
 euenturam nobis ex sententia.

## ANNOTATIONES.

**P**ADAGOGVS) De Padagogo deligendo Plu-  
tarch. de educad. lib. Quintil. li. 1. c. 1. Maphaus lib.  
2. c. 4. DORMITVM DISCEDAMVS) Cicero,  
dormitum se conferre. epist. 26. lib. 9. cubitum discedere.  
in somnio Scip. cubitum ire. 2. de Diuinat. & Cato de  
re Rust. somno se dare. 1. Tuscul. quiet. se tradere, profi-  
cisci ad somnum, ad quietē ire. 1. de Diuinat. In eodem  
lib. Accius poeta vetus.

Cum iam quieti corpus nocturno impetu

Dedi, sopore placans artus languidos.

Plautus, dormitum abire Pseud. dare operam somno, ibi-  
dem. Lecto se commendare Persa. Horatius, dormitum  
ire. Sat. 5. lib. 1. & Plaut. Mostell. Lucretius, corpus ses-  
sum mandare quieti, lib. 4. Ouid. dare corpora somno. 2.  
& 4. Fast. Horat. dare membra sopori, Sat. 2. lib. 2. Virg.  
eclog. 1. somnū inire. C V R RETICEBAS? ) Dona-  
tus in Eunuch. ibi, Virgo conscissa veste lacrumans obli-  
cet. Tacemus cōsilia, reticemus dolores, oblicemus quo-  
rum nos pudet. RELIGIO IN TE INCESSIT)  
sic Terent. Andr. Nomen hoc creberrimē capitur pro  
eo, quod aliās scrupulus, & quod vulgus dicit, cōscien-  
tia scrupulus: pro metu scilicet peccati in re quapiā aut  
admissi, aut admittēdi. Ex quo illa tam multa & varia  
loquendi genera apud Ciceronē, Liuiū, Cesarem aliosq;  
manarūt. Religionē deponere, suscipere. Hac res mihi in  
religionem venit. Hæret in Rep. religio. Religionem of-  
ferre, afferre, iniicere alicui, pro, facere alicui scrupu-  
lum. Item adhibere religionem, in religionē vertere, tra-  
here. Implicare se religione, aut implicari religionibus,  
obstringi, obligari. Impediri, tangi religione, habere reli-  
gioni. Hæc, & si qua sunt similia, planum est quid va-

leant. Legimus etiam, religio est, pro, nefas est, non licet: & cum dandi casu, religio mihi est hoc affirmare. Barbari, ego haberem magnum scrupulum, ego facerem mihi conscientiam de hoc. Iam illa quoque optimorum auctorum sunt, solvere, exsolvere, liberare aliquem religione, eximere, eripere alicui religionem. Latinum est & scrupulus, sed loquendi rationes observanda sunt. Terent. Adelp. Inieci scrupulum homini. Cic. pro Sex. Roscio. Hunc sibi ex animo scrupulum, qui se dies noctesque stimulat ac pungit, ut euellatis postulat. Ceterum de significatione huius vocabuli quadam *Σκ* ἀπεσθ' ἰόντω & Nannius Miscell. lib. 1. PACE MEA ) Pace tua, pace vestra, bona venia, bona cum venia tua, vestra, modi sunt loquendi ad captandam audientium benevolentiam, vitandamque eorum quae proferenda sunt offensionem. Cic. pro Sex. Ros. Vos oro atque obsecro Iudices, ut attentè, bonaque cum venia verba mea audiatis. Et 1. de Nat. Deor. Doleo ut (bona venia me audies) in tam leues, ne dicam ineptas sententias incidisse. Ibid. ex Q. Catulo.

Pace mihi liceat cœlestes dicere vestra,  
Mortalis visus pulchrior esse Deo.

De Orat. 1. Vix ullam oratoribus ceteris (pace horum dixerim) laudem reliquisti. Et 5. Tuscul. At Platoni meo videtur, cuius ego iudicium (pace tua dixerim) longè antepono tuo. Liuius. Cum bona venia quos audiatis P. C. id quod eloquar. SIMVL OCTAVAM AUDIERIS ) Sic Cic. Academ. 2. Itaque simul experrecti sumus, visa illa contemnimus. Ibid. simul tibi cen inflavit. Ad Att. simul aliquid audiero, scribam ad te. Horat. Sat. 1. lib. 1. Quae simul inuersum cõriscat aquarius annum. Et Ode 4. lib. 1.

Et domus exilis Plutonia, quo simul mearis,  
Nec regna vini sortiere talis.

Catull. de nupt. Pelei & Thetidis. Quae simul optatae finito tempore

tempore lucas Aduenere. His locis & alijs insuper apud Terent. Lucret. Virgil. particula simul, eandem vim habet prorsus, quam habet simul ac, simul et, simul atque. Sed ignorantia quorūdam sepius illud in hac mutauit, quod Manu. conqueritur in epist. 18. libr. 6. **A V R E M V E L L A S**) Quoniā aures dicatae sunt Memoria (caca enim antiquorum superstitio singulis partibus humani corporis deos singulos praeficiebat,) aurē vellere, est admonere. Virgil. eclog. 6. Cum canerem Reges & praelia, Cinthius aurem Vellit, & admonuit. Vide Seruū ibid. Seneca lib. 2. de Benef. Loquar mecum, & mihi aurem peruellam. Hoc est, ego ipsemet mihi fiam admonitor, ne similiter peccem. Sumptum à prisco ritu, quē explicant Paroemiographus, Rhodigin. lib. 3. c. 29. & Lāb. in Sat. 9. lib. 1. apud Flaccum. **DICENDA EST SALVS**) Abeuntes quoque dicuntur salutare, cum valedicunt salutēve precantur. Ex quo illud trium: in salutato aliquo discedere. Aeneid. 9. Euryalus commēdans Ascānio matrem suam;

Hanc ego nunc ignaram huius quodcunque pericli,  
Inque salutatam linquo (nox & tua testis  
Dextera) quod nequeam lacrymas perferre parentis.

Et longū valere (μακρὰν χρόνον, & πολλὰ χρόνον)  
idem est quod longū saluere. Cicero item salue cū vale coniungit in epist. ut Virgil. & Catullus. Potius tamen haec forma locutionis in rebus tristibus, quā latis usurpatur; salue, inquam, & vale coniunctim. **SOPOR OCELLOS OBTEGERE**) Catull. dixit. Nec somnus tegeret quiete ocellos. Propert. lib. 1. Labentes premit mihi somnus ocellos. Tibull. lib. 3. Sera quies languentia premit lumina.

PROGYMNASMA  
SECUNDVM.

*Sese vestibus exuentes, preces ante somnum.*

PÆDOTRIBÆ, IVSTVS, FVLGENTIVS;  
DEMETRIVS.

PÆDOTRIBÆ. Quorsum vos cunctamini? detracto amictu vique ad subuculam, suo se lecto quisque commendet. Auferte moras, ego actutū huc reuertar. Quod nisi cubātes inuenero, postea virgarū vibicibus exarati cubabitis. Prænucciaui cladē; prohibete à vobis vim meā. I. Nescio quomodo nōdus geminus, & arctissimus in ista ligula coriacea mihi extitit: quæso adiuta me Fulgenti. F. Quā multis astrigmētis, & quā scitē hic subligar thoraci alligauit? D. Sic oportet. ast ego, aspiciate vt laborē in abstractis caligis. I. Quare? D. Quia ex deābulatione cursuque hodierno pedes & crura affatim sudore immaduērūt. I. Adiuuabo te. F. Mihi verō quis subibit auxilio? I. In quo tandē? F. Vellē sanē alter vestrum purgaret calceos meos; oppidō lutulenti sunt. I. Tute, vt reor, ad istam rem non malē aptus es, & sufficis. Mihi quoq; præter me nullus est seruus. F. Hāncne gratiā refers? phui, vt olidi sunt calcei tui linteis? I. Mirum ni balsamum spirēt, aut pastillos, aut stacten atq; casiam oleant: gestauis duabus hebdomadibus. F. Certē quidem pro istis allium, hircum, suē olent. Dares lauandos. I. Darem vtique, si alios retulisset mulier

mulier quæ lauat. D. Oh, quid tu Fulgenti hoc tempore & loco de diploide tua pulueré excutis? oculos, aures, nares, faciē mihi comples. Fac modum. An nondum etiam? quin parcis, inquā, mihi *παρέχει παράμυα*? F. Vbi ergo, & quando excuteré? D. Fortis. F. Non ausim foras ire sine thorace. D. Ad fenestram procederes saltem. F. Nec ibi honestum est in indusio conspici à prætereuntibus. D. Par reponam, quod te mordeat. Quorsum tot fibulæ? ad ornatum scilicet superuacaneum, atque ad dissipandas & disperdēdas pecunias. F. Tua quid interest? I. Commutemus Demetri cingulos. Eia annuito. D. Tāmne blanditur oculis tuis meum? I. Et quidem multò ante hunc diem. D. Quid diceret Præceptor? I. Nihil profus, ne vereare. D. Qui periculum amat, etiā in re leui, næ ille haud mecū sentit. Verùm ego periscelides, seu fascias crurales tuas validius optauerim, quàm tu istanc zonam meam. I. Posterior hoc dicis quā credidi. At tu Fulgenti, in arca tam alta, tām longa, tām lata quid habes? F. Quid hoc autem ad te attinet? libros nōnullos philosophicos. D. Hui, philosophicos? F. Ita, philosophicos, quibus me vsurum spero, postquam æui florē contigero: aliquot indusia, femoralia bina, tibialium paria duo, interulā elegāti opere contextam, pileum sericū, & quātuor tenuissima tela, perque angulos acupicta sudariola. Adhæc totidem collaria rugata linea, quibus nouo inuento collum circumdare mos increbuit. I. Malo ego collaria indusiis continentia, plana, superoram vestis aliquātum proiecta, qualia sacerdotes literatīque viri gestant. D. Quàm commo-

dum & decēs conopeum hoc, quo muscas & cuculices arceo? I. Beatus ter & amplius, si quid etiā ad arcēdos pulices. D. Obsecro, tu mihi armorū tuorum tegumētorumq; pauxillulum commoda, quibus te aduersus illorū insultus morsusq; communire soles atq; defendere. F. Væ misero. Ut se isti impudentissimi sceleratissimiq; scarificatores meo sanguine hac nocte ingurgitabunt! integros alo exercitus, & sum stigmaticus toto corpore. D. En præterea lecticā spaciosam, per quam me volutare possum vt libet. En culcitam plumeam, nō vtī vestræ, lana inculcatam: pulvinar longum, cervical molliissimum, toralia candidissima, stragulam vestem splēdidam, ac principe dignam. I. Ideōne arctius dormis quā nos? qui æstate, vt nūc, gauſapinis tegimur satis: cortinas sericas, tuasq; exoticas delicias nihili pendimus. Atat, præceptor redit: sileamus, & in lectum pernuciter. P. Cōprimate linguas. Siccīne hoc fieri? An istuc est colere vespertinū silentiū? Cras pro his meritis cōdigno vos afficiā precio. Cur non occlusisti valuas Iuste? I. Oblitus sum. P. Solennem precationem edidistis? immō eam quoque, vt suspicor, obliti estis. Vide quā parum religiosi sunt isti adolescentes; sic somnum carpsissent, Deiq;, suiq;, mei q; funditus immemores. Nōne hæc tua hebdomas est Demetri? D. Equidē est. P. Ergo age, dum vestimēta pono ad cubandum, interealoci piē pronuncia solitas preces, & singuli iunctas manus cælo attollite. D. Omnipotens pater, exuberantissime fons bonorū, qui nocturnam requiem seporēque delinimētum ad salutem corporum hominibus tribuere dignatus es, tibi gratias

rias agimus, cū nos hoc die clementia tua ab omni casu aduerso tutos prestiti isti: iterūque rogamus, ut peccatoribus nobis per tormenta & mortē IESU Christi Filij tui, quidquid hodie cogitatione, verbis & actione deliquimus, benignē ignoscas. Tuere nos ista nocte a quocunque corporis & animæ periculo. Esto excubitor noster, tu, qui nūquam dormitabis neque dormies: ut sani ac lati expergesiamus, & cū gratiarū actione die crastino, atque in omni reliqua vita nostra imperiis atque præceptis tuis seruituti hilare totis viribus seruiamus. O Maria virgo, benedicta inuērix gratiæ, mater salutis, illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte, tuisque precibus commissorum veniā, iustitiāque veram nobis impetra: ut cum supremus maximēque formidandus ille dies aduenerit, digni habeamur, qui possimus stare ante iudicem viuorum ac mortuorum, Dominum nostrum Iesum Christum benedictum fructum ventris tui: cui cum Patre & Spiritu sancto honor, virtus & fortitudo in omnium seculorum æternitates. Amen.

---

 ANNOTATIONES.

**P**ÆDOTRIBA) Inter gymnasiarum exercitiorumque ministros, quæ olim valetudinis causa suscipiebantur, & de quibus varia eruditione refertissimos libros composuit Hieronymus Mercurialis, erat etiam pædotriba. Quem cum gymnaste contendens Galenus, militi & cocco; hunc autem medico & Imperatori similem ait. Ut enim miles nihil eorum nouit, quæ ad bellicam scientiam pertinent, nec coccus eorum quidquam, quæ ad medicinā, sed ille tantum Imperatoris, hic medici mandata curat: sic pædotriba exercitationum corporis omnium vim facultatēque ignorans, gymnaste duntaxat præcepta agitabat. Ob experientiam quan-



dam non eum quidem vsus, differentia, modi exercitationum fugiebant, nihilominus ob ignorantiam à scopo crebrius aberrabat, lege insuper Rhodigin. lib. 21. cap. 3. Quando igitur vox à terendis, id est, exercendis pueris in palestra, & moribus illis gymnasticis ducta est, nihil vetabit, opinor, eam ad alia multa trāsferre, in primisq; ad exercitationes & institutiones animi, id quod ad litterarum laudem, morum commoditatem honestatemq; pertinet: & vocare nos paedotribam, quem alias paedagogum, didascalum, custodem, praeceptorem dicimus.

**QVOD NISI CVBANTES**) Pleonasmus, pro, nisi: sicut, Quod utinam, pro, utinam: seu pro, sed nisi, sed utinam. (Casar, lib. 1. de bello Gall. Quod nisi decedat ex his regionibus, aut exercitum dedat, sese illum non pro amico, sed pro hoste habiturum. Sallust. Coniur. Quod ni Catilina maturasset pro curia signum sociis dare. Cic. ad Att. epist. 43. lib. 13. Quod nisi me Torquati causa teneret, satis erat dierum, ut Puteolos excurrere possem. Ouid. lib. 1. Trist. eleg. 3. Quod nisi mutatas emisserit Aeolus auras. Terent. Phorm. Quod ni fecissem incogitans. Virgil. eclog. 9.

Quod nisi me quacunq; nouas incidere lites  
Antè sinistra caua monuisset ab ilice cornix.

Cic. ep. 4. lib. 15. Quod utinam minus vitæ cupidus fuisset. **OPPIDO LVTVENTI**) Oppido est valde, ortum ex sermone rusticorum. Fest. Nonius. Plaut. Amphit. oppidò perij. Cic. 3. de sinib. Eorū definitiones paululum oppidò inter se differunt. **CALCEI LINTEI**) Succi linei. Libri lintei apud Liniuum lib. 4. Qui vdoneas appellant, falluntur. Nam vdo palliū aut vestimentum est, aduersus imbrium iniuriam excogitatum. Turneb. calceamenta esse vult, ex hircinis pilis texta. Profert illud Martial. lib. 14. Nō hos lana dedit, sed aeniis barba mariti.

marii. Vide cap. 13. lib. 1. PASTILLOS) Pastillus, inquit Festus, forma panis parvi utique, diminutivum est à pane. Alij à pasta derivatum credunt. Globulus est, & quodammodo panis rotundus, seu massula ex odoriferis rebus coagmentata & cōposita. Vti consueverunt pastillis mulieres, & viri mulierum similes: effeminati scilicet ac molles. Græci nominant τροχίους, rotulas. Horat. Sat. 2. lib. 1. Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircū. sunt præterea pastilli, quibus utuntur medici. Celsus lib. 5. c. 17. DE DIPLOIDE TVA) Græcum vocabulum, ab eo, quod sit duplex amictus. Est autem vestis militaris. Vide Isid. lib. 19. cap. 24. Nos pro thorace duplicato, siue suffulto usurpauimus, nec id sine exemplo. Diplois, un pourpoint, corcelet, & toute armeure du corps. MOS INCREBUIT.) Quæ suū increbescōne, an increbresco dicēdum, & increbrui, an increbuit. Manut. manuū increbresco, cuius disputat. vide in ep. 20. libr. 7. DECENS CONOPEVM) κωνοπέυμ rete, velū in tentoriij similitudinem cōfectum, papilio lineus, lanæus, bombycinus ad muscas & culices arcēdos lectulo circumdatus, quo magis Alexandrini utuntur, quia ibi è Nilo culices copiose nascuntur. Sic Isid. lib. 19. c. 5. Hor. Epod. Ode 9. & Propert. eleg. 10. lib. 3. ultime proximā syllabam cōtraxerunt, ut alioqui facere mos est poetis in voce platea, & quibusdā aliis, quæ Græcis per æ scribuntur. BEATVS TER ET AMPLIVS) Hor. Ode 13. libr. 1. Felices ter & amplius, Quos irrupta tenet copula. Virgil. 1. Æneid.

ὁ τέρque quaterque beati

Queis ante ora patrum Troiæ sub mœnibus altis  
Contigit oppetere.

Tibull. lib. 3. O mihi felice tέρque quaterq̄, diē. Homerus τῆς μάναγος. CVLCITAM PLVMEAM)

Mar

*Marial lib. 5. Nulla regit fractos nec inanis culcita lectos. Quid sit culcita stramentitia, lanea, tomentitia, plumea, consule Nomenclat. Iunij. Nonius ad hoc verbum recitat illa Cic. ex Tuscul. 3. Eripiamus huic agri-tudinem. Quomodo? collocemus in culcita plumea: psal-triam adducamus, &c. Culcita legit, & ita veteres libri, non, culcitra. TORALIA CANDIDISSIMA) Cum videremus à quibusdam doctis vocari toralia, qua vulgus linteamina, voce haud latina, quasi à thoro ve-lando & operiendo, eos, imitari visum est. Proprie tamen inuolucrum thori erat, id est, congesta pluma vel herba, vel arundinis operimentum, quod elegantiore rursus stra-gulo obducebatur, conuiuij causa, aut feriarum. Plura Turneb. lib. 1. cap. 24. Pro linteaminibus dicemus item linteae lecticaria, & sindones lecticariae: sed hoc posterius Principum esto. STRAGVLAM VESTEM) Stra-gulae vestes, quae iniiciendi insternendique, non induendi causa comparatae sunt, ut aulea, peristromata, quibus ornatus gratia lecti, mensae, humus, parietes operiuntur. De stragulo Isid. lib. 19. cap. 26. Cicero Tuscul. 5. Colloca-ri iussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimè tex-tili stragulo, magnificis operibus picto.*

---

## PROGYMNASMA TERTIVM.

*Ex somno suscitati, precatio matutina.*

*CALIXTVS, ADOLPHVS, HENRICVS,  
STMPERTVS.*

**C**ALIXTVS. Benedicat nos hodie Deus Pa-ter à quo conditi, & Filius, cuius dira mor-te à sempiterna morte vindicati, & Spiritus san-ctus,

etus, per quem abluti & sanctificati sumus. Iam  
 lucis orto sydere, &c. Surgite cõtubernales, sur-  
 gite. Adolphe, Henrice, Symperte. Ecquid au-  
 distis? expergiscimini. Tacent. Cernite, vt valuis  
 reclusis clarissima se lux infundit. Surrecturine  
 estis, annon? A. Quid tu (malum) nobis ista hor-  
 ribili vociferatione somnũ abrumpis? quid gan-  
 nis? quid vis? atra bilis te agitat? C. Surgendum  
 est tibi, deserendus nidulus. Heus heus surge. A.  
 Cessa sic hoc clamorisedere. Enimvero profectò  
 non possum. C. Profectò potes. A. Cõniui potius  
 hac nocte quàm dormiui, eamq; plenam timori-  
 bus & miseris habui: plumbeum gero caput. C.  
 Et cuiusnam erant illi rhonchi? A. Nullos sensi  
 rhonchos, absiste hinc. C. Nõ igitur verũ loque-  
 ris, te conuiuisse: somno approbè irrigatus, sum-  
 merfusq; iacuisti. si rhonchos, & quidem tantos  
 minimè sensisti, ego sensi. Surge, non piger, sed  
 ipsamet pigritia. A. Ah Calixte, nimis hoc quidẽ  
 inhumaniter, & valde importunè, sine pauxil-  
 lùm: sic tibi obtingant, quęcunq; exoptas bona.  
 C. Littori loqueris. Henrice, corripe è strato  
 corpus. H. Quota est hora? C. Quinta. H. Erratis  
 vterque, tu & horologium. Adhuc nox atra caua  
 circũuolat vmbra. C. Scilicet in oculis tuis. Fa-  
 xo mox adducatur faber, qui forcipibus illos ti-  
 bi aperiat. Excute noctẽ dormitator. Quin sur-  
 gis? H. Obtundis, iamprimùm versauimẽ in al-  
 terum latus. C. O Christe, etiam hic stertere vult  
 in meridiem. In eodem ludo videntur docti ad  
 somnolẽtiam. Sed est vocis sat. Symperte surge.  
 S. Dictum ac factũ, surgo. C. Te laudo, haud som-  
 niculosus es. Vos nisi è vestigio surrexeritis, re-  
 nuntiabo

nuntiabo magistro, vt vapuletis pro ientaculo. A. Quod tibi Deus Opt. Max. pro tuo prandio largiatur. Faceſſant minæ. C. Vt oſcitant? vt brachia tanquam in cruce ſuffigendi diſtorquent? vt capita ſcalpunt? vt oculos fricant? quaſi veſpertiliones lucem indignantur. H. Nonne hic dies eſt feſtus? S. Cur tu iſtuc quæris? H. Quia de more ad ſextâ liceret ſomno recreari. S. Negotioſus, ſeu profeſtus eſt, non feſtus. Sed conticeſcite, dum ſolitam precationem expedio: attendite, animoſque veſtros vnâ mecum ad Deum transferte. A. Hoc agimus. S. *Æterne mûdi opifex, tibi gratias, quantas noſtra mentes capiunt, cum nos hac tranſacta nocte viuos, incolumes, & omnis macula purros atq; integros tua miſericordia conſeruaſti. Oramus te per bonitatem tuam, cum iſta luce, cuius primordium videmus, vera Catholicaq; fidei lucem, emendationem vita noſtra, ſecuritatem mentis, & diuina conſolationis tue lætitiã nobis hodie, & quoad vixerimus concedat. Tibi corpora, tibi animas noſtras, introitum & exitum, vitam atque obitum, omnia denique noſtra commendamus ac tradimus. Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri. S. Maria, in tuam cuſtodiam & clientelam nos recipere. Ora pro nobis peccatoribus. Amen.*

### ANNOTATIONES.

**S**VRGITE CONTÛBERNALES) Vox eſt caſtrenſis ſeu militaris, à tabernis qua ex tabulis fiebãt. hinc tabernaculorũ nomen, à tabulis inquã, tam eſſi ex tentoriis quoque pellib; ſq; conſtarent. Significat autem ſocium ſiue commilitonem, qui in eodem tabernaculo habitat. Ad alia accõmodari ſolet, & capi pro familiari atque domeſtico. Contubernium eſt ipſa contubernium

nalium habitatio, qua similiter generatim conuictus & sôdalitas exprimitur. Spartianus & alij, commanipulares & commanipulones, & commanipulationem vocant, quos Vegetius cateriq;, contubernales, & contubernium. QVID TV (MALVM) particula indignantis, increpantis, interrogationi interiecta: tanquam scilicet aduerbium, aut interiectio. Cicer. 1. Philipp. *Quenam (malum) est ista voluntaria seruitus? Et 2. Off. Que te (malum) inquit, ratio in istam spem induxit? Sic apud Maronem ponitur, infandum. Georg. 1.*

pecudesque locuta

(Infandum) sistunt amnes, terraeque dehiscunt.

Et 1. *Aeneid.*

Nos tua progenies, celi quibus annuis arcem,  
Nauibus (infandum) amissis, vnus ob iram  
Prodimur, atque Italis longè disîugimur oris.

*Sic apud Catullum, nefas.*

Troia (nefas) cômune sepulchrum Europæ Asiæq;,  
Troia virum & virtutum omnium acerba cinis.

QVID GANNIS?) *Gannire vulpecularum est, ut boare bouum, rugire leonum, hinnire equorum, sibilare serpentum, coaxare ranarum, rudere asinorum, balare ouium, gracillare gallinarum, crocitare cornuorum, pipire passerum, cucurrere gallorum. Fertur poematium de vocibus animalium, quod Ouidij libris adiungebatur olim.*

ATRA BILIS AGITAT) Plaut. *Capt. Atrabilis agit hominem. Graecis est μελαγχολία, que cum redundauerit, furorem creat & insaniam. Itaq; furor ipse etiam μελαγχολία dicitur, & μελαγχολᾶν, fureve, insanire. SIC TIBI) Vt facilius cōsequamur, quod petimus ab alio, ea precamur illi, quorum scimus ipsum amantem & cupidum esse, adiuncta particula, sic. Hoc autem pœta tam Latini, quam Graeci potissimum faciunt. Virgil. eclog. 9.*

Sic

## PROGYM. LATINIT.

Sic tua Cynreas fugiant examina taxos,  
 Sic cytho pasta ditentent vbera vaccæ.  
*Tibull. eleg. 6. lib. 2.*

Annue, sic tibi sunt intonsi Phœbe capilli,  
 Sic tua perpetuò sit tibi casta soror.  
*Horat. Ode 3. lib. 1.*

Sic te Diua potens Cypri,  
 Sic fratres Helenæ lucida sidera,  
 Ventosumque regat pater.

**DICTVM AC FACTVM**) *Apud Terent. And.* prouerbiū est, celeritatem declarans. *Dictum ac factum*, inuenerit aliquam occasionem, quamobrem illam eiciat oppido. *Rursum Heaut. dictum ac factum*, huc abiit Clitipho. *Greci* ἀμ' ἐπ' & ἀμ' ἐργον. **QVOD TIBI DEVS OPT. MAX.**) *Cic. 2. de nat. Deor.* sed ipse Iupiter, id est iuuans pater, quem conuersis casibus appellamus à iuuando Iouens. à pœtis pater diuūmq; hominūque dicitur, à maioribus nostris *Opt. Max.* Et quidem antè optimus, id est, beneficentissimus, quā maximus: quia maius est, certèq; gratius prodesse omnibus, quàm opes magnas habere. Tamen de fundo & agro etiā dicebatur. **HOC AGIMVS**) *Hoc agere Plauto, Terent. Horat. & aliis* est animum attentum prabere in re aut sermone aliquo, tota mente in negotium aliquod curamque incumbere, omne studium, & cogitationem omnem in re aliqua collocare, neque aliud, siue alias res agere.

PROGYMNASMA  
 QVARTVM.

*Vestientes se, & reliqua peragentes.*

I I D E M.

CALIXTVS. Adolphe. A. Hem quid est? C. Veni huc sis. A. quid hic homo vult? C. quid ais? A. qua de re? C. Cur piget te magis attrahere sursum caligas, thoraci que astrigmentis istis, quæ plurima dependent subligare: vt pulchrè, sine plicis atque rugis adhæreant pedibus vndique, vti meas vides adhærerere? Nam hoc negligere, quid est aliud, quàm segnem & desidiosum velle argui? A. Nouimus te φιλόκαλον, & mundiorẽ ipsa munditia. Porro meas ille indoctus sartor nimium laxas, nimium longas fecit, nihil attrahendo proficio. S. Tunc fregisti hanc matulam Henrice? H. Apage cum istac insimulatione, nuces iuglades, castaneas, amygdalas fregi multas, hoc scio. A. Quis autem pectinẽ meum sublegit? C. Ne clama, hem illum tibi. Ego ante vsus sum, quàm tu experrectus es, quia meum nescio vbi deposuerim. S. in risco videbam heri. C. visam. Rem elocutus es, hic est. Pecte igitur caput Adolphe. Primùm, vti suadent medici, radiis rarioribus, tum densioribus, & à brechmate in occiput, rursusq; ab occipite in sinciput ducito: sic enim pori aperiuntur, & exhalationibus caput leuatur. A. Obtempero, ac vellem hanc me citius medicinam docuisses. Da inductorium, calcei sunt angusti & breues. S. Vt



stridet sponda mea? vt item crepidę mea, & hoc  
 quod calco catapetasma scirpeum? C. Fulmenta  
 lecticę tuę, Adolphe, quàm cariōsa sunt? A. non  
 minus tua, si aspicias. Et, si seruteris, forsitā mu-  
 sculos aliquot inuenies, quos tibi culcita tua  
 stramentitia progenuerit. C. Sentirem, si quid  
 esset vernularum istorū domi meę procreatum.  
 H. Globulos thoraci allutos vnumquemq; ocel-  
 losuo fac indas, Adolphe; ne vt ventrioli & ab-  
 domina, eo infra aperto, sub interiore tunica  
 ventriculum tuum spectandum ingeras. A. En-  
 ge, calceolos tuos nitidissimos vinculis suis  
 obliga, ne laxi in pede hereant. C. Hic tapes de  
 pariete cadet, tot passim abiunctis annulis, qui-  
 bus ad vncinulos suspēdebatur. Symperte, pro-  
 uidebis vt commodius pendeat. S. Prouidebo.  
 Quò pedem Adolphe? A. Etiam tu interrogas?  
 deorsum ad abluendam frigida & faciem, &  
 manus. Caterum guttus, & pollubrum, vt scitis,  
 immunda sunt. Demus ancillę terūcios aliquot,  
 vt permundet: interim ad salientem lauemus in  
 atrio. C. Continuò te sequemur. Tolle tecū lin-  
 tea, quibus nos extergimus postquam lauimus.  
 S. Tu Henrice, vt aspersus es atramento? vt di-  
 gitos habes sordidatos? calida opus sit tibi, non  
 frigida, & pondo smēgmatis. H. Eò diligentius  
 lauabo. S. Frica item cilia, & palpebras, sunt ibi  
 sordes: nec minus auriculas, & gargariza bis ter,  
 quod ad fauces collumq; purgandum valet. H.  
 Doctum ne doceas. C. Eamus, ego obserabo cu-  
 biculum. S. Clauim autem in porta relinque vt  
 nuper; vnde cleptarum irrepēs quispiam, cū at-  
 tulerit steriles manus, grauidas exportet foras,  
 iterum

iterumq; mihi scabellum auferat, & puluillos  
deinde: ac nisi grauis sit nimium, grabatum cum  
ipso lecto & toralibus. C. nullus est hoc meticu-  
losus æquè. S. Si spondes te dampnum præstatu-  
rum, non metuum. C. Spondeat Henricus, mihi  
non est otium. H. ain' verò? C. Certè inquam.

### ANNOTATIONES.

**N**UCES IVGLANDES) Seruius in eclog. 2.  
Nuces dicuntur omnia corio tecta duriore, ut auel-  
lana, amygdala, iuglandes, castanea: sicut è cōtrario po-  
ma omnia molliora. PECTINEM MEVM SVB-  
LEGIT) Verbo, sublegere, vsus est Virgil. eclog. 9. pro  
surripere, furto clam subducere, auferre. Vel q̄ sublegi  
tacitus tibi carmina nuper. Seruius ibid. Nā sublegi  
est furatus sum: unde & Sacrilegus dicitur, qui sacra le-  
git, id est, furatur. IN RISCO) Docet Neniū riscum  
esse locum angustum in parietibus. Seruius paruam fe-  
nestram in pariete, ad res nimirum quasdam reponen-  
das relictam. Terent. Eunuch. T. Abi tu, cistellam Py-  
thia domo offer cum monumentis. P. Vbi sita est? T. in ri-  
sco. Odiosa cessas? CALCEI SVNT ANGVSTI)  
Calceare se, pedes excalceare dicit Suetonius. Idem in  
Octauio. Calceus perperam sinister pro dextro induci-  
tur. CATAPETASMA SCIRPEVM) κατὰπε-  
τάσσωμι infra, subtus extēdo, explicō, περιπέτασσωμι cir-  
cumextendo. Hinc tapeta viliora, quibus pauimentum  
tegitur, in adibus nempe hominum beatorum ac prin-  
cipum, & in templis catapetasmata: quibus autem in  
conclauibus atque cubiculis & tricliniis parietes cir-  
cumcirca conuestiuntur, ea peripetasmata & peristro-  
mata, ut ijsē superiora illa catastromata, à κατὰστέ-  
μα

vovμi subtus sterno, appellantur. AD SALIENTEM) Quamplurima adiectiva Græcis & Latinis quibusdam substantiuis subintellectis v̄sitata sunt, idq̄ virili, muliebri, & neutro genere. Huiusmodi est saliens, subaudimus enim, aqua; ut in illis, frigida, calida, tepida. Ferina, agnina, bubula, subauditur, caro. Græci eis ωολεμ̄ιαν, in hostilem; subaudi, χωρᾱν, regionem. Eadem est ratio caterorū generum: sat est monuisse adolescentes. GRABATVM CVM LECTO, ET TORALIBVS) Græcè est κρᾶβᾱι & , siue κρᾶββᾱι & , legiturq̄, Marci 2. Ioan. 5. & in Actis Apostolicis. Semper autem his locis pro lecto: in quam significationē & Virgil. in Moreto vsus videtur. Membra leuat sensim vili demissa grabato. Cicer. 2. de Diuinat. à lecto seiungit, his verbis. Deos immortales concurrere omnium non modò lectos, verum etiam grabatos, & his obijcere visa, &c. Intelligit lecticam exiguam, in qua veteres meridiari solebant, ut quidam Grammatici exponūt, vn̄ petit lect. sic Catull. de Varo.

Fractum qui veteris pedem grabati  
 In collo sibi collocare posset.

*Martial. lib. 11.*

Et teges, & cimex, & nudi sponda grabati.

Apud eundem lib. 12. tripes grabatus, & tripes mensa. Omitto aliorum in hanc rem testimonia. Dicitur volunt ωαρε̄ τὸ κρεμ̄αν τὰς βάσεις, à gradu suspendendo: ut sit proprie lectus pensilis, in quo qui sedent aut recumbunt, pedibus terram non contingunt.

PROGYMNASMA  
QVINTVM.

*Mores in cubiculo, in lecto.*

PÆDONOMVS, VICTOR, CYRIACVS,  
THEODORVS, ALII.

PÆDONOMVS. Quosdam in angulo collatis capitibus consulurantes intueor. Victor Victor, quid nugarum? V. nihil. P. Hic puer quotiescunq; interrogatur quid faciat, aut quid fabulatus sit, hoc solum respondet, nihil. Si tandem cōtrā verberibus te obseuero, aut colaphis caput tuū impleuero, non erit, opinor, cur fleas, quia nihil tibi fecero. C. De tabella loquebamur. P. De qua tabella? C. Quæ introrsus ad cubiculi ianuam appensa cernitur, morumq; cubicularium præcepta continet, quæ tu annum abhinc nobis dedisti. Aiebam igitur ea hodie de more legenda publicè, Victor à me dissentire, quod mensis nondum totus præteriiisset. T. Immodò, vt sis sciens Victor, hesternus dies Maium clausit, & hodie Kalendas Iunias egimus. An ita est. A. Ita est. P. Custodiatur ergo mos, & ne ante quieti tradantur corpora, quàm leges recitentur. Aduertite aures, & in quã quã sue hæctenus quisq; commisit, in eas ne committat de cætero, magnopere caueat. Quis leget? T. Ego legam, si mandas. P. Age, hanc cistam conscende, & voce elata, intelligenter, ac distinctè.

T. A cubiculo omnes profanæ, impudicæ, stultæ imagines absunto: earum loco sacras, pu-

dicas, hominum qui in laude vixerunt, quosque in cœlum merita vocauerunt reponunto. P. Decet animum accipere formas rerum honestissimas, de quibus tum cogitet, quas somniet, & in quibus corpus iucundè obdormiscat. Quare autem prima, quæ nascente, & vltima, quæ occidente die contuemur, honesta ac pia non sint? & cur non potius mentem ad virtutis amorem, ad Deum, & cœlestia erigant, quàm sua deformi, abiecta, & ridicula specie ad res humiles, sordidas, turpes, ac leues rapiant? C. Victor ad caput lecticæ suæ affixit imaginem Bacchi, coloribus variatâ. Insidet asello, gestat vexillum, in quo sunt farcimina, pocula, placentæ, pulli gallinacei, & vasculum vinarium. Stipant illum cum ventre collatio satellites, coronati pampinis (vt ipsemet Liber) botris in orbem dependētibus. P. Hem, quæ hæc est fabula? C. Ecce tibi portentum. P. Leuicule puer, quid tibi voluisti cum hac monstruosissima effigie? Placet hoc tibi? istæ sunt cogitationes tuæ cum surgis, cum te lecto credis? hæccine somnia? visne tu comes Bacchi, an Masarum fieri? Ego te pro istis factis vlciscar probè. V. Quia pulchra & iocosa est, ideo affixi: & dederat mihi frater meus. P. Non inuenisses alium locum vbi affigeres? V. Hic tutissimus videbatur. P. Extemplò refige, & in conspectu omnium conscinde. Malam rem non effugies, si posthac quidquam simile; nec tu, nec reliqui omnes.

T. Clamorem & colloquia penitus vitanto: si quid dicere necessum fuerit, summissa voce, & paucis transigunto; silētium sanctè obseruanto.

Seu

Seu cùm surgunt, seseque amiciunt, seu cùm stratis se commissuri vestimenta exuunt, verecundiæ rationem maximam ducunt. Corpus quoad licebit opertum semper habent. P. Flagitij principium est nudare inter ciues corpora, inquit apud Ciceronem Ennius. Nec mulier modo cum veste verecundiam exuit, vt inquit Herodotus, verùm etiam adolescens, vt ego affirmare non dubito. T. Ad vicini lectum ne accedunt, neue per cubicula cœtus celebrant.

Scopulas vestiarias, seu verricula setacea in cubiculo appendunt, illisque ad purgandas vestes crebrius vtuntur.

Fenestras vbi sudum erit aperiunt, aërem inclusum & densatum rarefcere, & puriorem fieri permittunt.

Antequam decumbant, & manè cùm surgunt, in frontem & pectus salutiferam S. Crucis notam exprimunt: preces præscriptas adiungunt. P. Facit sine hæc, pueri? A. Facimus. P. Bene nuncias. Si falsitatis vos comperero, pessimo loco sita erit res vestra: pœnas quàm atrocissimas à vobis reposcam. T. Cùm surrexerint, alium deiciunt, lectum componunt, caput pectunt, manus & faciem lauant, os probè eluunt.

A qualicunq; cuiuscunq; generis sorditudine sese liberos præstant. P. Apud quæcunq; inuentus fuerit vnus pediculus, ille Tribunus pedicularis renuntiabitur, & curabit, ne quid alij eiusmodi morbo laborent.

T. Lintea lecticaria, indusia, strophiole die præstituto ad lauandum dant. P. Hactenus quæ

extra lectū seruanda sunt: nūc quæ in ipso lecto.

T. Lectum vbi occupauerint, verbum ne edunt.

Sine intima tunica somnum nunquam, nusquam ineunto.

Ne corpus huc illuc iactanto, neue malè cooperti iacento.

Nēue proni, nēue supini, sed in latus dextrarum cubanto, brachiis ita transuersim compositis, vt dextra manus sinistro, læua dextro humero admoueat, similitudoq; crucis exprimat. P. Hic mos admodū pius est, & laudabilis, traditus etiam ab iis, qui de formandis adolescentum moribus scripserunt.

T. Si necessitate flagitante cum sodali cubuerint aliquando, quieti sunt, stragula ad se ne attrahunto.

A rhonchis abstinere se assuescunto. P. Nimirum, quod per se patet, vt dormire detur ceteris. Si solus fueris, da fræna rhonchis. Quamquam ita pacatè, ac sine sonitu corpus somno reficere, vt id nemo sentiat, est commendatione dignum.

T. In singulos menses hæc leges recitando iteranto.

---

### ANNOTATIONES.

**A**VT COLAPHIS CAPVT TVVM) Non esse idem colaphum, quod alapa, quodq; Gallis, vn soufflet, vne ioüee, cū videlicet faciem alicuius explicata manu cadimus, sed esse ictum qui pugno in caput incutitur, testimonia Plauti & Terentij confirmant:  
extra

extra quos nescio num antiquorum quispiam hoc nomine vsus reperiat. Ergo ille Rud. Verbum adde vnum, iam in cerebro colaphos abstrudam tuo. Ita valide, inquit, pugnis contundam caput tuum, ut ad cerebrum penetrent, ut ossa tibi comminuantur. Et Persa. *Dij deaq; te omnes perdant, Nisi te hodie, si prehendero, desigam in terram colaphis.* Hic autem Adelp. Præterea colaphis tuber est totū caput. Colaphi igitur, des coups de poing. **IN QVAM QVASVE HACTENVS COMMISIT**) In legem, seu contra legem committere, ornate dicitur. Apud Tullium ista quoque idem valentia inuenias. *Discedere à lege, legem conuellerè, & maiore quadam emphasi, perfringere, perrumpere, conculcare legem.* Plaut. Pseud. & Persa legirupas, & violationem legum in Rud. legirruptionem vocat. **OMNES PROFANÆ, IMPVDICÆ, STVLTÆ**) Si vellemus interdum imperare sensibus nostris, & coërcere proteruam illam vidēdi audiendique cupiditatem, non tam variarum obscenarūque voluptatum illecebrosæ imagines, tanquam patētib; portis, apertisque fenestris incurrentes pulsarent animos nostros, quibuscum deinde magnum certamen nobis, & difficilis ad quietum sedatūque statum reuersio. Sapiētissimus numerari debet, qui sensus omnes sub potestatem coëgit. **INSIDET ASELLO**) Habent picturas suas, quibus earum vis & natura declaretur virtutes, habent etiā vitia & peccata suas. Sed quo pacto temulētia, & vētris atq; gula studiū aptius depingantur, quàm ut hic depicta sunt, equidem non video. Quomodo pictores & Rhetores antiqui imaginem Iustitiæ depingerent, Gellius lib. 14. cap. 4. **CVM VENTRE COLLATIVO**) Plaut. Curcul. *Quis hic est homo cum collatio ventre, atque oculis herbeis?* Festus interpretatur ventrem magnum & turgidum, ita



vocatam à Plauto, quòd in eum omnia edulia congerantur. Notari potest hoc eodem proverbio homo prodigus, vorax, omnia abliguriens & insatiabilis. PLACET HOC TIBI?) Cum in manifestissima culpa aliquem deprehenderant, & qui factũ suũ tueri posse nulla ratione videretur, sic eum interrogabãt: placet hoc tibi? Thais Cheream leuiter obiurgans; scin' hoc tibi placet? Vide Muret. cap. 8. lib. 15. VTI INQUIT HERODOTVS) lib. 1. in persona Gygis malum facinus recusantis. (Ceterum Plutarch. in præcept. coniugal. hoc dictum non probat. COETVS CELEBRANTO) Peculiare verbum auctoribus de seditiosa coitione. Linius. Coetus nocturni plebis suspecti patribus. Sueton. in Iulio, c. 16. Senatus ob eundem coetum festinatio coactus. Et 24. At ne qui noui coetus recessionis causa moueri possent. Seneca declamat. 3. Qui coetum fecerit, capitale sit. SALVTIFERAM S. CRVCIS NOTAM) Muret. hymno in S. Crucem:

CruX hostes hominum sola procul fugat.  
 CruX sola infidiis munit ab omnibus.  
 Aduersa intrepidus despiciat licet,  
 Cuius spes cruce nititur.

Cacodemonem quidẽ hoc signum pessimè odisse & auersari indicat illud vulgare Germanorum, quo significant aliquem à re quapiam mirifice alienũ. Er flucht die Rirch vvie der Teufel das Creuk. ALVVM BENECIVNTO) Dicitur est incredibile, quanta verborum locutionumque paupertate laborent, qui se latinitatis alumnos profitentur, cum in aliis nimium multis, tum hac in re naturali sane, & omnium communi cum opus est, quod sæpius est, exprimenda. Tum nihil audias, præter ista sordidissima: habeo sedem, fluxum, non potui habere sedem, beneficium ventris, curre cito, &c. Discamus igitur

tur à magnis scriptoribus & verecundè simul, & politè  
eam rem efferre. Cicero, natura parere. Sallust. Purgare  
aluum, ire ad requisita natura; quod paulo lepidius sub-  
que more Plaut. Curcul. ire quo satiri solent. Xenophon.  
eis τὰ ἀναγκαστὰ ἀποχρησά. Cornelius Celsus medicorū  
Cicero, aluum deicere: siquidē, ut Seruius ait, aluus est  
in quam sordes desluunt. Verum qui Celsum legerunt,  
multa in hoc genere elegātia, & pudoris plena obseruare  
potuerunt. Eius enim sunt, (quo exēplis res fiat apertior)  
aluus astricta, resoluta, fusa, citata, nigra, varia, venter  
liquidus, suppressus. Idem sic loqui consuevit. Quem fre-  
quenter citata aluus exercet. Quoties aluus constitit.  
Cui frequens deiectio accidit. Aluus redditur. Venter  
nihil reddit. Venter per se excernit. Deiectionibus labo-  
rare. Purgatione aluum sollicitare. Aluum firmare.  
Cic. epist. 26. lib. 7. Tanta me di ἀρροια arripuit, ut ho-  
die primum videatur cœpisse consistere. Notandum est  
etiam, quibus formis idem eloquantur probati auctores,  
cū de bestiiis sermo est. Plin. lib. 8. cap. 15. de bonaso, red-  
dere simum. De Ibi eodem libro. Per eam partem se pro-  
luens, qua recidi ciborum onera maxime salubre est. Ar-  
nob. libr. 2. aduersus gentes. Superfluas fœditates infe-  
rioribus egerunt abieciuntque posticis. Et nos cibo su-  
stentamur & potu, & quod natura iam respuit, per eos-  
dem effundimus tramites.

PROGYMNASMA  
SEXTUM.

Salutatio matutina, ientaculum.

PÆDAGOGVS, CALLISTVLVS, & HTA-  
CINTHVS pueri, PATER,  
MATER, COQV. S.

PÆDA

**P**ÆDAGOGVS. O Callistule, itâne tardus in induendis caligulis tuis? C. Præceptor, dum festino, conuersa est futura in latus tibiæ: iamque nec progredi possum trahendo, nec regredi, vique adeo fixè adhærescunt. P. Sine, ego a pede detractas, denuo inducam. Induxi, bene habet. Porrige calceolos Hyacinthe. H. Apertósne, ancum obstragulo? P. Apertos, cum zonula & fibula. Nunc thoracem simplum cape. Tu, Hyacinthe, ligulis astringe thoraci caligas fraterculi: fac nodos laxos, nõ angustos. H. Prô, istæ ligulæ sunt exarmatæ propemodũ omnes. P. Emētur nouæ, nunc vt potes. Pectæ modò capillum Callistule, hem tibi pectinẽ. C. Hoi hei. P. Quid est quod sic clamas? C. Crines nimium sunt conuoluti & implicati; dolorẽ mihi facio dum pecteo. P. Radiis maioribus vttere. Citò faciem manusq; abluite. H. Factum. P. Descēdamus in hypocautũ. Vbi intrauerimus, salutabitis parentes & sorores paruulas, iis verbis & gestibus, quibus à me edocti estis. C. Salue pater optime. H. Tu quoq; mater amãtissima salueto. C. Salutem vobis precamur sororculæ nostræ dulcissimæ. P. A. Deus fortunet nobis omnibus hunc diẽ, mihique, cõingique meæ seruassit communes liberos. M. Placidõne somno defuncti estis? H. placido. C. Ego haud quaquam, ô mater: sapius enim euigilaui. M. miserã me, quod verbũ audio? euigilasti? accede ad me propius. Quare euigilasti? mi Callistule. C. Caput dolebam, & etiãmnũ dolor manet. M. Multũsne? C. Aliquantus. M. Vnde hic dolor? de vento? at in cubiculo nulli venti. De frigore? at æstate noua, vt nunc,

frigus

frigus vrit neminē. C. Quod suspicor, inde, quia me heri tecum cœna abstinere voluisti. M. ô factum malè. heus Euphrosyna. E. Quid me vult domina? M. Ambobus offam coque. Quàm citissimè poterit, tam hoc cedere ad factum cupio. E. è quo? M. è vino. Immisce crocum, & puluisculum nucis aromaticæ, quātum iudicabis immiscendum: turūdis verò panis similacei patinam imple, quibus ius feruens superfundes. E. Teneo. Nunquid aliud? M. aliud? etiam. da vtrique nihilominus collyram suam. E. Curabitur. M. At maturè. E. Intellego. Sed nunquid adhuc imperas? M. Nihil. PÆ. Interea tantisper cum libellis colloquimini, dum ientaculum inferatur. H. Licet.

---

 ANNOTATIONES.

**C**OVIA) Quia focum colit, & culinaria est ancilla hac poteri etiam appellari Focaria. Nam μαγειρας D. Hieron. Focarias latinè reddidit. Turneb. lib. 8. c. 9. APERTOSNE, AN CVM OBSTRAGVLO? ) De soulliers decoupees ou legierres? Prioris formæ utiles sunt pedibus sudantibus, eorūque usus per frequēs olim Germanis. NODOS LAXOS) Faites les sans aucū noeud. SVNT EXARMATÆ) Ne sont point ferrees. CAPVT DOLEBAM) Precipua, & nobilissima, adeoque prima humani corporis pars caput est. Hinc tam multiplex præterea ei voci subiecta vis. Est enim cuiusque rei origo, primaria negotij aut rei cuiuspiam pars, ac summa, existimatio, status sine conditio, discrimen vite, seu ipsa salus, causa,

*causa, fons, auctor rei. O FACTVM MALE) Contrarium est, ò factum bene. De quibus elegantiss disputationum annotat. quadam volum. primo, in progym. vicissimum. TVRVNDIS VERO) Proprie turunda sunt bucella sine massa, quibus anseres, gallinas, aliæque altillia sarcire & saginare mos est. Varro in 3. de re Rust. Hoc loco pro eo usurpata est locutio, quod Galli, un morceau de paste, un appast.*

---

CORPORIS HONESTATES.

---

PROGYMNASMA  
SEPTIMUM.

*Oculorum moderatio, & affectiones.*

PATER, FILIVS.

**P**ATER. Quid causæ fili, quodd tu iam extabescēte die vespertinus domum repetis? hoc mihi quæsītum velim expedias. F. Paucis dabo quamobrem. Didascalus nos vltra tempus consuetum in gymnasio retinuit. P. Retinuit? quid ais? F. quod res est. P. miratur animus meus. Non incidisti dum redis in nugiuendum aliquem (celebrantur enim nundinæ iam) aut in iurgiis sese lacescentes, aut in aliquid demum ineptiarum huiusmodi? Ibi si fortè substitisses, vt puerorū natura est, & oculis auribusque morigeratus esses. F. Perpetuaui ambulationem è schola vsque in ædes nostras. P. Quare tandem præter consuetudinem vos detinuit? F. Præcepta quædam morum  
ciui

ciuilium recentiffimè tradita à nobis repoposcit. P. Quæ? F. De oculis regendis, siue de aspectu formand. P. Examinatit te? F. me quidem non, sed alios. P. Quid si, quoniam vacuus nunc sum ad audiendum, ego præstem me hypodidascalum, siue vicarium, ne tu non interrogatus abeas? Esne ad respondendum cōparatus? F. Sum. P. Quales condecet esse oculos? F. Cùm imago animi, & tacitus quidā sermo statnatur vultus, & indices eiusdem atque interpretes sint oculi, per quos ille re & affectus, sedatus ac bene compositus, aut motione aliqua turbulenta agitatus apparet, quales in ytrāque partem haberi volumus, tales ipso aspectu gerere nos debemus. P. Quoniam modo? F. Torua lumina, acriterq; intuitentia iracundiam indicant. Eorum est etiam toruis oculis aspicere, quos obtinet atq; incessit mala suspicio, quiq; insidias, fraudes, dolos machinantur. P. Si nunc toruo te lumine obire, putarésne vehemēter succensere me tibi, eiecissēq; animum erga te patris? F. haudquaquam. P. Est ergo ad tempus quēdam toruitas simulata. F. quis hoc neget? P. Dic quæ deinceps dicenda. F. Ne sint immobiles, inconniuētes, affixiq; penitus ei rei in quam intuētur: ne volubiles admodum atq; lubrici: ne nimiūm aperti immoderateq; diducti. Primum illud attonitis, alterum insanis ac furentibus, tertiū stolidis relinquēdum affirmabat. P. Bene hæc illi distributa sunt, & verū, atq; ita uti res est, dixit. F. Palpebris subinde coniuētes oculi inconstantem, innuentes, loquaces, ac ludibundi mentem parum pudicam arguunt. Qui alterutro lumine clauso instar lucorum

scorum aspiciunt, ad scopū arcubus iaculantes, & fabros amussi, seu rubrica trabes dimetientes imitari videntur. P. Pulchra, & viris quoq;, nedum adoleſcētulis tradenda morum instituta. F. Monuit insuper, ne intentis in eorum faciē oculis fixi hāreremus, néve in eosdē identidē conii- ceremus, quibuscum sermonem copularem; potissimum si viri graues, & honorati essent; in- primisque si ſceminæ, & puellę ore floridulo ni- tentes, vt ille ait. Hoc indecorum, impudens, li- bidosum existimari: nec difficile illud conse- qui posse quod ait Terent. captus est, habet. Pro- ferebat item hoc ex poëta quodā antiquo; Si ne- scis, oculi sunt in amore duces: & aliud ex Pro- pheta: Oculus meus deprædatus est animam meam. P. Cōpertissima locutus est. Nam si David Rex in Vriæ coniugem aspectu non incidisset, non eam concupisset: si non concupisset, nō cum ea corpus cōmiscuisset, nō maritum morti obie- cisset: non, inquā, duobus se nefandis sceleribus deuinxisset. F. Ne etiam semiclausis oculis, nisi necessitas aliquando exigeret, quidpiā aspicerem- us. P. Prudenter. De superciliis nihil? F. immò aliquid. P. Nempe. F. Superciliis nos negare & annuere, his declarari fastū & arrogātiā. Pro- inde iactari prouerbiū; attollere supercilium, cum hoc vitium significatur: contrarium esse, po- nere supercilium. Ne attolleremus igitur; ne in oculos deprimeremus; ne cōtraheremus; in quas sese consuetudines vitioſissimas subnixē ambu- lantes ac superbi, improba machinātes ac fasti- diosi, aliena aspernantes & contemnentēs addu- xerunt. P. Quoniam idem ille vir latinam lin- guam

guam vos docet assiduo, nū aliud differuit, quod ad oculos pertineret? F. Quasdam eorum affectiones naturales exposuit, vnde quidam nūcupantur lusciosi, seu luscitiosi, qui propter caligantes oculos aut rē ipsis, aut ipsos rei intuendæ propius admouere cogentur. Strabones seu strabi, qui essent oculis distortis siue detortis. Ocellæ siue lucinij, quorū essent minuti paruique oculi, siue ocelli potius. Pæti, qui venustè ac leuiter obliquatos seu declinatos haberēt. P. Vt tu videlicet. F. Ita pater. Exophthalmi, quibus multum prominere, qui proinde luminibus facilius caperentur. Cælophthalmi, quibus multum recederent, seu profundiores & conditi essent. Cæsiij, quasi cælij, quibus cærulei. Lippi, quibus humorem exsudarent, semperque plorarent, vt potatoribus. Item oculorū angulos appellari hirquos: esse in iis albumen siue albuginem, pupillam seu pupulam, & alia nonnulla, quæ melius nominare didicissent, qui tractarent artem medicam. Pelliculam qua operirentur dici palpebram, ex cuius crepidine pilos enascentes nomen habere cilia. Interciliū dici spatiū inter supercilia, vbi nasus inciperet. Conspicilia siue specilla esse illa vitra coriaceis, osseis, æneis, argenteisve circulis inserta, quibus propter hebetatam oculorum aciem senecta ætate homines maximè vterētur. Postremò scriptoribus oculos appellari, noctuinos, herbeos, lynceos, aquilinos. Emissitios Plautū vocare, qui huc illuc curiosè vagarentur. Nictare esse crebrò conuiere, inde nictus. Ac plerisque vt id facere nō cessent naturale esse, eosque, videri pauidiores. P. Ob di-



ligentiam, cuius egregium specimen dedisti in præfens (ita mihi superstes sis) emā tibi quæ vis. F. Nihil aliud nisi libros volo. P. Da igitur mihi scriptum catalogum. F. Dabo cras. P. Atque audin' etiam? F. Ecce. P. Eos nomina, qui apud Bibliopolam hunc nostrum inueniri poterunt: nam Parisios, aut Lugdunū, aut Antuerpiā emptum libros mittere, non est voluntas nunc quidem. F. Ne tibi istuc sollicitudini sit, mi pater. Nō tamē exiguè sumptum præbebis, sed te mihi largū dabis. P. largissimum.

### ANNOTATIONES.

**G**R A V E & ingens malum cacitas, de quo vide Rhodigin. lib. 3. c. 28. magnum verò & excellens bonum visus, siue oculi. Parua quidē pars in corpore nostro, sed omnium partium principatum obtinens, & sensus longè charissimus. Cum enim naturā trahamur ad cupiditatem scientiæ, ideo sensus diligimus, quandoquidem per eos veluti ministros rerū intelligentias accipimus. Atque in hoc ipso munere visus ceteris præstat, quæ plures rerū differentias ingerere animis, & ob hanc causam omnibus chariorem esse in 1. de Sapientia confirmat Aristoteles. Quocirca in magni quoque amoris significatione oculorum fit mentio: cum testamur nos aliquem amare ut oculos nostros, & oculis amare, & c. Hebræi ad exprimendum ardentem & omnino singularē quendam amorem, duobus loquendi modis utuntur. Dicunt quippè, se cupere alicui animā suam, & oculos suos tradere. Virumque adhibuit Apostolus: illum ad Thessalon. 1. c. 2. hunc ad Galat. c. 4. Ac priori quidem locutioni simile quiddam Tibullus. Proprios ego tecum sit (modo fas) annos contribuiffe velim. Et Plaut. Quam si intel-  
ligam

ligam vita deficere, iam ipse vitam meam tibi dilargiar.  
 Germani quoque hoc ipsum satis ευφαινωσ, das Herk  
 mit einem thailen. Ad verbum: Cor suum cum ali-  
 quo partiri. Dimidiatum cor suum alicui donare. Et  
 quoniam homo est parvus quidam mundus, quod in illo  
 magno sunt sol & luna, hoc in isto pusillo oculi: ipsi quo-  
 que in sublimi fulgentes, & tanquam speculatores quidam  
 constituti: quorum, ut medici docent, admirabilis & dif-  
 ficillimos habens explicatus est compositio atque subtili-  
 tas. De his multa Plin. lib. 11. cap. 37. Rhodigin. lib. 3. cap.  
 28. & lib. 13. cap. 19. TAM VESPERTINVS) Ho-  
 rat. Epod. Ode 16. Nec vespertinus circum gemit versus  
 ouile. Et Sat. 6. libr. 1. Fallacem circum vespertinusque  
 pererro Sape forū. Virgil. Aeneid. 8. Nec minus Aneas  
 se matutinus agebat. Sic Propert. matutinus speculator.  
 Talia apud hos aliosque poetas sunt, nocturnus pro no-  
 ctu, serus pro sero, nomina videlicet adiectiua pro ad-  
 uerbiis, exemplo Græcorum. Loqui autem nos more poe-  
 tarum aliquando quid prohibet? EGO PRÆSTEM  
 ME HYPODIDASCALVM) Nō erit etiam con-  
 temnendum, ut pariter ipsi, cum è scholis filij redierunt,  
 pedagogorum personam assumentes, repeti ab illis ea iu-  
 beant, quæ interdum à magistris didicerunt. Quod indo-  
 ctum quendam patrem scio fecisse, qui tanquam longè  
 omnium, quæ se coram recitarentur, gnarus esset, repre-  
 hendebat sapius filium, atque eò animum illius adduce-  
 bat, ut sollicitius doctrina percipienda instaret, ne à pa-  
 tre, quæ eruditum existimabat, vlla ex parte reprehendi  
 posset. Hæc sunt Maphæi libr. 2. capit. 4. INDICES  
 EIVSDEM ATQVE NVNTII) Plin. lib. 11. c. 37.  
 Neque vlla ex parte maiora animi indicia cunctis ani-  
 mantibus, sed homini maximè, id est, moderationis, ele-  
 mentia, misericordia, odij, amoris, tristitia, letitia. Pro-

fecto in oculis animus inhabitat. Hos cum osculamur, animum ipsum videmur attingere. **INSTAR LUSCORVM**) Errat vulgus, cum luscum dicit, quæ strabum appellare conuenit. Luscus est altero captus oculo, Istuc clarissime demonstrat etiam tritissima paræmia: Inter cecos luscus est rex; & illud Plauti Trinū. L. Oculum tibi effodiam, si verbum addideris. S T. hercle quin dicam tamen. Nam si sic non licet, luscus dixero. Et *Martial. lib. 5.*

Oculo Philænis semper altero plorat.

Quo fiat istud quæritis modo? lusca est.

*Plin. lib. 11. cap. 37.* Ab isdem, inquit, qui altero lumine orbi nascerentur, coclites vocabantur. *Varro libr. 6. de ling. Lat.* Ab oculo cocles, quasi ocles dictus, qui unū haberet oculum. Quocirca in *Curcul.* est: de Coclitum pro sapia te esse arbitror: nam hi sunt unoculi. Hinc *Seruius in 8. Æneid.* scribit luscos coclites dixisse antiquos: unde & cyclopas dictos coclites, quod unum oculum haberent. **SUNT IN AMORE DVCES**) Quantopere ad animum sauciandum & inflammandum affectus valeat. *Plutarch. Sympos. libr. 5. q. 7.* Amoris, qua nulla est animi affectio vehementior, principium a visu nascitur, sic, ut amans diffluet, & quasi lique scat, cum in id intuetur quod amat, inq̄, id velut transeat. Et paucis versibus interiectis. Qui tangunt, qui audiunt, non perinde vulnerantur, afficiunturue, ut ij qui fixis oculis spectantur, & spectant. *Lege cetera.* **ATTOLLERE SUPERCILIUM**) Tollere supercilia non fastus modo, ut nos docuimus, verum etiam irati & mærentis animi signum esse testimonio pœtarum probat *Victor. libr. 8. cap. 1.* **QVADAM EORVM AFFECTIONES NATVRALES**) Tantummodo hominū oculos diuerso colore, ceteris animalibus in suo cuiq̄ genere

genere similes esse: præterea soli homini oculos depravari affirmat Plinius. Ab eorum, sicuti aliarum quoque corporis partium vitiis quomodo imposita fuerint Romanis veteribus cognometa, persequitur Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 9. PÆTI QVI VENVSTE) Est hoc quidem vitium, sed eiusmodi, quod plerumq; laudi daretur, amabile, inquam, vitium, petits yeux clignez à demy. Oculos patos Veneri, ut Minerva stultos, tribuunt poeta. Rhodigin. ωὰρ τὸ κῆρεσθαι volare, nimirum lascivos, & ignea quadam mobilitate præceleres, ac veluti volantes interpretatur: quod ante eum fecerat Acro Horat. explanator, in Satyr. 3. lib. 1.

---

## PROGYMNASMA

### OCTAVVM.

*Frons, nares, caput.*

*LILIVS, EVTROPIVS.*

**L**ILIVS. In mœstitia te esse coniecto, quasi dies si dicta sit. E. Vnde? amabo. L. Ex fronte, ex oculis, ex toto vultu. Illa rugis consulcata, isti deiecti, hic inaurata statua pallidior. Explicata, explana, exporrige frontem, sustolle oculos, & pallorem istum cum rugis vltimæ decrepitæq; senectuti referua. Hominem ingenio liberali, cuius cor nullius maleficij conscientia sollicitat, frons serenata, minimèq; contracta in primis cõhonestat: torua autem bobus & tauris relinquenda; quibus propter præcipuam frontis asperitatem toruorum epitheton semper adiungit poetæ, ut item agrestibus & crudelibus. De Poly-

phemo in 3. cothurnatus ille Maro.

*& telo lumen terebramus acuto,*

*Ingens quod torua solum sub fronte latebat.*

Scribit præterea Festus, à taurorum ferocitate toruitatem appellatam. Quamobrem torui tauri, & toruæ frontes, taurorum frontes sunt. E. Non videmus manticæ quod in tergo est. Sic enim comparata est hominum natura omnium, aliena melius vt videât, & iudicêt quã sua. Dum tu frõtem meam obductam & caperatam reprehendis, ego, si cares, mucinum tibi commodare meditor, quo nares mucoris & pituitę plenas emungeres. Vereor quippe, ne id pallio facias, & cubito, deinde resimũ nasum tuum, quem toties corrugare, seu crispare soles in alios, abstergas. Aut si manu te emunxeris, purulentia illa vestẽ calceumque incrustes. L. tuum tibi retine. Hem, auersus abs te paululum, tanquã ab insigni viro, vt consueui; si quando linteolum aut amisi, aut per obliuionẽ reliqui, duobus digitis me emungam, spurcitiemq; pede statim proterã. Nõ adeo rusticanum hoc dices. E. Tamen digitos aliquo extergere necesse habes. Verũ aspice solem, fortẽ sternutabis purgabisq; cerebrum. L. pfi, pfi, pfi. E. Seruet te Deus. L. pfi. E. adhuc? quot peccata? debuisti te aliquantum in latus cõuertere, ne ita rusticẽ mihi vestẽ faciemq; cõspueres. Cur etiam non signasti os à sternutatione? L. quo signo? E. õ Christianum. Quo signo? ego arcano dicã tibi. In quo Constantinus vicit Maxentium tyrannũ. Iãmne intelligis? sanctæ crucis. L. sat est. Nimis religiosus es. E. Cur mihi bene precanti non agebas gratias? quin etiam, vt si elles

esses annis oblitus, & ego quadrimulus; tu homo veteris profapia multarumq; imaginu, ego patrem meum nominare non possem, caput aperiebam. L. Restantne plura? E. plura. Vocem siue sonum cum sternutares ita intendebas, ut hunc murum ferme ruperis. Hoc non oportet: uti nec cohibere adeo ac reprimere impetum, quem natura affert, si sanitati consultum velimus. L. In quo te nasus meus preterea offendit? E. Eurum aut Favonium aliquem videris intus alere, ita spiras per nares. Sibilas item, ut arguta illex: & quod rusticissimum, rhonchos trahis vigilans. Peccabas in super aliud. L. scilicet. E. In strophium inspiciebas cum nasum emunxisses. Timebas credo, ne e tuo illo preclaro cerebro smaragdum, saphirumve eliciuisses. Quis te his moribus tam impolitis expoliuit? aut ubi denuo instituuntur, qui sic instituuntur? L. Tuum vero sacrosanctum diuinumq; caput quando est pexum? plumas paruulas video de puluino. Quam mundum? Quot trieterides abierunt cum lauisti? aut quibus tandem Coss? Fortem vermiculorum quoq; gregem pascis, quos pediculos vocant: etenim non frustra illud scabis toties, prurit utique. Quid quod frequenter, ut equus, concusso capite capillum in frontem prodependentem discutis? Accersere nos etiam tonsores quatuor oportet, qui humeros iam attingentem, & densissimum tondeant. E. pecto quotidie, nisi obliuiscar; lauo (si te forte hoc delectat) quoties aut lustrum conditur, aut acta est olympias; quoniam audiui (quod nec tibi reor inauditum) manus lauandas saepe, pedes raro, caput nunquam. L. Seruent ipsi hoc, & illoti sordescant quantum

libet. E. pruritus creant mihi, non lentes, sed  
 furfures. At enim ab eo hinc, ne forsitan ab istis ad  
 alia maiora mutuo, & cum conuitio obiicienda  
 veniamus, oriaturque; latum ex vna scintilla incendium.  
 E. Ita factum optus est. L. Nunquid vis? E.  
 Recte!

---

 ANNOTATIONES.
 

---

**C**VM RUGIS VLTIMÆ) *Rugæ, sulci sunt, quibus senis cutis exaratur. Horat. Epod. Ode 8.*

Cum sit tibi dens ater, & rugis vetus

Frontem senectus exaret.

Unde seniles rugæ ab Ouid. 3. Fast. Inque suo pretio  
 rugæ senilis erat. Et alibi. Namque meos vultus ruga  
 senilis arat. Dicitur præterea ruga in fructibus & ve-  
 stibus. Plant. Cas. usus est verbo rugare absoluto. Vide  
 pulliolum, ut rugum id est, ut rugosum est? FRONS SE-  
 RENATA) Nubes enim frontis, & nubes supercilij  
 ut aq. opinios appellatur seuorū nimis ac tristis vultus,  
 sine cogitatione aliqua maiore, aegritudineque perturba-  
 tus; quæ, ut nubes cœli, splendorem ac serenitatem macu-  
 lant. Plura Viet. lib. 16. cap. 14. NON VIDEMVS  
 MANTICÆ) Caull. ad Varum.

Nimiram idem omnes fallimur, neque est quisquam

quem non in aliqua re videre Suffenum possis.

Suus cuique attributus est error:

Sed non videmus manticæ quod in tergo est.

Ad Æsopi fabellam respexit, quæ sic Stobæus narrat.  
 Æsopus aut unumquemque nostrum duas gestare peras  
 seu manticas, unam a fronte, alteram a tergo. Et in illa  
 quidem reponere salere peccata aliena: in hac propria.  
 Idcirco nostra non videmus. Horat. Sat. 3. lib. 2.

Dixerit insanum qui me, toridem audier, atque

Respicere

Respicere ignoto discet pendentia tergo?

*Persius Sat. 4*

Vt nemo in sese tentat descendere? nemo:

Sed præcedenti spectatur mantica tergo.

*Plant. Stich.*

Sed curiosi sunt hîc quam plures mali,

Alienas res qui curant studio maximo,

Quibus ipsis nulla est quam procurent sua.

*Addam pauca ex Cic. Tuscul. 3. Est enim proprium*

*stultitia aliorum vitia cernere, obliuisci suorum. O B-*

*DVCTAM ET CAPERATAM) Caperare No-*

*nio est rugis frontem contrahere, & asperare: tractum à*

*caprorum frontibus asperis. Plant. Epid. Quid illud est,*

*quod illi caperat frons seueritudine? Varro Eumenid.*

*Quin mihi caperatam tuam frontem Strobile omittis?*

*MVCCINIVM TIBI) Linteum quo exceptatur*

*nasi mucus sic videtur nominasse lib. 2. Arnob. scriptor*

*& antiquus, & sanè quam cultus. Strophium, & lin-*

*teolum rem minus aptè significant. NVMQVID*

*VI S?) Abituri, ne id durius facerent, numquid vis? di-*

*cebant his, cum quibus constitissent. Terent. Eunuch.*

*Dum hæc dicit, abiit hora: rogo numquid velit. Rectè*

*inquit. Abeo. Hoc est, dico quod abeuntes salent, signi-*

*fico me abire. Et, Rectè, id est, nihil: Sic Donat in eum*

*locum.*

## PROGYMNASMA

### NONVM.

*Mala, os, labra, dentes, vultus.*

*GENESIVS, LEONTIVS,*

*PARMENIVS.*

**G**ENESIVS. Purpurissû, cerussam, stibium,  
quibus mulierculæ ad deformitatem te-



gendam, & ad pulchritudinis laudem aucupandam genas & supercilia pingere, fucaréque interdū solent, ecquid vllō modo adolescenti probō ingenuoq; adhibenda putatis? L. Dicā quod Parmenius quoque approbet. Non adhibebit, nisi fœminam se quā marem natum esse malit. P. Mihi iam lanugo malas vestit, hunc fucum optabilem iudico. Quin ne mulieres quidē paulō grauiōres istis pigmētis vnguentisq; vtuntur. Ac tum bene olet fœmina, ait Cicero, ni fallor, cum nihil olet. G. Tenebā duo dicta ad argumētum vestrum peridonea, quæ animo exciderunt: alterum Pythiadis filiæ Aristotelis, alterum Catonis Censorij. L. Pythiadis hoc fuit. Interrogata quis color esset pulcherrimus, respondit: qui in adolescētibus ingenuis ex pudore nasceretur. P. Occurrit mihi Catonis. Dicebat sibi magis placere iuuenes, qui erubescerēt, quā qui pallecerent: quod rubor notaret probam indolem, pallor non item. G. mihi verò tertium in mētem venit, duobus his minimē alienū, Diogenis Cynici. Is adolescētī cui dam erubescenti, atque ob id perturbato: bono animo esto, inquit, fili, istiusmodi est virtutis color. Videtis iā, quæ admodū isti malas iuueniles colorari velint; natio scilicet ac liberali colore, quem pudor & verecūdia, quæ sunt propria huius ætatis ornāmēta, generare consueuerunt. Eū nisi fœminæ quoque habuerint, in ipsa forma tum naturali, tum commentitia sunt deformissima. P. Os quo pacto rectē cōponitur? G. Si labra leniter sese contingant, neque constringantur, neq; hiatus dissiugantur, ne dentes appareant: vtrumque turpitudine

dine non vacat. Nec decorum est rostellum formare, vt qui poppysmū edunt. Sunt qui per diē os aliquoties eluunt. Scire licet hoc à magistris morum vituperari. Manè autem si id fiat pura & frigida, quia salutare est, laudatur. Cū oscitamus, & corpus auertere à præsentibus nō possumus, linteolo aut vola os cruce signatum obtegere iubemur. L. De labris displicet sanè, quod interdū in te Parmeni obseruo. P. Quid obseruas? L. Supernis dentibus mordes inferius, & infernis superius. Vtrumuis faciunt qui excandescunt, quique minantur. Quid quod etiā lingua eiecta circumlambis nō nunquam labia? hoc (sit venia dicto) feles & canes solent, vbi quidpiam comederunt. P. Per imprudentiam factum est, si factum est. L. Non sunt etiam porrigenda labra, nec adducēda. Nec edendus ore strepitus aut sibilus, aliūdue signum, cū vel admiramur, vel ludibrio quidpiā habemus. G. Dētes tui, Parmeni, sūt nigri. P. sunt certè. At qua ratione albos reddam? G. puluisculum ex pharmacopoliis audio puellas petere. Quod mihi cū vanum, tum delirum videtur esse, vt dicam cū Lucretio. At tu has noli imitari; nec sale aut alumine in hanc rē vtere, quoniam gingiuarū lædūtur, alium modum quære. Aspexi etiam te ad illos purgandos cunctello vti: hoc perniciosum credas. Audiēdus hic nobis idem Martialis de dentiscalpio. P. Quid is? G.

*Lentiscum melius; sed si tibi frondea cuspis*

*Defuerit, dentes penna leuare potest.*

Nec vnguibus, nec mantili adhibito extrahere ciuile est, si quid inhæsit. L. De vultu adde vnum verbum.

verbum. G. ne sit tristis, asper, tetricus, sed hilaris, placidus, iucundus, quantum naturæ nostræ imperare poterimus: nam ab animo vultus fingitur. Ita tamen lætus, vt habitus oris honestus retineatur. Nec sæpe cōmutetur, quo nos inconstantia suspicione exsoluamus. L. Tu nobis hodie Præceptor quidam fuisti, & oratio tua egregiè nobis probatur.

---

 ANNOTATIONES.
 

---

**P**VRPVRISVM, CERVSSAM, STIBIVM) *Nimiam sese ornandi diligentiam, & immodicum formæ conciliandæ studium, odorum pigmentorumque delicias vituperavit etiam in sua Proper. tantum abest, vt in muliere honesta ac pudica luxus ille meretricius probandus videatur. Et præterea Terent. Heaut. ubi Chtesipho non absque stomacho.*

*Non cogitas hinc longius abesse, & nosti mores mulierum:*

*Dum moliantur, dum comuntur, annus est.*

*Apud Sybaritas, gentem effeminatissimam, Plutarchus in Conuiuio septem sapientum, & Athenæus lib. 12, legem fuisse tradiderunt, ut anno priore mulieres inuiterentur, si quas conuiuio, aut sacrificio publico adesse vellet. Totum nēpe spatium illud, ad sese per orium vestibulus & auro ornandas ipsis concedebatur. Sed Plautum audiamus Pœnulo:*

*Pulchrum ornatum turpes mores peius cœno collinūt.*

*Lepidi mores turpem ornatum facile factis comprobāt.*

**IAM LANUGO MALAS VESTIT)** *Lucr. lib. 5.*

*Tum demum pueris æuo florente iuuentus*

*Occipit, & molli vestit lanugine malas.*

*Virgil.*

Virgil. 8. *Aeneid.* Tum mihi prima genas vestibat flore  
 iuuenta. Lanuginem vocat florem, eandem eodem libro  
 vestem. Aurea casaries ollis, atque aurea vestis. Ita Lu-  
 cret. lib. 5. & impubem molli pubescere veste: statimque  
 sequente, mollem barbam. Et pariter mollem malis de-  
 mittere barbam. Ex quo vesticeps, qui est pubes, & in-  
 uesticeps, impubes, inuestis, plane imberbis. Nonius. In-  
 uestes dicuntur impuberes, quibus propter teneram eta-  
 tem nulla pars corporis pilat. Sed melius intelligi po-  
 test inuestes appellatos, quasi in Vesta, id est, in pudicitia  
 & castitate. BENE OLET FOEMINA) (sic. ad  
 Att. epist. 1. lib. 2. Quamquam tua illa (legi enim li-  
 benter) horridula mihi, atque incompta visa sunt: sed  
 tamen erant ornata hoc ipso quod ornamenta neglexe-  
 rant; & ut mulieres, ideo bene olere, quia nihil olebant,  
 videbantur. Et in Orat. Ut mulieres esse dicuntur non-  
 nulla inornata, quas id ipsum deceat: sic hac subtilis o-  
 ratio etiam incompta delectat. Plaut. *Mostell.* *Acas-  
 stor,* mulier rectè olet, ubi nihil olet. Similis sent. *Var-  
 ron*is quam profert *Macrob.* lib. 3. *Saturnal.* Bellaria  
 ea maximè sunt mellita, quae mellita non sunt. P O P-  
 P Y S M V M) *Poppysma* & *poppysmus* (virūque enim  
 dicitur) est acutus ille sonus, qui labris compressis edi-  
 tur. Etiam est blandus ille sonitus, quem equorum do-  
 mitores, & magistri equos leniter manu attrectantes  
 edunt. *Virgil.* *Aeneid.* 12.

Circumstant properi aurigæ, manibusque laceffunt  
 Pectora plausa cauis, & colla comantia pectunt.

PRO

PROGYMNASMA  
DECIMUM.

*Cervix, humeri, brachia, manus,  
ungues, auricula.*

*MAGISTER, PETRONIVS, SUL-  
PITIVS discipuli.*

**M**AGISTER. O Petroni, Petroni, quam contumax puer es? Sæpicule te docui, ne antrorsum cervicem inflecteres, néue resupinares, néue in dextrum, néue in sinistrum latus inclinares, sed molliter erectam sustineres. Tu nihilominus in his omnibus offendere non dubitas. Si necessitudo aliqua postulet, non interdixerim, quin eam in vtramvis partem, atque etiã antrorsum retrorsumq; intorqueas. P. Cõsuetudo hoc facit; consuetudinis magna est vis. M. Si ego è diuerso in consuetudinem venero te pro istis solæcismis assiduo pulsandi, non facile abstrahar ab hac cõsuetudine. Súmne planiloquus? paucisne rem ipsam attigi? scapulas quoque, vt si te pedes morderent, crebrius agitas, & adducis. Tu Sulpiti, cur ita fœdè commoues humeros? tene quietos & æquales, ne, tanquam in trutinam eos imposueris, nunc istum attollas, nunc alterum demittas. Nisi vitium emendas, emendaberis. Ex more tandem fit ob diuturnitatem natura: & quas illa corpori prauitates ac distortionem non dedit, eas consuetudo pessima conciliat. Dum fingi ac flecti potestis, fingam & flectam

etiam vos. S. non aliud habeo dicere ad excusandum, quam quod dixit Petronius: non fit voluntate & consilio, sed mera assuetudine, & per imprudentiam. M. Itaque non aliud vicissim tibi, quam illi responderim. Quod verò nunc ansatus incedis, nunc brachia in tergum reiecis, nostin', quos referas? S. quos? P. In illo ostentatores, in hoc fures, qui manus ponè reuincti, ad furcam educuntur. Portares ante pectus. hem pigritiam! Credisne etiam decere manus inter se fricare? S. egone istuc? M. Vno die vel centies. Easdem pectinatim inter se complicare tristitiæ indicium est. Quò autem illæ proferentur, eodem oculos sese intendere conuenit. Prò scelus, quam lógi, quam lutulenti vngues? opportunè cultellus calamarius in manu est: iam præsecabo vobis istos pulchellos vnguiculos tam leniter quidem, vt præ dolore clamorem ingeminetis. S. A Præceptor, da veniam, ipsi præsecabimus domi. P. Ego præmordere soleo. M. honestius præsecantur: quamquam diligentes attentiq; studiosi non aduertentes id faciunt quod tu: Vnde si quid cū cura & diligentia scriptum indicare volumus, demorfos vngues sapere dicimus. Atat, etiam auriculæ sordibus onustæ sunt. O immúdos. Purgate quamprimùm, aut in ludū ne redite. P. Purgabimus. M. Sed est insuper paucis quod vos monitos voluerim. S. quid nā istuc est? M. In aperiendis partibus, quas natura contextit atque abdidit, videte dum necessitati paretis, vt id quam occultissimè faciatis, ne quid indecorè ac parū modestè, quamuis neminem visurum sciatis. Honestas enim etiam sine teste diligenda & custodienda

dienda est. Hoc moneo, quòd negligentes vos hac in re deprehenderim. P. & S. Ad hunc lapidem deinceps non offendemus.

---

ANNOTATIONES.

**I**N HIS OMNIBVS OFFENDERE) Quoniam duplici notione reperitur verbum offendere. Est etenim ledere, cuius exempla sunt notissima. Item reperire, epist. 14. lib. 5. Tam misero tempore nihil novi consilij cepissem, nisi in reditu meo nihilo meliores res domesticas, quam Rempub. offendissem. Et incidere. 2. de Inuent. Quòd si in ceteris quoque studiis à multis eligere homines commodissimum, quodque, quam se uni alicui certo, vellent addicere: minus in arrogantiam offenderent. Et peccare, vel aliquid committere unde existimationis, honoris, benevolentiaque iactura fiat. epist. 18. lib. 2. Si dignum se maioribus suis præbuerit, ut spero & opto, tua laus ex aliqua parte fuerit: sin quid offenderit, sibi totum, nihil tibi offenderit. Ad Att. epist. 4. lib. 10. eumque perturbatum, quòd intelligeret se apud ipsam plebem offendisse de erario. Passiuè demum, sumitur epist. 14. lib. 5. Ex quibus aut in altera mihi velim, si potes, obtemperes: aut in altero non offendas, pro, offendaris. Pro Milone. Si in me aliquid offendistis. Cesar 2. de bello ciuili. At, credo, si Cesarem probatis, in me offenditis, pro, offendimini. Hac quam licuit breuissimè, mugno cum desiderio commodandi studiis adolescentum ex Manut. in epist. 14. lib. 5. De quo viro cum omnia præclara sentiam, tum verò ita de Cicerone meritum iudico, ut melius nemo. **CONSVETVDINIS MAGNA EST VIS**) Ita sanè in 2. Tuscul. Cicero. Ac tanta omnino vis, ut cantetur vulgò: consuetudo altera natura:

natura: quod est in 5. de finib. Græci, ἡ χρεῖσις ἑτέρα  
 φῶσι. Cuius sententia primus auctor Theophrastus. Gra-  
 uissimum est imperium consuetudinis, inquit Pub. Sy-  
 rius. Cic. 1. de Inuent. consuetudo vim naturæ obtinet. Et  
 1. de leg. Corruptela male consuetudinis igniculi extin-  
 guuntur à natura dati, exoriunturq; & confirmantur  
 vitia contraria. V T S I T E P E D E S M O R D E -  
 R E N T) Pedes dicuntur, quos deminuto vocabulo pe-  
 diculos nominamus. Ab his pedicosi appellantur. Vt est  
 illud: pedicosus, *scelus*, ubi me videt, caput scabit,  
 pedes legit. Iosephus Scaliger contendit, Festum, apud  
 quem hæc sunt ex *Tirinio*, pedidosus legere debuisse.  
 Profert etiam carmen *Lucily*. Quod deformi senex, pe-  
 didosus ac podagrosus. *Plaut.* *Vidularia* muliebri gene-  
 re, & singulari numero extulit. Vbi quamque pedem  
 videbat, suffurabatur omnes. D V M F I N G I, A C  
 F L E C T I P O T E S T I S) Nonimus quid usu veniat  
 agricolis in stirpibus adultioribus: franguntur citius,  
 quam inflectuntur. Idem in ætate humana cōtingit. Re-  
 gitur, & quamuis in partem dirigitur facillime, dum  
 tenera est: grandis & robusta inflecti se non patitur. Il-  
 lustrabunt hunc locum, quæ sunt apud *Flaccum* in ex-  
 trema epist. 2. lib. 1.

Fingit equum tenera docilem ceruice magister,  
 Ire viam, quam monstrat eques. Venaticus ex quo  
 Tempore ceruinam pellem latrauit in aula,  
 Militat in syluis catulus. Nunc adbibere puro  
 Pectore verba puer, nunc te melioribus offer.

N V N C A N S A T V S I N C E D I S) Quid sit ollatan-  
 sata, latet neminē. Cum itaque sublatis curuatisq; bra-  
 chiis manus ad latera adinuemus, ansas exprimimus.  
*Plaut.* *Persa*. Sed quis hic ansatus ambulat? Rem eā-  
 dem declarant, quæ proximè antecedunt: subnixis alis  
 me inferā. Barbari & in sermone Latino hospites, cum



aliquid dicendum, quod quemadmodum dicatur, ipsi prorsus nesciunt, ita loqui consueverunt: gestu adhibito. Faciebat sic, ita tenebat caput, habebat mirabile instrumentum, nescio quomodo vocatur: erat quasi, &c. Sic verba plus decem, non absque auscultantium fastidio profundunt, ubi unum & alterum & suffecisset, & rem aliquantò melius expressisset. IAM PRÆSECABO VOBIS) Vnde præsegmina. Nonius. Proprie Plaut. Aulul. præsegmina ea dici voluit, quæ unguibus eminulis præsecantur.

Quin ipsi pridem tonsor vngues dempserat,  
Collegit, omnia abstulit præsegmina.

QVAS NATURA CONTEXIT ATQUE ABDIDIT) Cic. 1. Offi. Principiò, corporis nostri magnâ natura ipsa videtur habuisse rationem: quæ formam nostram reliquamq; figuram, in qua esset species honesta, eam posuit in promptu. Quæ partes autem corporis ad naturæ necessitatē data, aspectum essent deformem habuere, atque turpem, eas contexit atque abdidit; & quæ sequuntur, ad commendandum inuentum tum in rebus & actionibus ipsis, tum in colloquiis decorum dicta grauissimè. Arnobius Lactantij magister idem Christianus, idem disertus & elegans scriptor, considera mihi, quam venuste ac rectè loquatur lib. 5. cōtra gentes. Partes illa, quas pudor communis abscondere, quas naturalis verecundia lex iubet: quas inter aures castas sine venia nefas est, ac sine honoribus appellare præfatis. AD HUNC LAPIDEM DEINCEPS) Cic. epist. 20. lib. 10. Culpa enim illa, bis ad eundē, vulgari reprehensa proverbio est. Græcè sic, δ' ἰς τὸ ἐὸς τὸν αὐτὸν αἰσχρὸν εἰσέρχεται ἄλθρον. Similia sunt. Improbe Neptunū accusat, qui iterum naufragium facit. Et illud Horatij ad Pisones. Ridetur, chorda qui semper oberrat, eadem.

PROGYMNASMA  
VNDECIMVM.

*Spuere, tussire, eructare, screare,  
oscitare, vomere.*

PRVDENTIVS, STANISLAVS,  
ROBERTVS.

PRVDENTIVS. Non sceminis duntaxat, sed adolescentibus quoque vitio vertendum audiui à Magistro, crebrius expuere. Qui mihi (vt est homo in scriptis veterum diu multumque volutatus) è Xenophonte referebat: apud Persas sepius spuere, nares emungere, eructare, fuisse vituperationi obnoxia. Et quia hæc perrarò facerent, fuisse rem ipsam testimonium moderati ipsorum victus, laborumq; quos cibi conficiendi causa susciperent. At quidam non tanta compulsi necessitate, vt equidem suspicor, sed more malo prauoq; etiam dum sermonem cum aliis exsequuntur, post tertium quodq; verbum spuunt. S. Sunt humidior cerebri. Quid illis facias? vt saliuam deglutiant? hoc medici non approbauerint. R. Sinamus eos spuere, cum ipsorum constitutio id requirit, dummodo urbanè, declinatione quadam corporis, nulliusq; vestem conspurcantes. Item, si quid scœdus purulentiusq; ac per screatum eiecerint, pedè illud (ne aspicientem cum nausea offendat) subito conterentes; quanquam huiusmodi phlegmatica sputa qui sudariolis excipiunt, vt omnino ne videantur, multò se gerunt ciuilius. P. Illud ab-

surdum rusticumq; duco, quod nonnulli tussiculis interpositis loquuntur. Afferunt profecto opinionem audientibus, se non habere parata quæ verbis prodant, & interea dum ita tussiant, confingere aliquid, ac mentiri velle. R. In vitio sunt isti, quod patet. At illi magis, qui, cum natura compulerit, cum sonitu maximo tussiant, ut exaudiri possint è longinquo, presentesq; pituitosa aspergine contaminant. Quid autem videtur tibi, Stanislae, de crudioribus, aut saturitate ebriis quibusdam, qui ructus haud cohibent, verum apertis faucibus foetentem crassumq; fumum è stomacho ascendentem in alios exhalant? S. Quid aliud, nisi frontem perfricuisse? P. Scæpius screeantes, & cum impetu magno, perinde ut si conuellere pulmones, & euomere omnia viscera conarentur, ferre nunquam potui. R. Nihilo magis ego. P. Solent etiam pueri distantes, inuicem screeantibus sibi signa dare, seseq; monere atque appellare quodammodo. Hoc modestiæ legibus aduersatur. R. Quam inelegans etiã illorum mos, qui cum oscitant, pergunt loqui, nec loquuntur tamen, sed tanquam muti semet ad loquendum videntur urgere. Et est reuera potius vlulatus ille, quam vox dicenda. P. Adulescens honestatis studiosus, etiam cauebit ne frequenter oscitet. S. Quamobrem? P. Qui id facit, existimari potest eorum quibuscum versatur cœtû colloquiûque fastidire, & alibi esse malle. Arguit deinde eadem res hominem animo & corpore otiosum atque segnem: occupatos enim raro oscitare cernimus. S. Quid vomentes? nû hos perferre potes? P. Quosdam ad vomitionem  
 crapula,

crapula, quosdam stomachi imbecillitas, aut cruditas aliqua improuisa compellit. Atque illos quidē, qui propter ingluuiem vomunt, inter porcos deceret vomere: cum ipsi inter homines videantur quidam porci, quos scimus sordibus & luto amicas esse animantes. Quacunque autē de caussa eueniat, secedendum est in latebram. Multa quippe sunt, quæ cū naturaliter fiant, ita demum honestè fiunt, si occultè: inhonestè, si in propatulo. R. Quomodo tu hoc nulla interposita dubitatione confirmas, sic nos eidem nihil omnino refragantes, vt ἀποδέξαι assentimur.

---

 ANNOTATIONES.
 

---

**C**REBRIVS EXSPVERE) Locus est in 1. de vita & disciplina Cyri: sic enim in Bruto v̄ps̄ τ̄αυδ̄έαι Cicero conuertit, eosq; libros ad Q. F. ep. i. libro 1. non ad historia fidem, sed ad effigiem iusti imperij scriptos, & a Scipione Africano nunquam de manibus poni solitos confirmat. Quin se ipsam quoque v̄ps̄ τ̄αυδ̄έαι contriuisse legendo, totamque in imperio suo (quod in Cilicia administrabat) explicasse gloriatur epist. 25. lib. 9. **I**PSORVM **C**ONSTITVTIO) Complexio Ciceroni est verborum comprehensio, seu periodus, argumenti conclusio, dilemma, confusio quedam in verbis, & genus exornationis apud Cornificium in 4. quod Repetitionem Conuersionemq; complectitur. Habitudoinem & temperamentum corporis, constitutionem vocabimus, eamq; firmam, infirmam, bonam, malam, &c. Cic. 3. Off. Corporis firma constitutione, cuiusque constitutionis

spe explorata, vita omnis beata (ut à Metrodoro scriptū est) continetur. SATVRITATE EBRIVS) Plaut. Capt. Vnde saturitate sepe ego exyebrius. Verba sunt Ergasili parafiti. Porro ebrj vocabulum ut hic ad saturitatem, sic ab Horatio ad fortunam bellissimè translatum est: Cleopatram quippe fortuna dulci ebriam dixit Ode 37. lib. 1. Demosthenes item Philippum secundis rebus ebrium. Et Philostratus in Herodis vita homines diuitiis ebrios. Et Theocritus Amycum plagis ebrium. Plaut. ebriam cœnam, pro adipali & opipara, sic vestis ostro ebria legitur, quam Martial. simili metaphora, saturatam murice appellat. Lucret. in 3. Ebrius vrgeris multis miser undique curis. Lege cap. 6. lib. 3. apud Iunium, & 16. libr. 5. apud Muretum. FRONTEM PERFRICVISSE) τριψαι μέτωπον Greci eodem sensu, cum nimirum significant, aliquem impudentem factum. Cic. 3. Tuscul. de Epicuro, Cum os perfricuisisti. Reliqua Victor. lib. 8. cap. 6. OCCVPATOS ENIM RARO OSCITARE) Cessantibus planeq; otiosis amica est oscitatio. Quare si quis fortè de huiusmodi numero in turba sui similium oscitauerit, mox illos alios etiam videbis oscitare, tanquam signo dato admonitos. Est præterea satis notum, quid oscitans in lingua Latina significet: negligentem scilicet ac desidem. Vitiū appellatur oscedo. Eodem nomine vocantur oris ulcuscula, quas medici aphthas. DECERET VOMERE) Vocabula vomere & euomere quàm festinè ad alias res significandas translata sint, docet Victor. libro 22. cap. 14.

PROGYMNASMA  
DVODECIMVM.

*Risus, sessio, genuflexio, incessus.*

PAEDAGOGVS, COELIVS, QVINTIVS,  
FERDINANDVS *alumni.*

PAEDAGOGVS. Si tenetis, pueri, quæ de morum honestate & elegantia adhuc præcepta vobis sunt, bene est, & à me initis solidam & grandem gratiam. C. Tenemus utique. P. Tu quidem citra cunctationem satis audacter affirmas pro omnibus: videbimus quam verax fueris, cum depositum exegero. Q. Inter nos hesternum die repetiimus omnia, cum tu abesses. F. Si vel iam interroges me, possum recitare. P. Erit cum interrogo. Nunc alia vos docebo. Ac primum quæ in risu cauenda. Adeste animis. Totum corpus clamorissimo, & insulissimo cachinno concuti, probro datur cuius sexui, cuius ætati. Fuge cachinnari, ni faxis, plorabis. Vitiosissimum est etiam, quod quidam ridendo hinniunt. Alij os tam vastè diducunt, itaq; dentes spectandos exhibent, uti canes, cum ringuntur. Adolescentiam verecundius ridere, ac potius tantum subridere pulchrum est, quod Platonem adhuc adolescentem factitasse inuenio: nec ridere quia consueuerit, sed quia ita necesse sit. Neq; verò quæquã propter aliquid à se lepidè ac iocose dictum ridere conuenit, ne semetipsum commendare quasi facetum videatur. C. Habemus quomodo riden-

dum sit, sine cachinnis, sine hinnitu, ore clauso, aut paulum modesteq; aperto. Quando arridendum est? P. Qui dictis factisue aut suis, aut alienis penè omnibus arridēt, stolidi: qui nullis unquam, stupidi: qui flagitiosis & impuris, pueris, lasciuq; iudicantur. Q. Aliquando quispiam in solitudine, aut facetæ rei veniens in memoriam, aut incerta de causa repentinò ridet. Quid de huiuscemodi risu sentis? P. Quid sentiam? Idē Catullo. Nam risu inepto res ineptior nulla est. Et quod in monostichis legitur:

Γελαῖ δ' ὁ μωρὸς κὰρ τιμὴ γελῶσιν  
*Cum causa nulla, morio ridet tamen.*

Si cui defubitò, aliis præsentibus, risus eruperit, vt abhinc biduum Quintino, quid agendum? P. vt risum hunc inopinatū mirari desinant ceteri, & ne quis è corona se derideri arbitretur, promatur causa, si proba est. Si tacenda, aliquid eiusmodi afferatur, per quod leuitatis & ineptiæ suspicionem euitemus. C. Quantum intelligo, non placent tibi loquendi illa genera, risu corruere, diffluere, emori & similia. P. Non plus quā ipsi risus intemperates atq; immodici. Q. Si mihi propter factū, narrationemq; aliquā de improvisò tantus cōcitetur risus, qui simul latera, os, venas, vultum, oculos occupet, quem quantumuis cupiens tenere nequeam, quid agam? P. Strophio, aut explicata manu os tegendum suadeo. Quales in sedēdo quoque vos esse oporteat, indicabo. Equè parum elegans & politum existimo, distractis diuulsisq; sedere genibus, atque diuaticatis & disiuñctis consistere tibiis. Cū sedebitis genua, cū stabitis pedes cōiungite,  
 aut

aut aliquantulum disiunctos habete. Ne pedem dextrum sinistro superponite cum statis, ne conicias imitamini, quæ alteri pedi insistant: neue ita tibias componite, vt dimidiatum X. stantes exprimatis, seu, ne decussatim stetis: ne tibiam super tibiam sedentes locate, neue pedibus ludite, neue alioqui manib<sup>9</sup> gesticulamini: hæc omnia fœda sunt, & mentem vagam minusq; seria cogitantem produunt. F. **Quintinum** ter quater ita sedere, vt dicebas, obseruauit. **Q.** Tace tu, ne tua quoque vitia. Nam profectò nec stare, nec sedere, nec ridere satis aptè nosti. F. **Quot maledicta?** **Q.** Indignis si maledicitur, maledictum id esse ducò. Verùm si dignis dicitur, benedictum est, meo quidem animo. F. **Carnifex** quæ loquitur? **P.** Silentium esto, non hîc linguis, sed auribus vsus est. Indecorum porrò est ita sedere, vt corpus in alterum, velut fulcrum inclines, aut ei tergum obuertas, pedemue sic extollas, vt subligar appareat. **Q.** Scio qd hîc peccet. **P.** Iterum edico, sile. De flectendis genibus hoc accipite. Vtrumque simul iunctim æqualiterq; inflectere mulierum est. Hoc facere cauebitis. Religiosi & monachi verticem loco genuflexionis inclinant, modicè curuato corpore reliquo. Vos recto corpore manentes, reducto aliquantùm pede dextro vtrumque poplitem mediocriter curuabit. In hoc tamè, vt in aliis ad mores spectantibus, populorum regionumq; mos sequendus, si cum honestate nõ pugnet. Etenim vnaqueq; natio suos sibi mores laudat, alienos ac peregrinos ægrius tolerat. Atque hoc sæculo optandum esset, vt quidam Germani Italismis, Hispanismis,



Gallicisq; pareius vterentur, & suum sibi pulchrum domi haberent, quomodo aliæ nationes, patriisq; moribus & institutis viuerent. C. Arbitramur te copiosum esse posse, si neoterismos istos velles sigillatim recensere. P. At nihil est necesse. De incessu audite. Cic. 1. Offic. Cauendum autè est, ne aut tarditatibus vtamur in ingressu mollioribus, vt pomparum ferculis similes esse videamur, aut suscipiamus nimias celeritates. Quæ cum fiunt, anhelitus mouentur, vultus mutantur, ora contorquentur. Ex quibus magna significatio fit, non adesse constantiam. Ineptum item passus amplos facere, pedes altè attollere, cum sonitu in terram deponere, tibias collidere, inclinare se inter eundem ad tibialia attrahenda, motu clunium gressus anatum æmulari. Hæc vitabitis, & quæ præcepi paulò antè & aliàs, ea vsu exercebitis. C. Sic nos amabit veneranda Honestas, vt præcepta tua nostra modestia vsque facta tecta habebimus. P. Quamuis autem in singulis istiusmodi, si pecces, paruum quoddam peccatum atque leue committi videatur, tamen vos cogitate, in multis simul atque adeo vniuersis prætermittendis grauitè multumque peccari: ex compluribus enim minutis erratis conflatur quoddam ingens. Quò verò maiora sunt, eò cautione opus est maiore; siquidem non ita facilis est singulorum, & tam variorum multorumque animaduersio. Quod si contemnantur, consuetudo nascetur in moribus assidue labendi. Iam vt impensæ mediocres & parvæ, si crebræ fuerint, paulatim & occultè magnum quoq; thesaurum exhauriunt atque consumunt; sic ista minima &

leuissi

Ieuissima delicta propter copiam suam quasi furtim hominibus eximiis famam atque existimationem magis ac magis eripiunt.

---

 ANNOTATIONES.
 

---

**R**ISVS) Due affectiones, risus atque fletus humane nature sunt propriae, & usitatae admodum: nec aliud in scholis Dialecticorum, cum de proprietate quarti modi loquuntur, est illo tritius: homo est animal aptum ad ridendum. Cicer. in 2. de Orat. capita solum indicat, quae de risu disputari possent: ipse nullum disputat. NIFAXIS, FLORABIS) οἰμώεις, eris miser. Graeci quomodo cui bene cupiunt, eum iubent χαίρειν, & εὖ πᾶσαιτεν gaudere, & bene re gerere, ita cui vel minantur, vel malum damnūmne precantur, eum iubent οἰμώζειν, κλαίειν, Latini plorare, flere. Horat. Sat. ult. lib. 1. Discipularum inter iubeo plorare cathedras. Et Sat. 1. lib. 2.

Qui me commōdit, (melius non tangere clamo)  
Flebit, & insignis tota cantabitur vrbe.

Et Ode 5. Epod. O multa fleturum caput. Legas censeo Victor. lib. 13. cap. 12. AVT TARDITATIBVS VTAMVR) Basilij quoque praecipuum Ciceroniano huic simillimum, hoc est, καὶ τὸ βᾶδισμα, &c. Incessus esto nec segnīs, ne animum dissolutum declaret: nec rursus vehemens, insolentēque incitatus, ne consternatos impetus animi significet. EX COMPLVRIBVS ET MINVTIS) Hesiodus lib. 1.

Nāmq̄ super paruum si paruum apponere cures  
Idque frequens facias, ingens conlurget acerus.  
Plutarch. lib. de prof. virtutis sentiendo. Non mediocre,  
inquit, argumentū est, nos in virtute progredi, si nullum  
iam

*iam peccatum leue & exiguum putemus: sed omnia studiosè vitemus atque obseruemus. Vt enim qui diuites se fore desperant, paruos sumptus facere pro nihilo habent; quod nihil magni futurum putant si paruum paruo adiciatur: spes autem ad finem propius accedens simul cum diuitiis auget diuitiarum amorem. Ita in virtute, qui nõ dicit: quid tum postea? modo sic, aliàs melius; sed singulis intentus, ubi vel minimo peccato vitium se insinuans venie locum dare videtur, agrè fert & indignatur, satis ostendit, se purum aliquid sibi iam comparasse, quod inquinari nullo modo velit.*

---

VESTITVS, SIVE HABITVS.

---

PROGYMNASMA  
DECIMVM TERTIVM.

*Vestes literatorum.*

*ÆMILIVS, LIBERALIS.*

**Æ**MILIVS. In hac peregrinatione mea, quæ mihi velut libera quædã legatio concessa est, cum animi causâ nobiliores Germaniæ ciuitates obirem ac perlustrarem, in Academiã quandam ingressus sum. Eo ipso die commodum accidit, vt quindecim, facie liberali, togati omnes, & quadratis pileis capita velati adoleſcentes in aula Academica pulcherrimis peripetasmatis exornata, præsentib<sup>9</sup> viris eruditis illustribusq; & studiosorum frequentissima corona, artium ingenuatum, & philosophiæ Magistri decerne

cernerentur. Et quia tum mos est de insigni aliquo themate, quod literas literatōsue attingat orationem haberi ab eo, cui Promotori nomen inditur, quiq; Candidatis illud dignitatis vocabulum imponit, disputabat ille de cultu literatorum, oratione longiuscula, grauitet sanè. cōpositè, ornatè & copiosè, cū magna, vt apparebat, assensione audic̄tium. L. Argumentum profectò his temporibus cōgruens & frugiferū tractauit. Nunc enim ceruimus volitare studiosos militibus alijsve profanis hominibus quàm simillimos. Æ. Hoc ille quoq; deplorabat istāque siue leuitatem, siue stultitiā, ipsa, cuius se alumnos profiterentur, sapientia indignissimam asseuerabat. L. Quæso Æmili, retinuisse summam orationis huius? Æ. Summam? quid si penè totam edidicerim? L. Qui hoc fiat semel audiendo, quamuis memoriæ præstantia cum illis antiquis contendas? Æ. Amicus mihi in ea Academia, atque adeo vnus de numero illorum Magistrorum est. Is oratu meo à Doctore ac Promotore suo eam extorsit; mihi deinde describendi copiam fecit, descriptam attentius ac sæpius legi. L. Vellem placeret tibi capita ipsa apud me ediffertare, si tantum est otiosi: idque ego haud vulgaris beneficij loco ponerem. Æ. Faxo vt sit; & hanc tibi operam dabo haud inuitus. Capitibus adibo periculum dum profim tibi, ait in Comædia nescio quis. L. In opaco illo frigidioreque loco sub platano propter aquæ riuum in herba tenera confidamus. Æ. Vt vis. Proponebat se de tribus dicturum. L. Audio. Æ. Primum. Certum quoddam genus vestium conuenire  
his,

his, qui se studiis liberalibus consecrassent. L. Intellego. Æ. Secundo loco oppugnaturum eos, qui aut nimium luxuriarentur in cultu, aut sordibus & squalore delectarentur. L. Tripartita hæc propositio (nam secundum membrum in duas diuisum est partes) admodum mihi commoda & plena videtur. Quomodo igitur princeps illud caput explicabat? Æ. Ostendebat literatos inter profanos Deoque dicatos homines (quos Ecclesiasticos, & Religiosos contritis iam vocibus nuncuparemus) quasi medios incedere, & ita ad utrorumque communitatem inclinare, ut rursus ab utrisque non paulum declinarent. L. Quid hinc effici volebat? Æ. Disparibus vitæ generibus institutisque disparem respondere habitum oportere, quo illa in vulgus cognoscerentur: alioqui perturbationem & confusionem consecuturam. Quapropter sicut religioso suus, ciui suus, colono suus, aulico suus, militi suus, futori, fabro, coco, venatori suus, ita consecratoribus Musarum suus quidam certus sit vestitus, quo ipsi, qui neque ad profanos, neque ad sacerdotes usquequaque accedunt, ab utroque ordine, & à cæteris vniuersis per indicium manifestissimum internoscantur. Ut ne amictus similitudo esse opifices nescio quos, aut agricolas, aut bellatores, aut quosdam otiosos adolescentes, de iis qui noctu plateas perambulant, inuenti suspicionem commoueat. L. Argumentatio haud ineptè conclusa. Formamne aliquam præcipiebat? id quod ab eo desiderari video potuisse. Æ. Nullam, neque id se facere posse  
 affir

affirmabat, neque velle quamuis posset. L. Cúr-  
nam hunc in modum se excusabat? Æ. Quo-  
niam in ipsa vestitus honestate de qua agebat,  
varietatem existere, & diuersis diuersa place-  
re non ignorabat, suumque iudicium in disqui-  
sitionem vocari nolebat. Tantum admonebat,  
vt nec profanis, nec Ecclesiasticis omnino, aut  
monasticis vestibus vterentur, propter ratio-  
nem, quam paulò antè exposui. L. Nullasne  
quasi leges dabat? Æ. Ille verò dabat, ac pru-  
denter quidem, nec minus doctè. L. Si memo-  
ria suppetit, profer aliquas in medium. Æ. Prin-  
cipiò, inquit, vestitus sit mundus. Est quippe,  
vt ait Seneca, natura mundum & elegans ani-  
mal homo; idcirco ipsi munda vestis appe-  
tenda est. L. Tam elegans, tamque mira singu-  
larique numinis providentia generatum ani-  
mal, vt præclara ingenia quod stupeant semper  
sint habitura. Æ. Vetus hæc & omnium con-  
sensu firmata opinio. Præterea sit decorus, gra-  
uis, modestus. Nam modestia singulare est a-  
dolescentiæ decus, ea ex habitu quoque per-  
spicitur; qui, vt risus, vt sermo, vt incessus  
animi cogitationumque character & nota non  
immeritò perhibetur. Quare inepta vestis ine-  
ptum, leuis leuem, muliebris effœminatum,  
stulta fatuum, monstrosa monstrosum: ac vi-  
cissim idonea & grauis cordatum, prudentem;  
graue arguet: atque vt illa probum, sic ista  
laudem domino suo conciliabit. Existimatio  
plurimi faciendâ est cuique nostrum; eam haud  
retinebit, qui, quo pacto vestiatur, nihil refer-  
re putauerit. L. Probantur ista mihi, vt quæ  
maxi

maximè. Quid sequebatur? Æ. Asperè vehementerque in eos inuehebatur, qui tam crebrò vestimentorum figuras commutarent, qui aliam semper aliàmque inuenirent. Nunc ita conformatum, & hoc colore imbutum gestant pileum, paulò post aliter, deinde rursus aliter. Hoc mensè pallium panno nigro, alio viridi, aut cæruleo: nunc manicatum, mox sine manicis. Hoc semestri talis modi caligas, altero alterius modi. De calceis, thoracibus, deque putida & ridicula exterarum gentium imitatione item differebat. Accusabat etiam morem, quo quidam capillum in humeros promittunt, eumque tam impexum, pinguem, incultumque, ut è sylua Hercynia eos aut è specubus montanis prodiisse credas. L. Exspecto iam quid contra luxum ornatumque superuacuum attulerit. Æ. Nitidiorem vestitum existimationem afferre hominibus, formam etiam & dignitatem corporis augere non negabat, & in eam rem prouerbum adducebat: Vestis virum facit. Versantibus autem in occupationibus literarum, vestitum tantummodo ab omni leuitate remotum, mediocriter elegantem, nec adeo magnæ impensæ volebat conuenire: siquidem nihil æquè ad gratiam auctoritatemque patiendam conducatur, ut eruditio, cuius illi opinionem iam sunt adepti. Non generis nobilitatem, non diuitiarum affluentiam, non consulatus, non dictaturas proinde suspicere, admirarique homines, ut sapientiam, qua proximè ad diuinam præstantiam accederemus. Hanc nobis munire ad aternitatem iter:

hanc

hanc mortalitatem nostram extendere, immò  
 in quandam immortalitatem conuertere. Quid  
 quid est opere aut manu factum, à confectri-  
 ce omnium vetustate dissolui, obrui, ad inte-  
 ritum redigi: sapientiæ noceri nunquam posse.  
 Eam à presenti ætate non deleri, à sequente non  
 diminui, solum sapientem generis humani legi-  
 bus exemptum, cui omnia sæcula, vt Deo, seruiat.  
 L. Vt me ista delectant? vt pascor? vt recreor?  
 Æ. Quid de Socratis aliorumque philosopho-  
 rum honoribus imminuit vestitus abiectio? aut  
 quemnam adeo immensum splendorem Aristo-  
 teli peperit, quòd eum curiosius tóderi, gestare  
 purpuram & annulum cõsueuisse legimus? No-  
 runt omnes in philosophia nemini imitabilem,  
 tam excultum ingredi solitum infiniti nesciunt,  
 etiam qui literas sciunt. L. Totus pendeo ab ore  
 tuo, merum mel loqueris, Ne cela, quæcũque oc-  
 currerint: meam enim sitim nõ explebis. Æ. Non  
 ego integram orationem, sed capita duntaxat,  
 præcipuasq; illius sententiã recitaturum pro-  
 misi. Atque vt ab initio multa præterij, sic modò  
 mihi facie dum est. L. Vt lubet, molestus non e-  
 ro, perge modò. Æ. Dignum reprehensione fa-  
 ctum se existimare, quosdam studiosos à poten-  
 tissimis monarchis moderatione in hoc genere  
 superatos. Hadrianum Imperatorem frequen-  
 ter satis vilitunica contactum processisse in pu-  
 blicum, præinctum baltheo, in quo nihil ines-  
 set auri. Augustum non temerè aliam vestem,  
 quàm domesticam, ab vxore, & sorore, & filia,  
 neptibusque confectam induere consueuisse.  
 Oratorem Græcię Demosthenem propter nimis



accuratum exquisitumq; vestitum probris sæpe lac eratum fuisse. Hortensium item maledicorum vuculas ob nimiam munditiam, nimisq; compositum ornatum haud effugisse. Neque verò se tantummodo luxum vestium abesse postulare ab eruditis, verum etiam mollitiem. L. Suspensis auribus ista bibā. Ad felicem auram currit cymba tua. Æ. Apage cum chirothecis tenuissima è pellicula elegantissimo opere factis, & odoratis. Alioqui me tibi dictuū putā, quod cui dam vnguentato Stoicus Zeno: quis hinc mulierem olet? Tollantur bombycinæ periseelides illæ cum laminulis, seu bracteolis minutis & aureis. Nec calamistris inurantur comæ. Ne pili radantur & barba toties. Ne speculum omni penè hora consulatur. Ne quis plicas in veste perturbari, vt Hortensius, agrè ferat.

Sint procul à nobis iuvenes vt fœmina compti.

Fine coli modicò forma virilis amat.

Hæc omnia mulierculis concedantur, quibus à natura inustum est sese comendi, poliendi atque ornadi indefessum studium. Ita est ingeniū muliebri. Bene cum lauta est, tersa, ornata, ficta est, infecta est tamen. L. Bellè, ita mihi tibi que eueniant quæ comprecamur bona. Æ. Restat vltima pars, de squalore ac sordibus. L. Spero non squalidè, neque sordidè etiam hinc oratorem tuum disputauisse. Æ. Etiam cum festiuitate ac sale. Produxit versus Horatij de Satyra:

non ego auarum

Cum veto te fieri, vappam iubeo ac nebulonem.

est modus in rebus, sunt certi denique fines,

Quos vltra citraq; nequit consistere rectum.

Similiter

Similiter ego, ait, dum curiosam indumentorum immoderatamque & lasciuam elegantiam in studiosis exagito, non idcirco iisdem pannosos, squalore ac pedore obsitos incedere suadeo: mensuram enim à Pythagora in carminibus inculcatam teneri desidero, quam deserunt nō solum qui ultra prodeunt, sed etiam qui citra resistunt. Illuuiem ac sordes nō nisi in mendicis ferendas. Quare si quem videritis sordente circū collum, indusio, veste diloricata, malēque accommodata, vilissimo ac pediculoso cum palliolo, disruptis caligis tibiam, aut per solum calcei pedes nudatum, pulueribus inquinatum, capillo impexo ac disturbato, istunc nō modò in studiosis, sed ne in mendicorum grege numerandum arbitremini; est enim infra gregem ducendus: nam quod illi miseri necessitate, hic voluntate committit. Quis enim cogit? Si homo est naturā mundum & elegans animal, vt ex Seneca docui, hi, si naturā immundi inelegantēque sunt, homines certē non sunt. Si sponte & volentes ac scientes, tum verò homines cū sint, ad bestiarum se societatem aggregare gestiunt; eatum, inquam, quæ in cœno volutari pro summis & suauissimis deliciis habent. L. Porcorum est hoc quidem. Ac mihi sanè hac de re venustissimi versus in mentem incidunt è lib. 6. Lucretij. Æ. Enuntia. L.

At contra nobis cœnum teterrima cum sit

Spurcies, eadem subus hæc iucunda videtur,

Insatiabiliter toti vt voluantur ibidem.

Æ. Nitidè vt omnia semper Lucretius. L. Immane quantum exopto me hunc hominem orantē,

ipsiusq; vultum & actionem esse cōtemplatum. Ne sim, si ille mansuetiorum literarum fuit imperitus; imperitus autē? immò peritissimus. Verum nolo te interpellare pluribus. Æ. Animi cōfusi, distracti, vagabundi, indiligentis non futile iudiciū videri, in cultu, cæterisq; quibus vtare rebus non decorum, non modum, non ordinem conseruare. Vt enim intus afficimur, ita nos foris gerimus. Ne agrestem quidem & rusticanum vestitum in studiosis tolerandum; quia in scholas non tanquam in agrum ad fodiendum aut arandum, sed tanquam in templum ad concionem audiendam, precēsque concipiendas ventitamus: non cum rastris, sarculis & ligonibus, sed cum libris, atramento & calamis. L. Quanquam pollicitus sum nō interpellaturum, tamen me tenere non possum, quin tua bona cum venia istorum incompositorum horridorumque studioforum causam agam, ad exercendum non nihil ingenium. Tu quod voles respondeo. Æ. Sanè quàm cupio vt ita facias, tantum abest vt nolim. Nam vt magis magis pateat aperiaturq; veritas, quasi quodam conflictu rationum, ac disputationis contentione efficitur. L. Non erunt isti fortasse tam grauibus verbis laceffendi, ac velut de flagitiosissimo facinore postulandi. Quod enim corpus negligunt, eò fit, quia mentem nobiliorem melioremque sui partem studiosissime curant, & in rerum indagatone, literarumque meditatione toto pectore dediti, priusne dextrum an sinistrum calceum pedi inducant; diffluensne & laxa, an astricta cingulo sit tunica; purgatufne, an puluerulentus pileus; vbique  
 integra,

integra, an alicubi rupta vestis; recénsne, an ve-  
 tus, nitens ansqualida, cogitare nequeút. Dum-  
 modo mens perpoliatur instituatúrque disci-  
 plinis optimis, haud multùm interest, quàm ho-  
 norificè accipiatur corpus, cuius seruitio, non  
 imperio vtimur; cui perparum semper studuisse  
 legimus, quorum est præter ceteros in sapientiæ  
 disciplinis nobilitata industria. Quid? premo te?  
 non sudas? *Æ.* Tu, si quid es facturus, alia firmio-  
 ra conquiras oportet, arietesq; maiores admo-  
 neas, si hunc murum quatere, & subruere moli-  
 ris. Dicam candidè. Idem sibi met Orator ille  
 obiiciebat, quod tu in præsens mihi. Iam istue  
 gaudeo, congruere cogitata mea cum ingenio  
 illo præclarissimo, atque in illius me vestigiis  
 pedem posuisse. Quæ fuit responsio? *Æ.* Primum  
 aiebat vota facienda tali defensori, vt ipse eius-  
 modi defensione nunquam egeret. *L.* Teneo. *Æ.*  
 Deinde, vitium specie virtutis & vmbra fallere  
 plerosque mortalium, & in hoc negotio negle-  
 ctionem corporis vocari attentionem animi in  
 studiis: quemadmodum auaritia nonnunquam  
 appellari solet parsimonia, effusio liberalitas,  
 audacia fortitudo, calliditas prudentia. *L.* Sic  
 certè apud Sallustiũ M. Cato! Hic mihi quisquã,  
 inquit, mansuetudinem & misericordiã nomi-  
 nat? iam pridem equidem nos vera rerum voca-  
 bula amissimus. Quia bona aliena largiri libera-  
 litas, malorum rerum audacia fortitudo vocatur:  
 eo respub. in extremo sita est. *Æ.* Non se requi-  
 rere anxiam cutam vestium atque corporis, quã  
 cum illo ardore, & cupiditate sciendi coherere  
 coniungique non posse certum sit: moderatam

tantum, penitusq; sobriam, quæ à communi sensu iudicioque non abhorreat. Timere se, ne isti stolidum quoddam genus poetarum emulentur, quos commemorat Flaccus, cū accepissent Democritum Physicum docuisse, magis ingenio, quàm arte poetam valere, & neminem poetam futurum sine inflammatione animorum, & sine quodam afflatu quasi furoris, ideo ungues non præsecabant, non barbam tondebant, balneis carebant, conspectum hominum frequentiamq; fugiebant: atque ut præstantes poetæ haberentur, furorem simulabant. Hos verissimè furere & insanire pronūciat. Sic vereor, inquit, ne isti, non quia nimium in literas se abdiderint, eam ob rem corpus suum negligant: verum idcirco curam eius intermittant, ut summopere literis implicati, & in eas se ingurgitasse existimentur. Diogenes cum venisset Olympiam, ibique adolescentem quosdā Rhodios vidisset amictu splendido, cū risu; hoc nihil est, dixit, nisi fastus. Rursus cum in Lacedæmonios incidisset vilibus tuniculis ac sordidis opertos: En, inquit, alius fastus. Quare mihi quoque hi, ut quos supra accusavi, ostentatores videntur; & illi Rhodiis, isti Spartanis aggregandi. L. Puer à gigante percussus prostratusque sum. Arena cedo. Æ. Nihil reliquum est, promisso satisfeci. L. Quam vellem tecum attulisses orationē ipsam, ac de scripto ad verbum recitasses: sumptuosè epulatus essem hodie. Sed mutuam abs te sumam. Æ. Dabitur mutua quodocunque petiueris. L. Bene narras. Et huius meriti erga me tui memoriam nulla delebit obliuio. Nunc mecum pro isto labore

bore tuo cœnabis. Æ. Serione hoc? L. Serio. Æ. Tū me quantū operis fecerim haud pœnitet. L. Si tamen quotidiani victus tui, hoc est, frugalis ac philosophici ventrem affers. Æ. Quasi me clam sit victum tuum haud scruposam commearre viam.

---

 ANNOTATIONES.
 

---

**V**ELVT LIBERA QVÆDAM LEGATIO) Senatoribus à senatu legationes liberae ad quamcunque nationem priuatarum rerum gratia, negotij scilicet procurandi, pecunia exigenda, hereditatis obeūda, voti soluendi, &c. concedebantur. Itaque nō permittente senatu ab vrbe senatori abesse non licebat. Quo autem essent honoratiores apud exterarum nationes, legationis nomen addebatur. Cic. lib. 1. Philip. Quæ cum audire quàm videre mallet, haberemque ius legationis libera. Vide præterea Manut. in epist. 1. lib. 11. MEMORIA PRÆSTANTIA CVM ILLIS ANTIQVIS) Celebrata est literis memoria Cyri Regis, Scipionis, Cynæ Pyrrhi legati, Mithridatis, Simonidis, Apollonij Thianai. Plin. cap. 24. lib. 7. Quintil. in extremo cap. 2. lib. 11. Muret. cap. 1. lib. 3. Charmidam quendam in Græcia refert eodem loco Plinius, quæ quis exegerat. volumina in bibliothecis, legentis modo representasse. Cic. in Academ. diuinam quandam memoriã rerum in Lucullo, maiorem verborum in Hortensio fuisse scripsit: qui orationem iis verbis & componebat & pronunciabat, quibus erat meditatus. Portius Latro declamator, quæ dicturus esset, ediscendi causa nunquã relegerat: scribendo enim ediscerat, itaq; dicebat, vt in nullo unquam verbo memoria laboretur. Iubebat nominari aliquem ducem, moxq; res illius gestas ad vnguem

omnes plenissime commemorabat. **SUB PLATANO PROPTER AQUVVLAM**) Dicta est ἀπὸ τῆς πλατῆος hæc arbor: quoniam est patulis diffusa ramis, unde ἀμφιλαφῆς à Græcis. Ob solum umbram, potatoribus præsertim, erat in deliciis. Ab Horat. Ode 15. lib. 2. cælebs dicitur, quod non quemadmodum ulmus ad sustentandas vites adhiberetur. Ode 11. lib. eiusdem. Cur non sub alta vel platano vel hæc Pinu iacentes, & c. potamus uncti. Virgil. Geor. 4. Iamq; ministrantem platantum potantibus umbram. Tantus item honos ei habebatur, ut mero infuso enutriretur. Plinius lib. 12. cap. 1. Martial. de platano Cordubensi. Creuit & infuso letior umbra mero. De Xerxe Persarum Rege, quo pacto is platantum à se amatam magnificentissimis ornamentis coluerit. Alian. lib. 2. cap. 14. Platanon est locus platani constitus. Plin. iunior epist. 3. lib. 1. Quid agit Comum tua meaque delicia? quid platanon opacissimis? Consideret autem sub platano disputaturus cum Phadro apud Platonem Socrates, & apud Ciceronem 1. de Orat. Crassus cum Scaeuola, Antonio, Cotta, Sulpitio. **NON GENERIS NOBILITATE, NON DIVITIARVM**) Cum laudamus amplissimo genere ortum, parentes auēsq; laudamus. Cum diuitem & copiosum, fortuna est benignitas. Cum preualētem viribus ac sanum, morbi preda est. Cum forma egregium, senectute flos ille de flore scet. Cum doctrina & probatis moribus excellentem, ipsum planè hominem laudamus. Hæc quippe bona nec a parentibus ad nos perueniunt, nec à casu & fortuna pendent, nec temporum vicissitudini subiiciuntur. Et qui hæc secum portat, omnia secum portat. **DECVS ARI-STOTELI PEPERIT**) Præter Laert. lege Alian. cap. 19. lib. 3. Vnam dissidij causam inter ipsum & Platonem hanc quoque fuisse narrat, quod vitam, & superuacaneam

uacaneum corporis delicatioremque ornatum non probaret in Aristotele Plato. ORATOREM GRÆCIE DEMOSTHENEM) Quam sollicitè nitorem, venustatem, munditiā vestitus confectati sint Demosthenes & Hortensius, quo pacto hic diem collega dixerit, quod ei in loco angustiore for̄te obuius toga structuram disturbauerat; qui item speculum sapius cōsulebat. Gell. lib. 1. cap. 5. Et hortabatur adolescentes Socrates, uti speculum frequenter inspicerent. Ac si quisdem essent formosi, adhiberent studium ne pulchritudinem prauitate morum contaminarent: sin autem deformes, corporis vitium virtute morum, hoc est, animi pulchritudine corrigerent. Plutarch. in precept. conugal. A PYTHAGORA IN GARMINEVS) μετρεον δ' ἐπι τῶν σιγῶν ἀγίτων. Praestat quauis modus optimus in re. Quae exuperantia, & defectione peccantur, iis nos modus per medium incedens, & vitia vtrinq̄ue iacentia declinans liberat. Quia ergo in victu, vestitu, domicilio, & suppellectili, & aliis ad corpus spectantibus vel ad luxum abducti, vel ad nimiam tenuitatem sordēsque procedere possumus, caueamus ne à mediocritate vnquam aberremus. Quoniam enim animus intelligentia praditus corpori moderatur, omnia etiam quae corporis sunt cum intelligentia & ratione consentire oportet, quae neque luxum, neque sordes patiens cum dignitate sua indicat omnia debere congruere. Hierocles comment. NON MODO IN STUDIO, SED NE) Usitatissimum est veteribus, non modo, pro, non modo non. Cuius quanquam ratio constare nulla videtur, nihilominus in usu loquendi ipsam bene loquentiam consuetudinem pro ratione habendam ducimus. Cic. ad Lentulum. Non modo praemii, quae apud me minimum valent, sed ne periculis quidem compulsus vllis Pro Sexi. Roscio. Qui



tantum facinus commiserunt, non modo sine cura quiescere, sed ne spirare quidem sine metu possunt. Et alias persape. *Luuius* libr. 25. Postremo ita assuetudine mali efferauerant animos, ut non modo lacrymis, iustoque comploratu prosequerentur mortuos, sed ne efferrent quidem, aut sepelirent. *Lege Muret. cap. 7. lib. 10. Idipsum Manut. alicubi commentar. in epistolas multis exemplis. IMPERITVS AVTEM?*) Iucunditate quadam permulcentur aures, cum hac particula, & ultimum verbum precedentis sententiae cum interrogatione ipsi sententiae affirmanti mox subiicitur, cum his verbis, immo vero. *Cicer. ad Att. Sed ferendus tibi in hoc meus error: ferendus autem? immo vero etiam adiuvandus. Et omisso, autem. Cic. pro Mil. Quae quamuis etiam mediocrium delictorum conscientiam perculissent, ut sustinuit, dii immortales? sustinuit? immo vero ut contempsit? AD CONCIONEM AUDIENDAM)* Triplex vis est huius nominis. Significat enim suggestiōem & locum unde verba fiunt. Hinc illud, in concionem ascendere, & pro concione quidpiam dicere. Cœtum conuocati, seu assistentis populi conuentum. *Sallust. concione aduocata huiuscemodi orationē habuit. Cicer. in Orat. Conciones saepe exclamare vidi, cum apud verba cecidissent. Orationem denique ipsam. Cic. ad Dolabellam. legi concionem tuam, nihil illa sapientius. Sallust. concione habita. MELIOREM QVE SVI PARTEM)* Cū constemus ex animo & corpore, & illo quidem immortalis ac diuinae naturae persimili, hoc autem caduco, & communi cum beluis: cum, inquam, ille sit dux & imperator vitae mortalium, ut ait *Crispus, in quo est consiliū, mēs, ratio, ingenium, memoria, per quae nominis acquiritur aeternitas, quis eam dubiet meliorem nostri partem nominare? RECENSNE, AN VETVS)* Recens &

nouum ita differunt, vt vetus & antiquum: & que sequuntur apud Manut. in epist. 21. lib. 11. IN RERVM INDAGAT. LITERARVM QVE MEDITATIONE DEDITI) Quod nunc studere alicui rei, & alicui rei deditum esse dicimus, id veteres studere in aliqua re, & in aliquare deditum esse dicebant. Cato. Poetica artis honos non erat. Si quis in ea re studebat, aut sese ad conuiuia applicabat, grassator vocabatur. Lucret. li. 3. Et simul in pugna studio quod dedita mens est. Rursus lib. 4. Præterquam quibus est in rebus deditus ipse. Catull.

Ne leuis tuus in mala  
Deditus vir adultera.

In quem versiculum hæc Muretus. DIOGENES CVM VENISSET OLYMPIAM) Hac de re Ælian. lib. 9. cap. 34. Ad reprehensionem sordidorum istorum, & ipso incultu sapientiam simulatum permultum faciet ep. 5. Seneca, ad quam vide notas Mureti. SI TAMEN QVOTIDIANI VICTVS TVI) Plaut. Capt.

Nec nihil hodie, nec multò plus tu hîc edes, ne frustra fies.

Proin' tu tui quotidiani victi ventrem ad me afferas.

Victi, pro victus, vt alia non pauca, que nunc sunt quarti ordinis, antiqui patr. o casu per secundum efferebant, vt senati, ornati, tumulti, & c. Versus hunc sensum continet. Ventrem afferas parabili, & quotidiano victu tuo contentum, escas exquisitas non appetentem. Scruposam porrò viam commeat, is victus (vt est in ead. comædia) qui difficili, latebrosa, salebrosa via quaritur: hoc est, qui impendio magno paratur, quoniã minimè vilis, sed lautus est ac preciosus. QVANTVM OPERIS FECERIM HAVD POENITET) Terent. Heaut. At enim me quãtũ hîc operis fiat poenitet. Id est, parum videtur.

videtur. Pœnitet enim eum, qui parum putat. Virgil. eclog. 3. Nec te pœniteat calamo irinisse labellum. Cic. 1. Offic. Tamdiu autem velle debebis, quoad te quantum proficias non pœnitebit. Quæ hoc dialogo, & proximè superiore, & sequenti de ratione vestitus aguntur, pro instituto nostro agenda nobis fuerunt: cum in hoc etiam sita sit morum quedam honestas ac turpitudine. Et habemus autores magnos viros, quos accusabunt, si qui ista fortassis arroserint.

PROGYMNASMA  
DECIMUMQUARTVM.

*Decorum vestium generatim.*

SALVIUS, FELICIANVS, NICASIUS,  
discipuli, EUPHRONIVS magister.

SALVIUS. Cùm tu, obseruande doctor, pectora nostra non minus morum amabilium & antiquorum, quàm literarum præceptionibus assiduò formare atque excolere, quantum animo conbiti, quantum larga opera consequi potes, non intermittas, nosque in vtroque processus efficere tota cogitatione cupiamus non pœnitēdos, magno abs te opere petimus & que sumus, quod sine molestia tua fiat, nos doceas, quæ in vestitu adolescentibus iuxta ac viris fugienda, quæ præstanda sint. E. Multa sunt. Sed capitibus aliquot rem comprehendere tentabo. F. Optimè, sic facilius meminerimus quæ audiemus. N. Et tibi explicationis labor nō erit æquè onero

onerosus. E. Imprimis considerandum opinor  
 cuique, qua fortuna, qua conditione & statu  
 sit. Nobili genere procreatos, benéque numma-  
 tos, ac magistratum gerentes ornatus decet ex-  
 quisitior, ac delicatior: pauperes, ignotos, ob-  
 scuros, terræ filios simplicior, nec magno im-  
 pendio comparatus. Quapropter Reges, Princi-  
 pes, dynastæ Attalicis, auróue intertextis, phry-  
 gianis & conchyliatis vestibus vtantur. Viri  
 sanguine illustres, qui summam gerunt Rem-  
 pub. rectores prouinciarum atque vrbium feri-  
 cis, vndulatis, damascenis, holosericis, atque  
 etiam purpuratis seu ostrinis cooperiantur. Lo-  
 cupletes quoque ad tegendum corpus pro pecu-  
 niarum suarum magnitudine, pannos emant li-  
 neos & laneos, carbasinos, byssinos, bombyci-  
 nos, & pelles laboratas vulpium, luporum, mu-  
 stelarum domesticarum, aliarumque animan-  
 tium, atque è peregrinis item regionibus alla-  
 tum corium, vnde sibi thoraces, scortea colobia,  
 & alia parent quæ libuerit. S. Tenemus hoc. E.  
 Intuenda est item natio & populus, apud quem  
 vita degitur. Nam sicut non omnis tellus fert  
 omnia, ita alia alibi, quæ de moribus, cibo, ve-  
 stitu, legibus vsitata sunt, decoraque habentur:  
 quæ si quis omittat, aut etiam si contrà quid  
 agat, culpam committere videatur. Quid  
 videatur? immò aliquando puniatur. N. Res  
 ita est. E. Foro igitur ac scenæ pareamus, & il-  
 lud Germanorum sermone iactatum ante o-  
 culos ponamus, *Laendlich sitlich*. Si populares  
 mei capillum tondeant, nolim ego capillatus in-  
 cedere. Si barbam nutriant, me quoque barba-  
 tum

tum esse iuuet. Si hoc genus, & hanc formam vestis probare incipiant, eaque passim vtantur, quamuis mihi adeo non arrideat, vtar ea tamen, & ad vulgatam consuetudinem accommodabo morem meum; ne quis putet statuisse me repugnare vnum omnibus, quod maximè inuisos reddit, & omnium in nos oculos cum odio, velut in monstra quædam prodigiâque conuertit. F. Sunt quibus discolor vestitus placet, nobis haud ita. Nec Itali, aut Galli amiciuntur lineis ac pellitis vti nos. Hungari strictas, & infra poplites demissas gerunt tunicas, femoralia turgentia auersantur. Illorū sunt ferrata calceamenta, præter morem aliorum. E. Quis omnes varietates enumerauerit? N. Quid insuper obseruandum præcipis? E. Tempori quoque seruiendum. Nam non omnia vbiq; nec semper placent omnibus. In luctu lugubre, id est, pullum tegumentum vsurpandum est, quod alicubi locorum cucullum adiunctum habet. In nuptiis nitidæ ac segmentatæ vestes sunt aptiores: & festis diebus quis nolit incedere cultior? De Kal. Ianuariis, quo die desig. Coss. inibant, Ouid. i. Fast.

Vestibus intactis Tarpeias itur in arces,

Et populus festo concolor ipse suo est.

Taceo in æstu non probari vellera ouium, aut abollas, in hyeme vestes è tela aut corio confectas. Iter facientibus lacernæ siue penulæ sunt vtilis, & ad solem defendendum causiæ. S. Vt hæc tria quæ hætenus disseruisti seruentur, nihilominus peccari, & ab eo quod deceat discedi posse credimus. E. Vtique potest. F. Doce quonam modo. E. Si qua vestis eum vsu & commodum

modum non præstat, cuius causa inuenta est vestis, quis dubitet ea paranda frustra consumptam esse pecuniam? S. Sed enim de veste vt de domo sentiendum opinor: quam cum necessitas inuenerit, quò nimirum ab iniuriis cœli tuti esse possimus, ornatus postmodum ad eam accessit: sic cum tegendi corporis gratia reperia initio sit vestis, additus est ei postea decor & elegantia. Quare quamuis non omnes vsus vestimenti impleat tunica, seu palla, seu quid aliud, poterit tamen dici & esse vestis. E. Quid opus illis sylvatis, quibus humus verritur, puluerumque nubes excitatur? quibus latantur fœminæ, vt superbas panonum caudas imitentur. Quid taniæ tot ac redimicula sæpe in vestibus? quid faciunt tot striæ, tot vncinuli, tot vnda? vndas enim togæ quædam ob nimiam longitudinem & laxitatem imitantur. Non culpaerim quod pulchrum, quod elegans, quod ornatum; sed quod inane, quod redundans, id vitupero, nimiamque; vt in victu, sic in cultu corporis profusionem cum sanctissimis viris, etiam cum Apostolis, reprehendo. In memoria habeo sententiam Isocratis, ex aureola parænesi ad Demonicum. *ἔναυ βέλλτα περί τήν εἰσῶτα φιλόκαλον ἀλλά μὴ καλλωπιστὴς. ἐστὶ γὰρ φιλοκάλος μὲν τὸ μεγαλοπρεπὴς, καλλωπιστὴς δὲ τὸ περιεργον.* In vestitu fac ornatum probes, luxum repudies. Habet autem ornatus magnificentiam, luxus redundantiam. N. Tu, si apud mulieres tibi esset oratio, plurima aduersus earum in vestimentis licentiam disputares. Nauis & mulier nunquam fatiis ornatur, dicebat Cato. E. Verum

rum Euripidem me experirentur. Turpe autem & inhonestum est discinctum ingredi. Argumentum est hoc ipsum mollitiei, dissolutionis, locordia, delidia. Imperatores quodam milites delinquentes hac poena vlciscebantur. Romani praeterea captiuos hostes sub iugum discinctos mittebant. Ad haec turpis est in vestitu breuitas, vt partes illae appareant. S. Intelligimus quas partes dicas, Oedipo nihil opus. E. Id in palliis vehementer est indecorum. F. Ita est. E. Dissectas quoque amare vestes, vereor ne sit hominum dissectas mentes possidentium. Quocirca aut nihil in hoc genere probem, aut modicum. N. Siccine vt meus hic thorax, & femoralia minutis sectionibus distinguuntur? E. Admodum. F. Diverfos colores in vestibus? E. ego vt laudem nondum adducor. Ne quid lasciuiae, fastus, luxus, nouitatis praeferat vestis, & a sordibus aliena sit profusa ac libera. Praecipendum quoque adolescentibus, vt ne ad cubitum, sicut balsamentarij & figuli se emungant. Vt vestes in latus, aut in tergum diffuere ne sinant; bene compositas, & circa collumpectusque clausas habeant. Si quam nouam & pulchram induerint, ne gaudio intemperanter exultent, ne se circumspiciant, atque apud alios superbè ostentent: est enim hoc odiosum. S. De subligaculis follicatibus, (*Chausses bouffantes*) quid censens? quibus sunt aptissima? E. Sutoribus, factoribus, militibus: illa praecipuè, quae infra genua demittuntur, quibus Aeolus includere potuisset etiam plures ventos, quam in vtre illo, quem Vlyssi nauigaturo tradidit. F. Calcei fenestrati quorum sunt? E. Haud scio an grauium virorum

rorum ac studioforum adolescentum, quos grauitati in hoc quoque morigerari mos bonus est. N. Crepidas & sicyonia, item pedulia non interdici nobis? E. Hyeme non interdico, ipsemet crepidatus incedo: sandalia fœminis relinquamus. N. Vincula illa calceorum serica, rubra, flaua, viridia, cœrulea ecquid approbas? E. Delicatorum iuuenum, & nouitatis affectantium sunt. S. Quid de pileis acuminatis, in quibus flores, auium plumæ & spiræ admirabiles? E. Ornatus puerilis, leuis, profanus. F. Ocreæ num decent studiosum? E. Si aut equitet, aut per lutum gradiatur: alioqui rusticorum sunt ocreæ. S. Quid bardocucullus? E. Honestum pallium est magis, quàm scholasticum. Honestiora autem pallia manuleata, quæque non carent laciniis, & genua obuelant. N. Quis color in veste probatissimus? E. Simplex, & vnius generis. N. Et quis hic? E. Niger. S. Voluntati nostræ paruisti satis. Tuis præceptis vicissim obtemperabimus sedulo, humanissime Præceptor. F. Quoad nobis vita superet.

## ANNOTATIONES.

**TERRÆ FILIOS)** In homines obscuros, ignotos & ignobiles, quorum parentes maioresq; ignorarentur, contorquebant: siquidem terra communis est & antiquissima omnium mater, ideoq; magna parens dicta Ouidio 1. *Metamorph.* Hoc sapiens ille Brutus ab oraculo Delphico rediens, & velut si prolapsus cecidisset eam osculo contingens monuit. *Liuius lib. 1. Ouid. 2.*



*Fast. Tertull. Apologet. Nam & terra filios vulgus vocat, quorum genus incertum est. Cic. epist. 9. lib. 7. Cn. Octavius, an Cn. Cornelius? tuus quidem familiaris, summo genere natus, terra filius. Et epist. 11. lib. 1. ad Att. Huic terra filio nescio cui committere epistolam tantis de rebus non audeo. Virtute porro, prudentia, viribus præstantissimis Iouis, ut Æacum, Minoa, Sarpedinem: immanes & ab omni humanitate remotos Neptuni filios appellatos à poetis, ut Cyclopa, Cercyona, & Lestrygonas memorat Gellius lib. 15. cap. 21. Qui autem dicti sint filij cæli, filij Dei, Rhodigin. lib. 3. cap. 8.*

**ATTALICIS VESTIBVS)** Attalus fuit Pergami totiusque Asia Rex opulentissimus, qui pop. Rom. heredem instituit. In cuius aula primum inuenta dicuntur magnifica tapetia, quæ aula vocamus. Idem inuenit aurum intexere vestibus. Plinius lib. 8. unde cognomen Attalicis. Horat. Ode 1. lib. 1. Attalicae conditiones sunt amplissima ac splendidissima. **ETIAM PURPURATIS)** Vestem purpuream à coccinea differre ostendit Brod. lib. 1. cap. 8. **MVSTELARVM DOMESTICARVM)** Mures etiam has bestiolas appellari, & stellas murinas docuit Turneb. lib. 15. cap. 23. Galli, vne Belette. **SCORTEA COLOBIA)** Colobium vestis seu tunica longa sine manicis, quo veteres magis utebantur, ne scilicet impeditiores essent. Vox profecta non à collo, sed ἀπὸ τῆς κολλῆς, quod mutila & truncata sit. Veruntamen cum Nomenclatore scorteam seu coriaceum colobium libenter appellauerim, quod Galli, vñ colet de cuir. est enim id eam κολλῆν.

**FORO AC SCENÆ PAREAMVS)** Scena seruire est tēpori sese rebúsque presentibus accommodare. Trāslatū ab histrionib⁹, quibus vna hæc cura, ut placeāt spectatoribus, ne exhibentur. Eandē vim habet, uti foro. Id est,

est, presentem statum boni consulere. Seneca. *Viamur foro, & quod fors feret, a quo feramus animo.* Terent. *Phorm.* Scisti uti foro, in quem locum lege Donat. SEGMENTATÆ VESTES) Segmenta sunt fasciæ, qua muliebribus vestimentis ad oram circumcirca affuuntur ornamenti causa. Hinc segmentatæ vestes, hoc ornatu insignes. Aut ita. Segmenta sunt purpurei, aureiue panni virgæ quasi, & zona, quæ vestibus ad ornatum inferuntur, quibus illa versicolores redduntur, tanquã limbis & institis. Turneb. lib. 4. ca. 23. Isid. lib. 19. cap. 22. AD SOLEM DEFENDENDVM) Defendere, Latinis crebrò valet idẽ quod arcere, excludere, prohibere, depellere, propulsare. Cic. pro Sext. Roscio. Iniuriã nouo scelere constatam putant oportere defendi: defendere ipsi propter iniquitatẽ temporũ non audent. Pro Milone. Cum vi vis illata defenditur. In Catone, & nimios solis defendit ardores. Cæsar lib. 1. de bello Gall. & quod non bellum intulerit, sed defenderit. Plaut. *Rudent.* ut illos serues, vim defendas. Horat. Sat. 3. lib. 1. toga quæ defendere frigus Quamuis crassa queat. Sic defensor valet repulsor. Cic. pro Mil. loquens de seruis Milonis, qui Clodium domino suo insidiantem occiderant. Quos nisi manumississet, tormentis etiam dendi fuerunt, conseruatores domini, ultores sceleris, defensores necis. Eodem modo Euripidem in fabula, cui nomen Troades, cepisse verbum ἀγκύρα, quod alioqui βονδία, opem ferre exponitur, animaduertit Victor. lib. 30. cap. 11. SUPERBAS PAVONVM CAUDA S) Turneb. lib. 9. cap. 6. explanans illud Horat. lib. 1. Sat. 3. nihilo ut sapientior ille Qui te deridet caudam trahat; existimat caudam trahere esse magnificè superbèque incedere, ut qui talari toga pallæue ornati longo syrmate verrunt terram. Horat. ad Pison. traxitque vagus per pulpita vestem, id est, magnificè in-

cessit saltans. Nam ad syrma allusum esse puto, quod à tractu nomen est adeptum: aut, quod non aequè placet, tractum erit ab auibus, ut gallis gallinaceis & pauonibus, qui sua insolescere videntur caudâ. vnde Horat. lib. 2. Sat. 2. & pîcta pandat spectacula cauda, Trahit igitur caudam qui sibi placet, seque sapientem arbitratur.

NAVIS ET MULIER) Plaut. Pænulo.

Negotij sibi qui volet vim parare,  
 Nauem & mulierem, hæc duo comparato.  
 Nam nullæ magis res duæ plus negotij  
 Habent, fortè si occorperis exornare.  
 Neque vnquam satis hæ duæ res ornantur,  
 Neque eis vlla ornandi satis satietas est.

EV RIPIDEM EXPERIRENTVR) Qui hunc Tragicum legerunt, ignorare neutiquam possunt, quàm acerbo is mulierum odio imbutus fuerit, quàmque iure μισογυνῆς dictus sit. Vbicunque datur occasio, miseris contumeliosissimè vexat. ARGVMENTVM

EST HOC IPSVM) D. Basilii in illa longiuscula & pulcherrima epistola ad Greg. Theologum, qua vitam solitariam commendat, inter alia præcepta, de cinctu hæc præscribit, χιτῶν διὰ ζώνης, &c. Tunica per cingulum adstringatur corpori. Cinctus autem neque supra ilia adhibeatur, quia mulierum: neque laxus sit, ut tunica diffluat, quia hoc desidioforum ac mollium est.

QVIBVS ÆOLVS INCLVDERE POTVISSET) In 10. Odyss. ventorum pater Æolus ventis reliquis vtre illo quem Vlyssi tradiderat inclusis, solum Zephyrum dimittit liberum, cuius ille flatu in patriam deferatur. Meminit Horat. Ode 3. lib. 1.

SICYONIA, PEDVLIA) Sicyon vrbs Peloponesi, in qua delicati, elegantésque admodum & foeminis, quam viris aptiores calcei conficiebantur. Eiusmodi orationem Lysie sibi videri dixit in carcere Socra-

tes 1. de Orat. Lucret. in 4. Unguenta & pulchra in pedibus sicyonia rident. Lucilius. Et pedibus lena sicyonia demit honesta. Hesychius, σικυώνια, γυναικῶν ὑποδήματα. Utebantur & saltatores in conuiujs. Proverb. Calcei sicyonij, de re pulchra, sed que parum deceat virum. Pedule, inquit Cornelius Fronto, sub pedibus prestat utilitatem. Existimat Nomenclator, esse laneum calceum, qui plantis tanquam solum quoddam aduersus frigora substernitur, chausses de laine. Magius lib. 3. cap. 3. linteos calceos Frontonem intellexisse credit. Ibidem multa de fasciis cruralibus, calceorum generibus, feminalibus, tibialibus, ocreis, & originatione vocis, crepida. SANDALIA FOEMINIS) Sandalium fuit genus calceamenti sumptuosum diuitiūque fœminarum proprium. Victor. lib. 14. cap. 15. BARDOCVCVLLVS) Genus pallij, cucullum habens adiectum, & è panno crassiore. Simile est quod ab inuentoribus Hispanicum nominatur, vne cappe à l'Espagnole. QVÆ QVE NON CARENT LACINIIS) De vocabulo, lacinia, copiosè eruditèque differuit in epist. 21. lib. 16. Manut.

---

PROGYMNASMA  
DECIMVMQVINTVM.

Muliebris cultus.

PRISCVS, ZACHARIAS.

PRISCVS. Pol hic quidem fungino genere est, capite se totum tegit. Quis horum se

capessit? quis hic petasatus mihi sit obuiam?  
 Hem, sodalis est meus. Zacharia ego te saluto,  
 voce summa, quoad vires valent. Z. Et ego te. P.  
 Vnde redis sudoris oppletus ac pulueris? Z. In-  
 de quò iueram. P. Ludis me. Censen' me scire  
 quò tu iueris? Z. In agrum paternū. P. Quid sibi  
 volunt hoc sarculum, hoc semicinctium, isti pe-  
 rones, & sagum? Z. Labori sunt idonea, labora-  
 re me oportuit, ita iussit pater. P. Inclemens pa-  
 ter. Non conducit operas? Z. Conducit. Verun-  
 tamen vt Lacedæmonium me tractat; vult me  
 asperis rebus perferēdis assuescere, & robustum  
 membris euadere. P. Duras profectò partes tuas  
 prædicas. Z. Sed quò tute ambulas? quid in ci-  
 stellula portas? P. Ad forum scrutariū gressus  
 dirigo: hic ornamenta quædam insunt sororis  
 meæ, quæ eius nomine vendat anus illa Staphi-  
 la, quam nosti, multiloqua & merobiba. Z. Etiã  
 multibiba. quæ sunt? obsecro. P. Curiosus homo  
 es. dicam. Est calantica, spiræ duæ, reticula ca-  
 pillaria duo, plagula & strophium. Z. Tantum-  
 ne vel eget argento germana tua, vel istiusmodi  
 ornamentis circumfluit, vt hæc vendat? P. Tri-  
 tiora illi vetustioraque sunt, quàm vt gestare vl-  
 tra velit. Mulier est mulier, cui naturæ nihil neq;  
 nimium, neq; satis diu bellum & elegans videri  
 potest. Nuperrimè precibus parētes peruicit, vt  
 cycladem ipsi pulcherrimè scutatam curarent:  
 item supparum è lino subtilissimo, plicis innu-  
 merabilibus. Pallam insuper subsutam pellibus  
 haud parui precij. De galericulis, mammillari-  
 bus, sertis, crinalibus, mitris, fimbriis, annulis  
 nihil addam. Quid quæris? mirarere, si eius vi-  
 deres

deres synthesin. Equidem non puto in hac vrbē virginem aut fœminam reperiri, cui plura sint vestimenta, fermè tot, quot in anno dies. Ad paupertatem propemodum parentes protrahit. Z. O sororem prædicatam fermè familiariter. quando tandem nuptum locabitur? quousque manebit vidua? P. Adolescens de summo loco, summis diuitiis breui eam ducet. Lactauit certè procos. & falsa spe produxit plurimos, quamuis telam non retexuerit. Z. Ostende sis mihi spiras. P. En. Z. Prò quàm nitent auro & margaritis, præsertim maior? Estne tibi quod vendas mihi? P. Est. Z. Quid est? P. Ascopera, quam perdudum donauit mihi parens, ante cataclysmum. seu eluionem illam terrarum, quas pœtæ Deucalionis aquas nominant, aut paulò pòst factam, vti credo; & grallæ, quibus senex & podagrosus utebatur atauus meus. Z. In malam rem cum istis mercimoniis: nolim vel gratis accipere. At enim quid te moror? vade quò missus. P. Vado.

---

 ANNOTATIONES.

**Q**VIS HIC PETASATVS) *A verbo πετασσω  
vui vox est. Tegmen capitis latè patens, vstitum viatoribus ad defendendum solem. Ac Mercurius quidem petasatus fingitur. Hinc idè apud Plaut. Amphit. Ego has vsque habebō in petaso pinnulas. In Pseud. enumerans quæ peregrè abeunti conuenirent: Etiam opus est chlamyde, & machera, & petaso. In milite & Persa vocat causiam. Dicitur item galerus. Cic. ad Cassium lib. 15. Sed petasati veniunt, comites ad portam exspectare dicunt. NON CONDV CIT*

OPERAS?) Opera est actio, & persona ipsa, qua opus peragitur. Opus finis est, & fructus opera. Nonnunquam opus pro opera videtur accipi. Virgil. *Aeneid.* 8. Mollibus è stratis opera ad fabrilia surgit. Donat. in *Heaut.* VT LACEDÆMONIVM) Lacedæmona patientem non sine causa appellavit Horat. Ode 7. lib. 1. Tota quippe ipsorum disciplina, qua pueritiam instituebant, patientia disciplina fuit. Plutarchus in *Lycurgo*: literas quidem utilitatis causa discebant: alia vero tota institutio eò referebatur, bene ut quisque pareret, & ut laborem perferre fortiter, & pugnas vincere posset. Cic. 2. *Tuscul.* Sparta verò pueri ad aram sic verberibus accipiuntur, ut multus è visceribus sanguis exeat: nonnunquam, ut cum ibi essem audiebam, ad necem: quorum non modo nemo exclamavit unquam, sed ne ingemuit quidem. Ara illa erat *Diane*, cognomento *Orthie*. Dicebantur hi *βωμονίαι*, ad aram certantes seu vincentes: ipsa dimicatio *διαμασίγωσις*, disflagellatio. Qui diutius verbera tolerasset, illustris clarusque habebatur. Scribit *Lucianus* in *Anacharside*, statuarum honore affectos inter verbera exanimatos pueros. AD FORVM SCRVTARIVM) Galli, à la fripperie. Qui vocis originem spectant, scruta interpretantur omnia veterameta, qua per vias & rudera scrutando eruiunt. Alij coriacea omnia, & scortea vetera opera, ut scruta quasi scorta intelligantur, qua notio postea omnem vilem & veterem supellectilem complexa sit. Graci *γρυτάγια* nominant, & quem nos scrutarium, *γρυτοπώληρ*, *ρύποπώληρ*. Vide *Gel.* lib. 3. cap. 11. *Turneb.* lib. 5. cap. 13. EST CALANTICA, SPIRÆDVÆ) De his vocibus aliisque consule *Isidor.* suo loco, & *Nomenclatorem*: nos enim non sic abundamus otio, ut singulas declarare, & *Calepinum* conscri

conscribere possimus. QUID QUÆRIS? ( *ic. epist. 9. lib. 2. Ego voluptatem animi nimiam? quid quæris? dum illum rideo, pene factus sum ille. in quem locum ita Manut. Vbi satis verborum effluxit: nec tamen omnino videmur quod volumus explicasse, ad hanc interrogationem confugimus, Quid quæris? & ad exitum statim sententia perducitur. QVOVSQVE MANEBIT VIDVA?* ) Viduam non modo eam, quæ aliquando cū viro fuisset, sed eam quoq;, quæ nulli adhuc nupsisset, appellatam à Iurecos. legimus. quoniam vidua dicta sit ut vecors, vesanus, qui sine corde, sine sanitate esset: & illa sine duitate. QVAMVIS TELAM NON RETEXERIT ) Vulgatissimum illud de Penelopa, quomodo procos texenda & retexēda tela fefellerit. Diximus annotatione quadā in volumen primum, dialogi 17. A VRO ET MARGARITIS ) De margaritis & unio-nibus Plin. lib. 9. cap. 35. Isid. libr. 16. cap. 10. Effertur & genere neutro, margaritum. Utuntur auctores his vocabulis fermè sic, ut gemma omnis lapillus preciosus sit: margarita cōcharum partus. Iurecos. gemmas esse volunt, quæ pellucida sint materia: velut smaragdi, chrysolihbi, & amethysti: lapillos verò contraria superioribus natura. Margaritas autem nec gemmis, nec lapillis annumerant. Sic Horat. Ode 24. lib. 3. gemmas & lapides, aurum & inutile. Plin. lib. 37. gemmas violari signis nefas ducebant. id enim de pellucidis intelligo. Torrent. in Suetonij Aug. ad c. 3. ASCOPERA ) Pera viatoria, vne pochette ou sachet de cuir, gib becierre. Est apud Suetonium.



## CONVICTVS.

PROGYMNASMA  
DECIMUMSEXTVM.*Morum elegantium utilitas, & necessitudo.*

## AUDITOR, ETHICVS.

**A**UDITOR. Laudas tu quidem mihi morum institutionem vehementer, ac nosse cum aliis sese vrbane, comiter, honestè, amabiliter ac venustè gerere, aut virtutem quandam esse à me obtinere vis, aut virtuti maximè geminum atque proximum. Sint hæc ita vt tua ponit sententia; nihilominus hoc tibi confitendum est, possidere iustitiam, fortitudinem, liberalitatem, cæterosq; de hoc genere diuinos animi habitus, multò quiddam præstantius, & cū perse optabilius, tum omniū mortalium prædicatione dignius videri. E. Vt istuc tibi largiar, vt largior, tamē tu vicissim mihi des & cōcedas oportet, æquè commodare nobis morum in omni genere honestatem, suauitatem & quasi pulchritudinem, ac illas virtutes, quas enumerasti. A. Velim doceri quī tandem. E. Quī? Inter eos, quos naturæ similitudo nobiscum coniunxit, spiritū nos ducere, eorumq; mutuis sermonib<sup>9</sup>, opera, commercio, & consuetudine vti ac frui in dies singulos ecquid necessarium esse intelligis? A. Equidem intelligo. E. Hinc sit, vt etiā quotidie  
multa

multa præstare habeamus, quæ à morum doctrina præscribuntur. Magnanimitate autem, temperantia, beneficentia, æquitate, tolerantiâ utimur nos quidem, at certè minus frequenter utimur; quid dicam in horas singulas? A. Moliris igitur hoc efficere, opinor, superiora ista quidem esse nobilitate & excellentia sua, rursus autem inferiora illis numero, & assiduitate vsus. E. Hoc ipsum. Quod si liberet, nominarè cõplures, quos vna scientia rectè, scitè, commodè, ac lepidè verifandi cum aliis, ad altissimos honorum gradus extulerit, (illis præteritis, quibus virtutù paulò antè abs te allatarum ornamenta non deerât) homines nullis diuitiis, nulla fama, nulla demùm claritate insignes, humili loco oriùdos, in re tenui, & inglorios. A. Affirmatiõ tua mihi admirationi est, eiusq; rationè desidero. E. Rationè? A. Sanè. E. En tibi. Quæadmodum enim præfracti, inconditi, insuaues, difficiles, illepidi, insulsi, ac morosi mores despicientiam, alienationè, atq; odium parere: sic contrà faciles, modesti, cõmodi, temperati, venusti, humanitate conditi atq; iucundi summum amorem, propensum studiù, præstãtem benevolentiam apud omnes inuenire consueuerunt. Iã si neq; vlla vnquam pœna illos, neq; vllum aliquãdo præmium istos sequeretur (quorum vtrumq; falsum est) attamè placere nemini, & tanquam pestiferam quandã cõtagionem vitari ab omnibus, haud leue supplicium; esse autem charum acceptumq; vniuersis, & allicere ad se omniù studia, omnium volùtates, vti magnes ad se ferrum trahere, haud cõtemnèdã remunerationè existimare deberemus.

A. Agre

A. Agrestes isti, illiberales atq; inepti muscarū, culicū, & pulicum persimiles mihi videntur. E. Expedi causam huius similitudinis. A. Quoniā nimirum, vt illa insecta nō timemus, cū pardos, vrsos, leones timeamus, penitus autem odimus, propter molestias, quibus nos continenter afficere non desinūt: sic hos malè tornatos, incōcinnos, bardos, rusticos, & velut ex hara prodeūtes ferre sine cruciatu nō possumus: quorum moribus quasi muscarum pulicumq; moribus & cōpunctionibus sepiissime lædimur; etiāsi eos non metuamus, vt audaces, impios ac sceleratos metuimus, qui instar immanium belluarum horribiles clades, & detrimēta grauissima facile cuiq; nostrum importauerint. E. Scitissima cōparatio. In dubium ergo vir prudens vocare superfedebit, ei qui ab hominum cœtu in vastam aliquā solitudinem demigrare non vult, sed in mediis vrbibus, & in suorū ciuiū frequentia ætatē agitare cōstituit, valde conducere, ingenio tractabili ac leni, & sermone, gestu, actione ad cōmunes vsus accōmodatū esse. Et quia sciētia hęc in oratione, motionibus membrorū, atq; corporis potissimū cōsistit, vel pecuniam magnā quā largitione dispertiat, vel pericula quæ subeat, vel incōmodam fortunā quā perferat, vel voluptates quas prætermittat, vel denique res alias, in quibus sese exerceat, & sine quibus nulla sit, nō requirit; vt benignitas, vt animi excelstitas & magnitudo, vt patiētia, vt tēperantia. Sed tu iā probè perspicias, quātā & vtilitatē, & necessitatem habeat morū ista commoditas. A. Approbè.

## ANNOTATIONES.

**C**ONVICTVS hoc loco nihil aliud est quã quod  
 voce nequaquam Romana Conuersatio dicitur à  
 barbaris. Docebimur dialogis aliquot deinceps, quonã  
 modo eleganter, ac politè omnino festineq; in sermone  
 & gestib; inprimis versari cum aliis, & hominũ agre-  
 stium, insulsorum, malè dolatorum euitare dedecus, poli-  
 tiorum autem, concinnorum, lepidorum, excultiorumq;  
 famam & gratiam colligere possimus. Sciendum verò,  
 nos eam venustatem ac leporem haud requirere, neq; hoc  
 capite, neq; libro toto, qui in palatiis Regum ac Princi-  
 pum addiscitur & exercetur. Sed cũ ista scribamus iu-  
 uentuti generatim, volumus eam eiusmodi in cõiectu  
 morum suauitatem adhibere, quam communis opinio  
 atq; sensus nõ repudiet, vel potius flagitet, quamq; eru-  
 diti homines in præceptis reliquerunt; quã cognoscere,  
 & factis approbare non adolescentum modo, verũ etiã  
 natu maiorum intersit, ad extremum qua vita humana  
 vix caruerit, cuius crebrior magisque assiduus in omni  
 penè loco & tempore usus, quam virtutis, qua nonnulli  
 cum primũ in summa gratia apud potentes ac dyna-  
 stas sese posuissent, deinde honores quoque & diuites di-  
 uicias illorum ope sunt adepti. Et quoniam ( ut est scri-  
 ptum in fine huius dialogi ) res ista aliam rem, quem ad-  
 modum virtus, non requirit, totãque in nobis est posita,  
 debent adolescẽtes hoc alacrius ad eam se dare, suamq;  
 ingenuitatem hac etiam laudabili exercitatione omni-  
 bus palàm ostendere. **MAGNES A SE FER-  
 RVM** ) De causa huius rei varias philosophorum opi-  
 niones adducit Brod. libr. 3. cap. 29.

PRO

PROGYMNASMA  
DECIMUMSEPTIMUM.

*Qui potissimum in coniunctione consuetudinis atque sermonum odiosus.*

FLAVIUS, MARTIANUS.

**F**LAVIUS. Prò quàm grauitè apud me offēdit hesternò die, quāque nobis omnibus inuisus & ingratus fuit quidam, si vultum cōsideres, nobilis & quātiuis pretij; si mores, ipsa rusticitate rusticior, ipsa arrogantia arrogantior. M. Quònam in loco Flauij? F. In diuersorio, quā nox proserpens coëgerat cum comitibus. M. Quid is homo faciebat? F. Silebo de edacitate portenti, quā Crotoniatam Milonem vincebat. Tacebo de potandi auiditate, quā Alexandros, Tiberios, Traianos, & qui dictus est amphora, Xenagoram illum Rhodium superabat. Nihil dicam de modo comedendi spurcissimo. Turgebat fastu, seque ipsum admirabatur impensius. M. Rem insolitam apportas meis auribus. Sed nisi narras facinora: frustra me tibi postulas credere. F. Magna verò ad narrandum suppetit benignitas, Martiane. Sic se gerebat, sic loquebatur, ut satis liqueret, eum nos præ se contēnere, ac pro nihilo putare. In quo illud præceptum à sua mēte penitus repudiare visus est, quo pueri monemur in scholis, ne aut dicamus, aut agamus quidpiam, vnde in suspicionem veniamus, quasi non valde amemus, aut parui faciamus eos, quibuscum viuimus & versamur; neue tales simus, ut nisi iniquissimo

quissimo animo videre nos nemo queat. M. Nul-  
lusne ibidem aderat, cui vel cedere ipsum, vel  
æquales partes concedere decuisset? F. Ac plu-  
res quidem, illoque nobiliores. Veruntamē tu-  
mor, & insolentia viri, quotquot aderant quo-  
dammodo conculcabat. In accubitu principem  
ipse sibi locum deligebat, nobis tanquā pueris  
suum cuique distribuebat. Primus in patinā ma-  
nus mittebat, plurimū ipse fabulabatur. Si quis  
nostram cœpisset narrare aliquid, ipse narratio-  
nem interrompebat; nec quidquam quod ipse  
non dixisset, rectè ac verè dictum interpretaba-  
tur. Ministris, diuersoribus, & hospiti manda-  
bat liberrimè quæ libido ferebat, omnes sua cau-  
sa occupatos, in se vnum intētos ora tenere, at-  
que ad nutum suum paratos esse æquum cense-  
bat. M. Vocemus hunc stabulum impudentiæ,  
thesaurum arrogantiam, siquidem ita se gessit, vt  
ais. F. Audi catastrophē huius comœdiæ. Cū  
quieti corpora commendare institueremus, in  
omnium mollissimo lecto se collocari impera-  
bat. Quærebat etiam ab hospite, num cubiculū  
elegantius & ornatius non haberet, in quo ipse  
solus capere somnum posset. Negante illo. Tu  
verò, inquit, extruendum curato, quò aliàs me  
ac mei similes pro cōditione nobilitateque no-  
stra etiam cubituros accipias. Formidabam ne  
præciperet mihi, vt ad se accurrerem, caligas-  
que detraherem. Animo gessissem morem, adeo  
depexum dedissem flagitium illud hominis, vt  
quoad vixisset, mei semper meminisset. Ad ver-  
ba quidem atrocia ventum esset, si prurientes  
manus cōtinere à vetulo illo veruece potuissē.

M. Pec

M. Peccasses tu quoq; victus cholera, & à reprehensione haud abfuisse, parumq; promouisse. Furere & iracundia præcipitem abire turpissimū est. Recitare te prius tacitū oportuisset quatuor & viginti literas, quod Augusto suasisse Athenodorus philosoph<sup>9</sup>, ac deinde inuadere in hominem. Potius nobis Seneca audiendus. Aut potentior, aut imbecillior te læsit: Si imbecillior, parce illi: si potētior, parce tibi. Non est magnus animus quem incuruat iniuria. F. Quid? tu patrociniū huius arripis? huius tam merētis? M. Atqui nec tutum, nec decorum est quemq; merentem à quouis, vbiuis, quocunq; tēpore vel obiurgari, vel admoneri, vel puniri. F. Hæc oratio. Sed quamuis tua natura nihil mitius cognouerim, non tulisses tamen, credo, tātū, tamque insolens fastidium. M. Valeat arrogans ille. Censen<sup>9</sup> minus incurrere in odium hominum quosdā cerebrofos, tetricos, acerbos, iracundos? Quibus nihil satis placet vnquam, quod ali<sup>9</sup> fecerit, vultu nunquam sunt sereno, quidquid & quomodocunq; illis dixeris, semper respondent, perpetuò castigant alios, toties conuitiantur, domi, foris, præsentibus aliis, & absentibus. Nunc deliquit nescio quid vxor, nunc liberi, nunc ancillæ, nunc serui, nunc vicinus, nunc popularis, nunc extraneus. F. Quid si quispiam istis moribus tā inamœnis potius peruersa quadam assuetudine, quàm destinatò, & nequitia sit præditus? video certè hoc accidere posse. M. Etiam fures & grassatores assuefacti furtis & latrociniiis peccāt: nihilomin<sup>9</sup> velint nolint, illi laqueo fracta gula, hi rota comminutis ossibus,

bus, vita exturbantur. Vitiosa cōsuetudini nulla prorsus est relicta defensio. F. Non pateris ergo patrem familiās aliquem excandescere, asperius appellare, pulsare etiam suos. M. Ego verò patior, sed iudicio adhibito: vt neque sēpe, neque nimīū, neq; passim, neq; coram quibuslibet. Locus, persona, tempus, aliaq; adiūcta efficiunt, vt dignū reprehensione fiat, quod opportunè factū laudari poterat. F. Veritatis vis me cogit assentiri; superbos & iracūdos fugiendos duco. M. Ego insuper refractarios. F. Describe breuiter horum ingeniū! M. Aliorū voluntati atque votis in omni negotio resistere, aduersari, velleque cōtraria. F. O duros & inhumanos! M. Cogitemus paulisper, quantū ista tam contumax, & ferrea repugnandi libido ad amicitias conglutinādas momentum afferat. F. Ad amicitias? ad cōtemptum, ad odium, ad detestationem longè maximum. M. Ita est Flauī, vt dixisti. Obiicere enim sese, totisque virib<sup>9</sup>, omni que impetu animi alterius voluntatem oppugnare, eius delectamenta impedire, inimicorum est officium. Inimicos autem, si naturam spectes, quis diligat? quapropter illud consequitur, vt terra marique fugere istiusmodi prauitatē debeamus, si nos ceteris charos & iucūdos esse studeamus. F. De morosis quoque verba te facturū opinione præcipio. M. Et hi malè morati non malè possunt appellari. F. Vnde hoc nomen adepti? M. Quòd sunt multorum, variorum, & contrariorum morum. Quibus assiduè plurima, & facillimè displicent; qui semper, etiam minutissimis in rebus inueniunt quod cauilentur, quodque hoc aut illo modo facien-



dum audacter pronuntient. Aut ita. Morosus est cui non placet id, quod placere debet: vel, qui plus quam oportet, exigit ab aliquo; vel qui non fert, quod ferendum videtur. Senibus familiare vitium, de quibus perquam venuste Lucret. in 3.

Post ubi iam validis quassatum est viribus ævi  
Corpus, & obtusis ceciderunt viribus artus,  
Claudicat ingenium, delirat linguaque mensque,  
Omnia deficiunt, atque vno tempore desunt.

Rarò quenquam blandè salutant morosi. Rarò aut humaniter colloquuntur, aut placidè aspi-  
ciunt, aut sedatè respondent. Solent item negare sapius, quæ ab aliis affirmantur, quòdque ipsis beneuolè officiosè que aut fit, aut offertur ab aliis, id importunè atque inurbanè auersantur. Saluus sis mi Paule. Nihil moror salutem tuam: non sal-  
ueo. Malo ægrotare, quàm esse tua salute sanior. Ita quidam de ista colluue apud Plautum. Ut vales, amantissime Ioannes? Quid interrogas? valeo sicut heri & nudius tertius. apage. Quin imus ambulatum, & corpus recreamus? Tu ito si vis; ambulationem nihil curo. Pro certo nuntia-  
tur Antuerpiam concessisse iam in potestatem Regis. Quis hoc ait? commentum est. Dono te istoc gladio. Mallem me pecunia donares; retine tibi tuum gladium. Vellem te paucis. Vade in cruciatum, nónne vides me ampliter occupa-  
tum? Tuæ crepidæ nimium strident. Hanc lite-  
ram quàm malè pronuncias? crebrò tussis, sæpe rides, domus tremit, & rimas, agit, quando tu ambulas, ita ambulas. Phuy, vt intonsa tibi bar-  
ba? non possum ferre. Disertè Horatius satyra 3.  
lib. 1.

lib. I. Tigellium quendam morosum exprimit, quamque diuersorum morum & inæqualium fuerit ostendit: cui similes alios existimemus licet: eosdem videlicet, vt Martialis dixit, difficiles, faciles, iucundos, acerbos; vt cum sine iis viuere non possis, tamen non possis cum iis viuere. Cantores quidem in hanc turbam coniiciuntur ab eodem. F. Quomodo? M. audi.

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos

Vt nunquam inducant animum cantare rogati,

Iniulli nunquam desistant.

F. Nihil potuit dici credibilius. Morosum est hoc genus hominum, & interdum optima quoque fastidit. M. Haud mirum, nimis purgatas ac teretes habent aures, vulgus non item. Redeamus ad Horatium.

Sardus habebat

Ille Tigellius hoc. Cæsar, qui cogere posset,

Si peteret per amicitiam patris, atque suam, non

Quidquam proficeret. Si collibuisse, ab ouo

Vsq; ad mala citaret, Iô Bacche, modo summa

Voce, modo hac resonans, quæ chordis quattuor ima.

Nil æquale homini fuit illi: sæpe velut qui

Iunonis sacra ferret: habebat sæpe ducentos,

Sæpe decem seruos modo reges, atque tetrarchas,

Omnia magna loquens; modo, sit mihi mensa tripes, &

Concha salis puri, & toga, quæ defendere frigus,

Quamuis crassa queat. decies centena dedisses

Huic parco paucis contento, quinque diebus

Nil erat in oculis. Noctes vigilabat ad ipsum

Mane, diem torum stertebat. Nil fuit vnquam

Sic impar sibi.

F. Nunquid non hos, vt Plato Xenocratem, iubeamus sacrificare Gratiis? M. Etiam Zenonem Cittiaum imitari Is cum natura asper, intractabilis, & morosus esset, nec tamen morbum suum

amaret, (quod contra plerique facimus) quocum expelleret, vinum moderatè bibisse, atque ita placidus & commodus euasisse dicitur. Aiebat enim, similem se esse lupinis: illos quippe priusquam macerarentur acerbos, maceratos verò dulces reddi. F. In vino igitur non solum veritas, sed etiam humanitas. At melancholici propemodum eodem sunt ordine, quo morosi. M. sunt affinia hæc duo, melancholia & morositas, idem non sunt; multo que tolerabiliores melancholici, magisque pacifici, quam morosi, quibus nihil est aut intolerabilius, aut exosum magis. Est quoddam genus hominū altissimis cogitationibus intentum, nunquam penè apud se, audiens non audit, videns non videt. hoc quidem literarum studio consecratis, & obscurissimarum reconditissimarumque rerū inquisitione & contemplatione distentissimis (vt antiquis philosophis nonnullis) euenire potest, quibus ignoscendum est. Nihilominus tam hi, quam reliqui, cum mentes suas meditationibus implicatas habere volunt, ad vitandam offensionem seiungere se ab aliis, aut congressu aliorum abstinere debent. F. Probo consilium; nemo enim libenter cum iis agat, qui sese in congressu conuictuque attonitos, & tanquam stipites ac truncos præbent. M. Rectè intelligis. Restant quidam molliores vel cuniculi capillo, vel anseris medullula, vel infima auricula: teneri omnino & delicati, quibuscum versari oportet quàm cautissimè, quàm blandissimè, quàm curiosissimè. F. Sùntne cerei, an lanei, an vitrei, vt lædi, turbari, frangi subitò, nullòque molimine possint? M.

sint? M. Complectar vno verbo; sunt fœminei. Erras in titulo ipsorum, mox quasi in ordinem redacti irascuntur, inimicitias indicunt. Minus diligenter eos salutas, dolent. Haud ita frequenter eos visis, mirantur. Non summè reuereris, despici se arbitrantur. Ad quæ sita tardius, nec quæ ipsis lubet audire respondes, iniuria se affectos conqueruntur. Non celeriter exqueris quæ cupiunt, non te geris perfectè vt ipsi iudicant, & volunt, cœlum terrę miscent. Prò diuüm atque hominum fidem, qui stolidi isti, quid tandem non ægrè ferunt? F. Immodicè profectò se amant, & à virilitate longissimè recedunt. M. Et quia in sui ipsorum amore toti sunt, amare alios non curant, immemores illius: ab alio expectes, alteri quod feceris. Quis enim queat amare eiusmodi homines, quorum gratia tam citò, tam leui de causa amittitur? quis sese tanquam pedibus illorum subiectum velit? F. Recensuisti, & depinxisti homines, quorum societas non immeritò odiosa videatur; arrogantes, cerebroso, refractarios, morosos, animo absentes, delicatos. De moribus instituendis plura, cum vterque otium nactus erit. M. Si placebit, & si placuerit. Num quid aliud vis? F. Vt pristinam erga me voluntatē tuam conserues. M. Iniuriam mihi irrogas, dum istuc rogas. Sed quid ais? F. Quid vis? M. Quid si perendie ad te reuisam, vacabisne? nam mihi decretum est quædam agere tecum, quorum tibi nulla nunc quidem incidit suspicio. F. vacaturum puto. M. Hoc volebam scire.

## ANNOTATIONES.

**N**Otatur describunturque hoc progymnasmate hominum genera omnino sex, quorum consuetudo & societas iniucunda planè, & ingrata ac molesta est, toleratuzq; difficillima; arrogantes videlicet, cerebrosi & iracundi (barbari capiosos nominant) refractarij, morosi, attoniti, delicati siue nimium sui amantes. **IN DIUERSORIO**) Tametsi, diuertere, verbū commune est, perinētque ad loca omnia siue aliena, siue nostra, ad qua de via defleximus, paullo post discessuri; diuersorium tamen appellari non solet, quocunque diuertimus; aliquid enim habent propriū quo differunt diuersorium, hospitium, taberna, quam opinor cum caupona idem esse, &c. *Manut. in epist. 19. lib. 6.* **QUA CROTONIATAM MILONEM**) Athleta robustissimi nomen est, qui & in epigram. Græcis celebratur. Taurum ictu vno nuda dextera interfecisse, per stadium humeris portasse, vno die totum comedisse perhibetur. Ita malum punicum tenebat, vt è manu nemo illi extorqueret, aut digitum inflecteret, cum is tamen malum nusquam lederet. Cum semel constitisset, nemo eum è vestigio educebat. Sed quanquam robustus corpore, non tamen animo forti erat. *Eliau. lib. 2. cap. 24.* De eiusdem miserando interitu *Gell. lib. 15. cap. 16.* **XENAGORAM ILLVM**) *Eliau. lib. 12. cap. 26.* quo & alios vinosos recensuit. **ASSVETVDINE QVADAM**) Qui mala & vitiosa consuetudine officium deserunt, ipsimet caussa sunt quare peccent, talesq; sint, nempe impotentes, iniusti, intemperantes, vinolenti, &c. αὶ γὰρ τῶν ἐκαστῶν ἐνέγδεται τοῖς τοῖς τοῖς. Nam quales in quaq; re collocati sunt functiones, tales efficiunt eos qui funguntur. *Aristoteles*

teles lib. 3. Ethic. Cic. 3. Verr. O consuetudo peccandi, quantam habes incunditatem in improbis, cum pœna absuit, & licentia consecuta est. Plutarch. Sympos. lib. 5. Quæst. 7. Omnes animi affectiones si diu inhæreant, prauos ingenerant habitus: qui, ubi vim nature adepti sunt, quauis occasione concitati sæpenumero etiam inuitos ad familiares impellunt affectiones. Vides meticulosos etiam salutifera formidare: iracundos; carissimis etiam succensere; libidinosos ad extremum ne sanctissimis quidem abstinere corporibus. Magna enim vis est consuetudinis habitum ad familiarem affectionem deducendi: & qui ad lapsum sunt proclines, eos necesse est ad obuia quæque offendere. SI NATVRAM SPECTES, QVIS DILIGAT?) Quam variae magnæque utilitates ex inimicis capiuntur; quomodo item eos citra vitium vlciisci conueniat, eruditè, ut omnia, libello quodam Plutarchus nos docuit. Quia tamen inuiti ac nolentes profunt, gratiam & amorem haud merentur. Sed doctrina Christi natura & philosophia superior, diligere inimicos, & orare pro persecutibus & calumniantibus imperat. Et alio loco: si diligitis eos tantum, qui vobis benefaciunt, qua gratia est vobis? nõnne & Eibnici hoc faciunt? SENIBVS FAMILIARE VITIUM) Cic. in Cato. At sunt morosi, & anxij, & iracundi, & difficiles senes: si querimus, etiam auari. Sed hac morum vitia sunt, non senectutis. Epigram. lib. 1. titulo εἰς γῆρας καὶ γέροντας, incerti auctoris hoc est.

Ἀρ περιλειφθῆ μικρὸν ἐν ἄγγεσι μὴ δέῃ οἶν,

Εἰς δὲ τρέπεται τὸ τοιοῦτον τὸ λαμπρόν.

Οὕτως ἀντλήσας τὸν ὄλον βίον, εἰς βαθὺ δὲ ἐλθὼν,

Γῆρας δὲ πρεσβύτης γίγνεται ὀξύχολος.

Continet autem hunc sensum. Si modicum de dulci vino in vase remanserit, acescit. Senex exhausta iam vita,

*& ad finem ætatis prouectus fit morosus, & iracundus. NIHIL MOROR SALVTEM TVAM) Plaut. Trinum. cum Amorem vituperans, dixisset ipsum mores hominum moros & morosos reddere, ita deinceps eius, Amoris inquam, mores pergit describere: qua mihi descriptio in morosi ingenium valde videtur quadrare.*

Minus placet magis quod suadetur, quod dissuadetur placet.

Cum inopia est cupias: quando eius copia est, tum non velis.

Ille qui aspellit, is compellit: ille qui consuadet, vetat.

VI PLATO XENOCRATEM) *Laertius rem his verbis narrat. Graui semper, ac tetrico vultu erat: ita ut saepe illi Plato diceret: Ζεὺς ὄργατος, ὅτι ταῖς χάρισι, Xenocrates, sacrificia Gratis. ANTIQVIS PHILOSOPHIS NON NVLLIS) Quod Democritum ciuem suum perpetua rerum indagacione adeo impeditum illigatumque cernebant Abderite, ut res alias omnes negligeret, insanire hominem crediderunt, ac proinde Hippocratem ad eum curandum accersuerunt. Anaxagoras autem assiduitate & vehemētia contemplationis tum vires suas prostrauisse penitus, tum in λεπτοθυμίᾳ incidisse fertur.*

## PROGYMNASMA DECIMVM OCTAVVM.

*Compositio corporis inter colloquendum, & consuetudines rusticane.*

ΑΔΕΛΦΗΣ, ΕΥΛΑΛΙΟΣ.

**A**ΔΕΛΦΗΣ. Peruellem, Eulali, si esset tibi complacitum, quod in Grammaticis, idem  
in iis

in iis præceptionibus institutum tenerem<sup>9</sup>, quibus morum laudabilium rationes in gymnasio explicatæ sūt: vt alter scilicet alterum super illis interrogaret; quò & tenacius inhærent in mentibus quæ mansissent, & eodem reuocarentur quæ effluxissent. E. Bonum & æquum oras Adelphe; tam mea quàm tua causa volo. A. Per triduum proximè transactum de cōgressionibus disputatum esse scis. Quamobrem de iis cōpendio colloquamur, si videtur. E. Mihi verò. A. In capite primo partes interrogādi, in reliquis respondendi sumam ego: nisi tu aliud vis. E. Velle tuum volo. A. Quod erat primum? E. Quis totius corporis status deceret adolescentem in colloquio. A. Apud viros auctoritate, grauitate, amplitudine aliqua præcellentes cum sit astādum & loquendū aperto capite, tenendū sine interim sub axilla pileus? an in manibus habendus ille quidem, circumagendus tamen sensim in orbē? an inde villi decerpendi? an puluisculus decutiendus? E. oh, nequaquam. Isti agricolarum, & aurigarum solæcismi sunt. Sinistra pileum teneat, dexteraque ad pectus, seu vmbilicum quā leuissimè admoueatur. A. hocine modo? E. Hoc ipso. A. Quid oculi & vultus? E. Amico lumine intuēdus, qui cum sermonem exsequimur, non toruiter, non impudenter, non ferociter. Facies in rubore, proinde vt si sudaret, non abstergenda, nec aliorsum conuertenda, nec commutanda, verum in eodem habitu constanter conseruanda. A. Explana hoc. E. Prohibemur iam crispare nasum, iam frontem nubibus obducere, & consulcare, iam attollere supercilia, iam distor-



quere labra, iam hiare faucibus. A. Qualis ani-  
 mi hæc putas argumenta? E. Ventosissimi, in-  
 primisque temerarij. A. Quid habes monere de  
 capite? E. Sunt qui illud quietum tenere haud  
 queunt. Sunt qui ipsum quatiētes petita negāt.  
 Quosdam videmus eo reducto alios accersere.  
 Alios fricare occipitium, vel quatuor digitis,  
 vel vno etiam, quod olim reprehensum est in  
 Pompeio, vt mea est memoria. Horum nihil cō-  
 mittendum; vt neque adducendi humeri, agitā-  
 da brachia, quasi muscas abigeremus, neque di-  
 gitis exercendæ argutiæ, vacillandūmue pedi-  
 bus, sed in vestigio primo consistendum. A. Su-  
 perest de tussī & screatu. E. Quod necessitas nō  
 coegerit, vitandum est; obturbantur enim lo-  
 quentes. A. Si inter amicos, sodales ac familia-  
 res de vtilibus honestisque rebus sit introductū  
 colloquium, an me tum ibi obdormiscere de-  
 ceat? E. Nisi hoc deceat, præbere opinionē isto  
 factō, quasi præsentēs in contemptionem nobis  
 venerint, & ipsorum sermones cum aspernatio-  
 ne audiamus. Largiter quosdam in eo, vsque ad  
 rhonchos delinquentes obseruavi, quibus item  
 saliuā in barbā defluebat. A. In confessu cōfa-  
 bulantium quid aliud cauendum? E. Ne exsur-  
 gamus, & interea per cōclauē in ambulemus. A.  
 quid præterea? E. Ne corpus iterum iterūmque  
 commoueamus, & nunc quidē in hoc, statim in  
 aliud nos latus cōuertamus. Ab agro etiā sunt,  
 qui eo ipso tempore, si quam secum ferunt ad se  
 conscriptam epistolam, educunt è marsupio, &  
 in conspectu omnium taciti legūt; quique cul-  
 tello vngues præsecare non erubescunt; veluti  
 si aut

si aut nemo adesset, aut qui adsunt, caules aut fūgi essent. A. Ad cætera de labamur. Tu interroga. E. Immò tu interroga. A. Respondere iam malo. E. Non luctabor tecum, interrogabo.

## A N N O T A T I O N E S.

**R** E P R E H E N S V M E S T I N P O M P E I O )  
*Plutarc. lib. de utilit. ex inimicis cap. ubi monet, cum probrum falsum obiectum fuerit, ut inquiramus quibus ex causis eiusmodi maledictum sit natū: deinde caueamus metuamusq̄, ne quid imprudentes deliquerim<sup>9</sup> vel affine, vel simile ei quod obiicitur. Lacides, inquit, Argiuorum Rex, ob comam compositiorem, & incessum delicatiore vulgò malè audiuit, veluti mollis & effeminatus. Idē accidit Pompeio, propterea quod vno digito scalperet caput, quū à mollitie & lasciuia longissimè abesset, &c. Quindecim leges hoc dialogo datae sunt. De pileo ubi caput nudaueris non rusticè tenendo, de dextera, de oculis, de facie, sine de vultu, de capite, de humeris, de utroque brachio, de digitis, de pedibus, de tussibus & sreatibus, de somno vitando, de non exsurgendo, & ambulatione, de corporis quieto statu, de non legendis epistolis, de unguibus eo tempore non prescandis. Horū pleraq̄, sepius ab annosis perpetrari videas.*

P R O G Y M N A S M A  
 D E C I M V M N O N V M.

*Honores quibus, & qui.*

*I I D E M.*

**E** V L A L I V S. Quid posthæc docebamur? A. Quibusnam hominum ordinibus in omni aditu,

aditu, congressione, occurſuque, & qualis quantusque honor tribuendus. E. Quibusnam ergo? A. Sacerdotibus ac Religioſis. E. Hiſce ante omnes? A. Ante omnes. E. quapropter? A. Sunt enim Deo Opt. Max. dedicati, cui ſtudioſius miniſtrant, ſollicitèque inferuiunt. Dei autem famulis qui neget præ aliis obſeruantiam honoremque deberi, propter eundem Deum videlicet, quem in ipsis diligimus veneramurque, is non eſſe in poteſtate mentis videatur. E. Si fuerint potiores, aliisque flagitiis cooperti, quales hiſce triſtiſſimis extremisque temporibus non pauci inveniuntur? A. Deus, & amplitudo, ſanctitudoque muneris que procurant, non ipſa perſona, que ſe ſcelere aſtringit, ante oculos ſtatuenda eſt. Illa ſua dignitatem retinent ſemper; hæc turpis, infamiaeque maculis notata atque inuſta eſſe poteſt. E. Quibus exemplis ad rem illuſtrandam utebatur? A. Constantini Magni, D. Franciſci, & aliorum. E. Strictim de illis duobus. A. Auguſtus ille, Imperatorum Chriſtianorum ſignifer, cum in Concilio Nicæno vltimus inter Epiſcopos aſſediſſet, eorumque libellos accuſatorios accepiffet, omnes nondum lectos ſimul in ignem abiicit. Vos ſacerdotes, inquit, tanquam dii ad homines gubernandos delecti atque conſtituti eſtis. Ite igitur, cauſasque veſtras inter vos diiudicate. Eiuſdem eſt. Si quempiam ſacerdotem peccantem offenderem, chlamyde mea operirem, ne ab aliis conſpiceretur. D. autem Franciſcus dicere ſolitus eſt: ſi cui beatorum è cælo deſlapſo, & cum aliquo ſacerdote ambulanti occurreret, prius ſe ſacerdotis manum oſculaturus, deinde

deinde beato illi honorem habiturum suo præterea exemplo quanta esset sacerdotij præstantia ostendit, cum, vt eo inauguraretur, induci nunquam potuit, diaconique nomen & locum tenere vsque ad occasum vitæ perseneravit. E. aternæ memoriæ commendandum facinus. Secundum hos qui honore prosequēdi? A. Parentes, cuius rei & natam, & scriptam à Moysè legem habemus. Per eos quippe dias in luminis oras exorti, hoc cœli spiritu fruimur, & homines, id est, animantia rationis, & consilij plena procreati sumus. E. Immensum vtique, immortalèque beneficium. Qui tertiū gradum obtinēt? A. Præceptores. E. quare? A. Ex animo & corpore coagmentamur: atque vt parētes corpus istud caducum ac dissolubile, ita hi animum sempiternum, omnis scientiæ capacem, progignunt quodammodo, nobisque inserunt, dum ipsum literarum virtutumque præceptis diligēter excolunt & informant. E. Quid de Alexandro? A. Plus se Aristoteli magistro, quàm parenti Philippo debere: quòd ab hoc quidem accepisset vt esset, ab illo autem vt bene esset. Quocirca nō immeritò lætitia magna elatum Regem illū, sibi Aristotele superstite filium esse natum, cui eum concredere erudiendum posset. E. Quid vult illud, bene esse? A. Literatum esse, quando vita sine literis mors est dicenda potius, quàm vita. E. Et hinc Augustorum exempla producta recordor. A. Antoninus magistrorum suorum imagines aureas domi habere, eorum sepulchra floribus conspergere solebat. Gratianus Valentiniani filius Aufonium consulem creauit, cui in  
Galliam

Galliam scripsit in hæc verba. *Cum de coff. in annum creandis mecum solus volutarem, ut me nosti, atq; ut facere debui, & te velle sciui, consilium meum ad Deum retuli. Eius auctoritati obsecutus, te consulem designavi, declaravi, & priorem nuncupavi. Trabeam palmatam tibi misi, in qua D. Constantinus pater noster intextus est. Solui quod debui, & adhuc debeo quod solui.*

E. Quomodo quæso debet aliquis quod soluit? an hoc non est incredibile & absurdum? A. Non est, Eulali, si gratias infinitas debeat, ut debere se hic sapientissimus Imperator adolescens iudicabat. Legerat, credo, illud Aristotelis: diis, præceptoribus & parentibus pares gratiæ referri nunquam possunt. E. Quæ omnium dictorum tam pulchrè meministi? A. Sollicitam dedi operam, ne elaberentur animo, sententiam in schedas confestim retuli ex ore magistri, post sæpe mecum reuolui. E. Iam quos nominabis? A. Senes, quos & sanctæ literæ honorare iubent. E. Iurè, multa enim senes tempus docuit, quod, ut auferat cætera, prudentiam quidem certè affert. A. Sola mens senescens iuuenescit, scriptum est apud Plutarchum; & tempus cum adimat alia, senectuti apponit scientiam. E. Nihilominus verè Plautus: non ætate, verum ingenio adipiscitur sapientia. A. Et Seneca ille morum vitiorumque publicorum & descriptor verissimus, & acensator acerrimus, libro de Trāquillitate animi, haud omnes senes honorandos insinuat, cum ait. Nihil turpius est quam grandis natu senex, qui nullum aliud habet argumentum, quo se probet diu vixisse, præter etatem. Nec omnibus, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapiē-

tia

tia validum est; stulti, stolidi, fatui, fungi, bardii, blenni, bucones multi inter senes. E. Qui supersunt? A. Nobilitate generis illustres, qui cū imperio & potestate sunt, amplissimóq; magistratu præditi, qualescunque, seu boni, seu mali, de quibus & in Apostolicis scriptis mandatum accepimus. E. Possumusne pares & inferiores honore honestare aliquo? A. Maximè immò, tametsi ad id nulla lege adigimur. Laudabile siquidem, & honorificum Christianis est, audire suadentem Paulum: honore inuicem præuenientes. Fit autem quisq;, dum minores honore prosequitur, nō ipse minor, sed maior potius; quia modestiæ, summissionis, ciuilitatisque ornamenta ad cæteras virtutes suas adiungit. E. Doce nūc quinam, & quantus honor istis omnibus impendendus quos protulisti. A. Honestissima pars corporis nostri, caput, inquam, reuerenter nudanda. E. Teneo. Quid postea? A. Poplites incuruandi aliquantum. E. Amplius? A. Assurgendū. E. Adhuc? A. de via decedendum. E. Nihil aliud? A. Si vnà ambulandum, locus dexter illis relinquendus, & medius, si plures duobus ingrediamur. Quidam solent etiam manus suas honoris ipsorum causa osculari, quod ab antiqua deos venerandi adorandique consuetudine profluxit. E. Tu velim deinceps interrogantis personam suscipias: ego respondentis recipiam. A. Tuo verò id quidem arbitrato, mi Eulali.

## ANNOTATIONES.

**P**ROPTER EVNDEM DEVM VIDELICET) *Legendum embl. ma 8. Alciati. NON*  
TIBI,

TIBI, SED RELIGIONI, & in idem Claudius Minos. Diuus Gregorius Magnus Homilia in Dominicam tertiam post Pentecosten. Seruus sum summi patrisfamiliās. Cum vos admoneo ad contemptum seculi, inuitare vos venio ad cœnam Dei. Nemo me propter me hoc in loco despiciat. Sape euenit, vt persona potens famulum habeat despectum: cumquē per eum suis forte, vel extraneis aliquid mandat, non despicitur persona loquentis serui, quia seruatur in corde reuerentia mittentis domini: nec pensant qui audiunt, per quem, sed quid, vel à quo audiant. De honorandis porro patribus, sacerdotibus, senioribus, eruditis, præceptoribus, magistratibus, multa Maphæus lib. 4. cap. 4. 6. 7. 8. 9. 10. Apud maiores, ait Gellius lib. 2. cap. 15. neq; generi, neque pecunie præstantior honos tribui, quam etati solitus, maiorēque natu à minoribus colebantur ad Deū propè, & parentum vicem, & que sequuntur. LAETITIA MAGNA ELATVM) Epistolium quod est apud Gellium lib. 9. cap. 3. Latinum (vt quidem Gellius conuertit) adscribemus. Filium mihi genitum scito, quod equidem diis habeo gratiam: non proinde quia natus est, quam pro eo, quod eum nasci contigit temporibus vite tue. Spero enim fore, vt euctus eruditusque abs te, dignus existat & nobis, & rerum istarum successione. NON AETATE, VERVM INGENIO) Titulo 16. lib. 1. in senectutem & senes, elegans & fetētiosum est epigramma Philonis. Canos, si adsit prudentia, dicit venerabiles fore. Nam si ea desit, magis turpem quam honestam videri canitiem. Et capillos albos, si taceas, existimari posse indicium intelligentis animi. Sin loquaris, tum non magis arguere prudentiam in senibus, quam iuuenibus.

Αἱ πολὶαὶ σὺν νῶ γε βαρύτερα. αἱ γὰρ ἄτερ νῶ  
Μάλλορ τῶρ πολλῶρ εἰσὶν ὄναδ' ἔτῶρ.

Αἱ τρίχες ἢρ σιγᾶς εἰσὶ φρένες ἢρ δὲ λαλίσσης,  
Ὡς αἱ τῆς ἠβῆς, δ' φρένες, ἀλλὰ τρίχες.

APOSTOLICIS SCRIPTIS) Paul. ad Rom. 13.  
ad Hebraeos item 13. Petrus epist. 1. cap. 2. LOCVS  
DEXTER ILLIS RELINQVENDVS) Dex-  
ter, an sinister locus veteribus honestior fuerit, quæri po-  
test, & quaesitum à Lipsio Elect. lib. 2. cap. 2. probatum-  
que dextrâ visum potiozem. MANVS SVAS HO-  
NORIS IPSORVM CAVSSA OSCVLARI)  
Hic mos osculandæ manus cum potentes ac fortunatos  
salutamus, aut honorem ipsis habere volumus, ab anti-  
quorum deos multos colentium ridicula & impia super-  
stitione promanavit. Cum enim sanum aliquod præteri-  
rent, aut ligneum lapideumve Deum aliquem aspice-  
rent, manum ad os referebant, tenuique murmure eos  
precabantur, ut sibi fauerent. Cuius meminerunt Mi-  
nutius Felix in Octavio, Apuleius Apolog. 1. Plinius  
lib. 28. cap. 2. Hieronymus Apolog. 1. in Ruffinum. Vide  
Muretum lib. 10. cap. 1. Pithæi adversar. lib. 1. cap. 7. Eo-  
dem modo astra, qua in diis numerabant, veneraban-  
tur. Hinc illud Iobi cap. 31. Si vidi solem cum fulgeret,  
& lunam gloriosè incedentem, & deceptum fuit in oc-  
culto cor meum, & osculatum est manum meam os  
meum. Id est, si vidi solem & lunam, & manum meam  
admoui ad os meum. Ut si diceret. Si, cum vidi solem &  
lunam, adoravi ea, manu videlicet admota ori, atque  
ad osculum relata. In quem locum videndus diuus  
Hieronymus.



PROGYMNASMA  
VICESIMUM.

*Epitheta, seu tituli.*

IIDEM.

**A**DELPHVS. Quæ de titulsi, vt à plerisque vocantur, audiuimus, itera summatim. E. Hoc primum. Inter loquendum crebrius admiscendos, quando ea res nos in gratiam ponit: gaudet enim quisque se honorifice appellari, & quomodo nos ignominia appetentibus nõ bene, sic vicissim honore augentibus naturà optimè cupimus. A. Ita vt memoras. Quotuplices sunt tituli? E. Duplices. A. cedò. E. Peculiares & communes. A. Enumera communes. E. Qui literas tractant, audient à nobis, viri eruditissimi, doctissimi. Sacerdotes & monachi, religiosissimi, aut reuerendi Patres. Qui sunt æquales nobis ætate, genere, fortunis, amici appellabuntur, & nonnunquam fratres. Ignotis dominorum nomen impertiemus. A. Atqui apud veteres hoc verbi in reprehensione erat, & tyrannum quasi sonabat; pròditumque literis est, Augustum & Tyberium dominos sese nominari vetuisse. Declarant etiam voces, dominari, dominatus, dominatio, quæ sæpe in malam partem ponuntur, quæ nã vis & potestas illi vocabulo subiecta aliquando fuerit. Odiosè item sonant rex, regnũ, regiè & regnare, apud Tulliũ. E. Cũ alios dominos hodie, & nos alicuius seruos nominamus, sciendum Græcorum Latinorumque, qui multis ab-  
hinc

hinc sæculis vixerunt, nos consuetudinem retinere; apud quos in omni congressione, in scriptis quoque nihil his duobus similibusque vocabulis tritius atque vsitatus. Quo factum, vt iam veluti herba in aquam iniecta, diutiusque macerata suam amaritiam exuerint: verendumque interdum, ne dum nimis, & in omnibus Ciceroniani esse nitimur, à prudentioribus imprudentes, inepti ac rustici numeremur. A. Doctè obiecta soluiti. Quos vocas titulos proprios? E. Quosdam voco proprios, non ita tamen, quin adhuc ad communitatem sint idonei: quorum certi Episcopis tribuuntur. A. Quinam illi? E. amplissimi, sanctissimi, integerrimi, vigilantissimi, religiosissimi Antistites, Præsules, Pontifices. Certi deinde magistratibus, vt Consulibus quos licebit dicas prudētissimos, sapientissimos. Certi Iudicibus, quos dicemus incorruptissimos, sanctissimos integerrimos, æquissimos, iustissimos. Alij artiū ingenuarū magnarūque cultoribus & Professoribus, vt Theologis, Oratoribus, Poëtis: primi grauissimi, secūdi eloquētissimi seu disertissimi, postremi nobilissimi, clarissimi nominabūtur. A. Pater, mater, fratres & sorores? E. Pater optimus & amātissimus; mater suauissima, & dulcissima; fratres & sorores amantissimi, charissimi, optatissimi. Illud tamē ignorandū nō est, epitheta quaedā esse perpetua, vt curuū de litore (omne enim litus curuum, & semper) album de lacte, viridis de smaragdo: quale vult Seruius esse illud apud Maronem ecloga 3. iniusta nouerca. certè perpauca adhuc extitisse puto, qui nouercas commendarint, iustasque & clementes

sibi cognouerint: quædam temporalia, quæ non semper, sed quandoque substantiuis suis conueniunt, vt pudica, bona, de muliere, graue, salubre, serenum, de cælo. Sic nos, cum in epithetis alicuius ordinis hominum id inueniemus, à cuius subiecta notione reque ipsa procul quispiam abest, non id, verùm alia ex eadem serie ipsi tribuemus. Antistitem consuescentem cubilibus flagrantemque infamia, curant integerrimum, aut sanctissimum potius falsò, quàm amplissimum, reuerendissimum verè compellem? Regem ardentem avaritia cauebo dicere munificentissimum, beneficentissimum, quamuis sic quoque reges sciam nominari: inclytum, magnanimum, aliisue in eum cadentibus appellabo. A. Quæro iam, hæc adiuncta ad nomen, seu apposita, vt à Cicerone, & Quintiliano, seu epitheta, vt passim à doctis vocantur, vtrum in abstracta ( vt Grammatici loquuntur ) mutare possimus. E. Quid ni? A. Exempla requiro. E. Iuua me consilio vir sapientissime, sic mutabo: Iuuet me consilio sapientia tua. Sic, tua nobilitas, moderatio, bonitas, eruditio, & alia infinita positiuis & superlatiuis quasi quandam vicariam dabunt operam. A. Quomodo epithetis elegantibus, ac propriis abundabimus? E. Si & libellum Ciceronianorum epithetorum sæpe versabimus, & multa insuper, præsertim coniuncta, quæ Nunsius magnam partem præterit, ipsimet diligentia studioque nostro è Ciceronis monumentis excerpemus, atque in locos certos digereamus, idque cum in propriis, tum in appellatiuis nominibus. Veruntamen illa his ne

permisceantur. Obtineant suas paginas seorsim propria, suas item appellatiua, & ordine alphabetico vtraque colligantur. A. Coniunctorum illorum in vtroque genere exépla vellem afferres. E. Sic faciam. Socrates parens philosophiæ, princeps philosophorum, præstans vir virtutis & sapiëntiæ gloria. Plato sapientissimus Græciæ vir, longéque doctissimus. Aristoteles singulari vir ingenio & penè diuino. Pythagoras locupletissimus auctor. Pôpeius omnium sæculorū atq; gentiū princeps, vir abūdans bellicis laudibus. Epaminondas princeps Græciæ. Huiusmodi non in ipsos tantū valebunt, quibus à Tullio apponuntur, verū etiam in alios; doctōrum in doctos; Imperatorum atque ducum in Imperatores & duces; vitorum bonorum in bonos viros; fœminarum in fœminas. Quod autem de laudationis, idem de vituperationis epithetis intelligamus, quæ pari ratione obseruanda, conquirendaque sunt. A. Num hoc in aliis præterea scriptoribus licebit? E. Prorsus, in illis scilicet, qui vel sæculo Tulliano æuum tolerarunt, vel non multò pòst. Item è Christianis, & nostræ ætatis, qui ad excellentiam Ciceronianam aspirare contenderunt, quos nominarem, nisi omnibus essent notissimi. A. Narrabat Magister, se adolescentem è Lactantio Firmiano libellum epithetorum sibi confecisse, quo scriptore tum plurimum propter claram pollentemque facundiam fuisset delectatus. Proferebat exempla quæ mihi exciderunt. E. Nec ego omnium, multorum tamen, recordor. A. Redige mihi in mentem, nisi molestum est. E. Prius

monebat, se etiam periphraſes, antonomafias epithetorum nomine, à quocunq; auctore ſumerentur, comprehendere; ſiue id Grammatici æquo, ſiue iniquo ferrent animo. A. Nil moramur Grammaticos. E. Quàm pulchre de Deo? Illa ſumma rerum poteſtas, ac diuina vis. Æterna mens, & ex omni parte perfectæ conſummataque virtutis. Communis parens generis humani, & rerum mirabilium fabricator. Ille præſes mundi, & rector vniuerſi. Sancta & ſingularis illa maietas. De Chriſto. Dux communis, & magiſter hominum. Legatus, nunciuſ, & ſacerdoſ ſummi patris. Omnium iuſtorum caput. De M. Tullio, quem mirabiliter ſuſpicit, Romanæ philoſophiæ princeps. Vir ſapientiſſimus. Romanæ linguæ ſummus auctor. Perfectuſ orator. Summuſ philoſophuſ. Qui ita ſtudit philoſophiæ, vt nulluſ vnquam diligentiuſ. Viriagenij ſingulariſ. Eloquentiæ ipſiuſ vnicuſ exemplar. De Epicuro. Homo, quo ſano & vigente nulluſ ager ineptiuſ delirauit. Turpiſſimæ voluptatiſ aſſertor. De Diabolis & Diabolo, impuri, immūdi, inquinati ſpirituſ. Malorum quæ geruntur auctoreſ. Perditoreſ hominum. Spirituſ contaminati ac perdituſ, nequiſſimuſ. Inimicuſ & vexatoreſ hominum. Hoſteſ humani generiſ. Machinator omnium malorum. Ille colluctator & aduerſariuſ noſter. Diuini numiniſ ſemper inimicuſ. A. De hæreticis etiam quædam adducebat. E. Pulcherrima. Verbi cauſſa. Delira capita. Oblatrantēſ atque obſtrepentēſ veritati. Caci & hebetēſ, ac rerum & veritatiſ ignari. Et ſuarum & alienarum

rum interfectores animarum. Qui prauis religionibus instituti auertunt homines ab itinere cœlesti, & in viam perditionis inducunt. Eorum libros vocat sacrilegas literas. Multa satis meministi; ad Ciceronem reuertamur, è quo exempla appellatiuorum exspecto. E. Homines seu viri summa grauitate, summaque constantia, virtute, fortuna, gloria, rebus gestis amplissimi. Ciuitatis suæ nobilissimi. Egestate & scelere perdit. In stupris inauditis nefariisque versati. Singulari cupiditate, audacia, scelere præditi. Tetræ immanesque belluæ, funesti latrones, proditores ac vexatores Reipub. pestes ciuitatis, turpissimi & improbissimi ciues, fatalia portenta prodigiaque Reip. parricidæ patriæ. Adolescentes rectissimis studiis atque optimis artibus præditi. Incredibili ac diuina quadam mente atque virtute. Clarissimi atque omnium præstantissimi. Inprimis inter suos honesti ac nobiles. Sunt alia quàm plurima tum ad laudem, tum ad reprehensionem pertinentia, ex quibus in istis libellis epithetorum pauca cernas. Parui autem refert, multa horum de Catilina, Clodio, Antonio, Verre, Pisone, aliisque huiusmodi monstris, & de Pompeio, Lentulo, aliisque; viris optimis à Tullio dici: poterunt enim à nobis & de propriis, & de non propriis rectè eleganterque vsurpari. Atque hæc ferè istoc triduo, quæ hætenus breuiter à nobis repetita sunt.

## ANNO T A T I O N E S.

SEV TITVLI) *De etymohuius vocabuli, & quam Sobrem inscriptiones librorum dicti sint tituli. M.*

gius li. 1. cap. 14. AVGVSTVM ET TIBERIVM)  
 De Augusto hunc in modū Sueton. cap. 53. Domini ap-  
 pellationem, ut maledictum & opprobrium semper ex-  
 horruit. Cum spectante eo ludos, pronunciatum esset à  
 mimo. O dominum, equum & bonum: & uniuersi quasi  
 de ipso dictum exsultantes comprobassent: statim manu  
 vultuq; indecoras adulationes repressit, & insequenti  
 die grauissimè corripuit edicto: dominūq; se posthac ap-  
 pellari, ne à liberis quidem aut nepotibus suis vel serio,  
 vel ioco passus est: atque huiusmodi blanditias etiā inter  
 ipsos prohibuit. De Tiberio autem cap. 27. Dominus ap-  
 pellatus à quodam, denuntiauit, ne se amplius contume-  
 lia causa nominaret. Lege Notas Mureti ad ep. 3. Se-  
 neca, & Torrent. in Sueton. Domitianū primum fuisse,  
 qui se dominum appellari pateretur, scribūt Eusebius &  
 alij. Sex. Aurelius de Caligula hoc restatus est. De illius  
 intolerabili fastu & arrogantia hoc amplius cap. 13.  
 Sueton. Cum procuratorum suorum nomine formalem  
 dictaret epistolam, sic cœpit: Dominus, & Deus noster sic  
 fieri iubet. Vnā institutum posthac, ut ne scripto qui-  
 dem, ac sermone cuiusquam appellaretur aliter. Obser-  
 uanda & in hoc, & in aliis multis veterū Imperatorum  
 moderatio. **VT REX, REGNUM, REGIE**) Tametsi  
 adolescentes facile inuenturi sint exempla & harum vo-  
 cum, & illarum, dominus, dominatus, dominari, tamen  
 aliqua nihil obest adducere. In Verrem. Dominationem  
 expectant, rerum potiri volūt. Pro domo sua. L. Brutus  
 populū Romanū dominatu regio liberauit. Pro Milone.  
 Quo (Milone) interfecto se regnaturum putabat. 2. Phi-  
 lipp. Quem negant regem, qui eius, & c. loquitur de Iulio  
 Casare, quem aliās tyrannum vocat liberrimè. Catil. 2.  
 Si in hūc animaducriissem, crudeliter & regiè factū esse  
 licerent. P. Scipio, ut prodiderunt memoria Polybius &  
 Linius.

*Linus, cū in victoria magna ab Hispanis rex salutatus  
 esset, id nomē Romae intolerabile esse dixit. Plura Victor.  
 lib. 6. cap. 4. A PRVDENTIORIBVS IMPRVDENTES,  
 INEPTI) De stultitia quorundam, qui se Ciceronianos  
 nominant, è re tua magnopere futurum censeo. si legas  
 cap. 1. li. 15. apud Muretum. Sane rigidus, & ad unguē  
 Ciceronianismus in rebus religionis sacrorūq; nostrorū  
 declarādis est in reprehensione ponendus, de quo nōnul-  
 la ibidē Muretus. Quibus autem barbaries & solæcismi  
 in diuinis libris vehemētius displicent, eos oratione gra-  
 uissima & acerrima persequitur Arnobius lib. 1. QVI  
 NOVERCAS COMMENDENT) De odio nouercali lege  
 titulum 50. lib. 1. Epigram. Græcorū, in nouercas. Ex illo  
 autem quod primo epig. narratur ( tria enim sunt ) de  
 statua nouerca tumulo imposita, qua in prinignum sese  
 coronatē illapsa mortem ei attulit, natum fortasse pro-  
 uerbiū: γυναικὶ μὴ ὠσευε μὴδ' ἄν ἀποθανῆν. Ne fi-  
 dem habeto fœmina, vel mortua. E CHRISTIANIS,  
 ET NOSTRÆ ETATIS) Humanioribus, hoc est, li-  
 teris iis quæ ab humanitate nomen trahunt, probè in-  
 structis nō est ignotum quos intelligam. Sigonios utiq;  
 Muretos, Lambinos, Victorios, &c. De antiquis autem  
 principem statuo Lactātiū, qui etatis suæ Christiano-  
 rum Cicero predicari iustissime potuit. Magistrum  
 certē Arnobium, ipsum quoque disertum in primis &  
 ornatum lactea fandi copia post se reliquit.*

P R O G Y M N A S M A  
 VICESIMVMPRIMVM.

Quales in sermone.

PORPHYRIVS, AGAPIVS.

**P**ORPHYRIVS. Sermonē nostrum Agapi,  
 qualem vult esse doctor noster? A. Minimè



festinum & præcipitem: vt cū animo voluamus ac reputemus prius, quàm vocem edamus, ne lingua mētem anteuertat. Hoc Isocratis est. Bene Diogenes, duas aures & vnicam linguā homini datam, vt plus audiendum sibi quàm loquendum sciret: quod qui in loquendo celeres & expeditifunt, nequaquam faciunt. P. Mihi quoque, qui meditatō & consultō non loquuntur, quasi abortioni dare operam, seu fœtus effundere inchoatos magis quàm perfectos videtur. quibus necessitas imponitur sapius se excusandi, dicēdique; ignosce mihi, erraui in hoc. Aliter est. Immò ita volebam. Sic potius dicendum erat, & his demum consentanea. Augustus Imp. neque in senatu, neque apud populum, neque apud milites vnquam nisi meditatus verba fecisse dicitur: de quo etiā literis proditum est, grauiores sermones, cum singulis atque etiam cū Liuia sua habendos scribere, ac de scripto recitare solitū, ne plus minúsue loqueretur ex tempore. A. Oportet adhæc sermonem distinctum, & explanatum esse, vitareque (quantum per naturam concedetur) battarismum. Humanitate item refertum, qualis non est morosorum, iracundorum, aliis studiosè contradicentium, libenter rixantium, omnia maledico dente carpentium. horum verò oratione nihil potest reperiri inhumanius, iniucundius, acerbius. P. Ad hoc ipsum caput pertinere sentio, emendare vocem raucam, asperam, & stridulam; quoniam vehemēter est ingrata. Et balbum aut raucum nolim frequenter loqui. Neque probo quosdam, qui ita vocem tollunt, vt si præcones essent, atque

edictum promulgarent: & illos contra similiter parum duco laudabiles, qui eam tãtopere summittunt, vt audiri ægrè possint. A. Si quis primò verba mea non perceperit, sintque ea mihi iteranda, nõnne elatiore vtar voce? P. Res ipsa monet. Cauendum tamen ne vociferere, vt si illa necessaria iteratio stomacho tibi esse videatur. A. Pro certo nouerim aliquid falsũ, & vt Plautus ait, nusquam neque pictum, neque fictum, neq; scriptum, quomodo alium vel citra offensiunculam, vel citra odium redarguam? P. Perutilem doctrinam hoc loco, à me ex ore doctissimi viri haustam, tecum communicabo. Assuescendum verbis modestis, gratis & iucundis, in quibus nullus insit aculeus, nulla inurbanitas, nulla bilis, nulla offensio. A. Difficile hoc quidem factu, iis potissimum, quorum natura est incitator. P. Difficilia & laboriosa omnia, quæ honestate & excellẽtia quadam copulata sunt; vincit tamen ac perumpit difficultates etiam maximas consuetudo. Quando igitur audimus, quod veremur, ne non ita se habeat, dicamus nos dubitare. Fieri nihilominus posse vt aliter sit. Cogitemus, Petre, diligentius nõ verum sit. Non posse nos in præsentia omnino credere: libenter assensuros, credituros cum rem exploratius cognouerimus. Quin, si constabit falsum prorsus esse quidpiam, his ipsis modis adhuc utemur, & similibus; non, vt agrestes quidam, impudentes & imprudentes: Mentiris; hoc non est verum; est falsissimum. Si hoc verum est, dabo tibi caput meum. Talibus dictis tam audacibus, & lutulentis aures animosque vulnerari quis

quis non videt? Si persona honorata fuerit, illa ipsa superiora cū præfatione veniæ proloquemur. Ignosce mihi, pace tua, tua bona venia dictum sit. A. Quid in causa est, cur isti supra abs te recensiti modi non offendant? P. Quoniã excusari quempiam in eo, in quo ipsum fas sit reprehendere, est amabile. A. Ut vitia nostra occultari, laudes publicari plerique omnes cupimus? P. Si nos quispiam in fraudem deduxerit, promissa non præstiterit, dicemus putare nos, ipsum impeditioe curarum nõ potuisse negotij veritatem perspicere; aliquid nec opinatò illi fuisse obiectum; aut certè quàm lenissimè ac mollissimè hominem castigabimus, vt ille gaudeat obiurgatione potius, quàm doleat. Errorè item amici communem sibi facere, ac tum demum admonere ipsum & castigare, mansueti animi officium est. Fallimur, mi iacobe, fallimur vehementer. Hem quĩnam istuc oblitus sumus? O nos incogitantes! Discedamus tandem ab ista pertinacia. Imitemur Xenocratem, & certum tempus diei, vt aliis negotiis, sic etiam silentio demus; ne continenter fabulemur. A. De interpellationibus velim te non nihil verborum facere. P. Sunt quidam adeo verborum fundendorum cupidi ac sitientes, vt in medio cursu orationis alios resistere cogant, ipsiſque tanquam bolum è faucibus eripiant. Accipe sapiētissimi Plutarchi monitum lib. de Audit. Adolescens dicentem audiens ne perturbet, neque ad singula elatret. Sed etiam si oratio non probetur, sustineat tamen, & expectet, dum ille finem loquendi faciat. Efferuntur iracundia, quibus  
hanc

hanc irrogamus iniuriam : quod toties contingit , quoties voluntati ac desiderio alicuius , quamuis parua in re , impedimentum ac remoram inferimus. Ego , exempli causa , oscitare incipio , tu de improviso os mihi opprimis : irascor tibi : Et tamen leue quiddam , ac penè nihil est oscitatio. Sustuli dexterã ad iaciendũ lapidem , tu repete brachiũ retines ; cumulatur ira cor meũ. Quod si vel in ioco atque ludo nemo sine morfu aliquo doloris impeditur , multò amplius in oratione , præsertim seria , cursum suum præpediri atque interrumpi indignabitur. Quocirca commemorante quopiam , aut explicante rem aliquam , parcamus ita erumpere : iam scio , intelligo quorsum tendas , omittis hoc. A. Nihil istac animaduersione tua sapientius. Vetus est : quod tibi fieri non vis , alteri ne feceris. Hoc si alibi vsquam , hinc profecto valet. P. Id magis dices , cũ audieris omnia , quæ eodem spectant. A. Quæ sunt ? obsecro. P. Si quis tardior fuerit in loquendo , non erit anteuertendus. Si indifertior , non erunt ei tanquam mendico verba suppeditãda : sequitur enim perturbatio & alienatio , eorum maximè , qui se non indifertos arbitrantur. A. Vitiosum hoc quidem & barbarum , vsitatũ tamen , vt alia cõplura , quæ morum grauitati honestatiq̃ aduersantur. P. Vide ne tu etiam me interpelles , idq̃ue agas , quod iam dudum mecũ reprehendis. A. Tacebo , loquere continenter. P. In progressu orationis si quis , vt fit , mēdaciosum asperferit , non hoc illi statim aut verbo , aut gestu exprobandum , quassando caput , oculos distorquendo , sibilãdo , & aliis inurbanis rationibus ;

nibus; nec obstrependo, nec interim noui aliquid monstrando, præsentiumque attentionem aliorum traducendo perturbandus est qui loquitur. Nos item ipsi ad sermonem alterius attentissimi simus, ne iterum iterumque interrogare necesse sit; quid dicebas? quomodo? haud satis percepi, dic iterum. Indecorum id est, & eadem repetere iniucundum. Si omnino res postulabit, præfabimur vno verbo, paucissimisque interrogabimus. A. Quæ adhuc in congressu vitanda mones? P. Multa. A. Hem multa? P. Audies. A. Acriter tibi animum ad ea intendo. P. In colloquio familiari iusiurandum non est interponendum; apud tribunal id fiet rectius, si conditio negotij ita suaserit. A. Tu igitur, quantum conicio, adolescentes nostrates, nulla interposita dubitatione, condemnares, qui post tertium quartumque verbum in ore habet, *hey Gott, auff mein Seel, der Teufel fuchr mich hin*, & huius generis alia, quæ ab hominibus leuissimis, atque à parentibus parum religiosis discuntur. P. Egone? Condemnarem, moremque peruersum vsque ab radicibus euellerem. A. Ad alia procede. P. Cum alloquimur quempiam, præsertim spectatum, non tam propè consistemus, ut anima ipsam contingamus, quamuis illa non forteat. Sunt quippe, qui halitu alieno afflari nullo modo sustineant. Neque cubito illius latus fodiendum, quicum sermonem conferimus, quod inepti solent cum his verbis. Quid videtur tibi? intellexisti? nonne vera dico? quid tu ais? A. O mores plane moros! P. Actiones illæ partesque naturales, cum de iis loquendum erit (erit autem aliquando,

& qui-

& quidem necessariò ) circuitione quadam, rectisque verbis sunt indicandæ. Quid libro de Vniuersitate per detractionem cōfecti consumptique cibi velit Cicero, ad declarandum Delionatore haud est opus. A. Cur consistis? P. Quoniam ad metam perueni. A. Si velles vltra currere, me spectare non pigeret. P. Spectantes nūquam vidi sudare, currentes sæpe. A. ἀλλήγορᾶμενοι τῶτο.

## ANNOTATIONES.

**B**ATTARISMVM ) De vocibus βατῆριζέειν, & βατῆρολογεῖν, satis multa Erasmus in Chilidibus: unde discas, quale vitium orationis sit Battarismus, & Battologia. Quod quidam Grammatici à Battō equorum pastore, de quo est in 2. Metamorph. dictū volunt battarismum, id ipsum relinquamus. MALEDICO DENTE CARPENTIVM ) Celebratum est, dente Theonino rodere, & rodi. Theon fuit poeta quidam maledicentissimus. Vide adagium. ASSVESCENDVM VERBIS MODESTIS ) Plutarchi doctrina hec est, libello de discrimine adulat. & amici. Ciuilis enim arbitror ( inquit ) si quis dicat; Ignorasti, quā, iniuriam fecisti. Et: non attendisti, dictū mollius est, quā, turpiter egisti. Item; fuge mulierem te corrumpentem, vrbanius, quā si dicas, desine mulierem corrumpere. Nam hunc desiderat modum admonitio, qua mederi velis amico. VEREMVR, NE NON ) Cum quid accidere nolumus, & ne accidat timemus, tū vitimur verbo vereor, cum simplici negatione, ne. Vereor ne mentiaris. Cum quid optamus euenire, geminamus

nega

negationem, hoc modo. Vereor ne non intelligas. Pro his duabus negationibus utimur particula, *ut*. Vereor *ut* pater approbet. Sed multa super usu huius verbi *Manut.* in *epist.* 1. & 6. lib. 2. & in 1. libr. 6. **S I CONSTA-  
BIT FALSVM**) Falsum est quo tegitur id quod factum est. Vanum quod fieri non potest. Fictum quod non est factum, & fieri potuit. Falsum loqui mendacis est: fictum callidi vanum stulti. Falsum loqui culpa est: fictum virtutis: vanum vecordie. Auctor Donatus in *Eunuchum*. **PLERIQUE OMNES**) Locutio hac idem valet, quod, omnes, vel, maxima ex parte. Tale, est plus satis, pro satis. Ab Atticis manasse vult *Priscianus* li. 18. illi enim  $\omega\lambda\acute{\epsilon}\iota\omicron\nu\epsilon\varsigma$  δὴ πάντες τὸ το λέγσσιρ ἀνθρώποι. **ACTIONES ILLÆ, ET PARTES NATURALES**) Si legeris *epist.* 22. lib. 9. cuius initium, *Amo verecundiam*, & in eandem *Manut.* (*Cic.* 1. *Offic. de Diuinat.* & *nat. Deor.* *Arnobium* contra gentes, *Muretum* lib. 6. cap. 7. *Crinitum* lib. 20. cap. 6. magistros denique morum, cognosces quo te pacto geras verecundie in huiuscemodi rebus politè etiā ornateq; eloquēdis.

## PROGYMNASMA VICESIMVMSECVNDVM.

*Sermones fugiendi.*

DOCTOR, AUDITOR.

**D**OCTOR. Decretum est mihi hodie quidem potissimum imitari Gorgiam Leontinum, qui vnus ac primus è sophistis in conuētu poscere ausus est, de quo quis vellet audire,  
cum

cum diceret *προβάλλετε*, proponite. Dicat igitur de frequentia vestra cui libitum est, qua de re disputari postulet. A. De sermone maiorem in modum cognoscere auemus, quotquot hinc congregati sumus, qua ratione is laudem promeriturus sit; seu, quam deuitanda declinandaque nobis arbitrere in sermonibus atque colloquiis quæ rei quæ personarum. D. Hoc imprimis scito, difficillimum mihi videri linguam sub imperium cogere; vt sanctus ille vir sapienter, vereque scripserit; nullum mortalium tantillum membrum corporis domare posse; & perfectum esse, qui lingua non offenderit. Celebratur item illud Hesiodium.

Optimas est homini linguæ thesaurus, & ingens  
Gloria, quæ parcis mensurat singula verbis.

Adhæc, quis est quem fugiat tritissimum illud, à Xenocrate profectum: locutū esse pœnituit, tacuisse nunquam multò & tutius, & facilius est tacere omnino, quam omnem loquendo culpam effugere. Nihilominus, quia non pecudes, quas natura mutas ac pronas, ventrique tantum obediētes finxit, sed rationis orationisque; luce ac facultate prædite animantes ab huius immensi operis effectore & gubernatore cōditi sumus, prouidendum est, vt lingua ex eiusdem volūtate mandatisque; vtamur, & ea tum nobis, tum aliis quantas dabitur utilitates conciliemus; siquidem vel ex Platone apertum est, homines hominum causa esse generatos. A. Tu nos docebis, vt autumo, quibus de rebus agamus in congressionibus, & capita quædam, nec ea non multa præscribes. D. Immo enim verò docturus de quibus non sit



agendum, certisq̄ue capitibus definiturus sum hanc doctrinam meam : è quibus , ( quando eadem est contrariorum disciplina ) facilè etiam quæ res in sermonem inducendæ sint intellecturi estis. A. Quod tu optimum factu putas, id tibi tam in hoc, quàm in aliis libenter assentiemur. Etsi autem perpetuam orationem audire malle-mus, tamen siquid necesse erit, patieris me aut rogare, aut sententiam meam proferre, aut dubitationem exponere. D. Ita tibi & horum cuilibet faciendum autumo. A. Me suam vicem fungi cupiunt. Ego os ero commune nostrum omnium. Tu ordire; en, conticuere omnes, ad te tanquam ad oraculum audiendum quietissimi atque promptissimi. D. Istuc primo loco præcipiendum. Nunquam néue seriò, néue ioco, néue modicum, néue magnum quippiam aduersus Deum, cœlites, & ecclesiastica mysteria effutiamus : ne non solum leuitatis, sed etiam cuiusdam, vt videtur, impietatis maculam suscipiamus, quam quidè reformidare plus quam vllius facinoris crimen debemus. A. Vt sepè contra factum, & me fabellis quibusdam parum seueris, disputationibusq̄ue parum idoneis hilaritudine mira perfusum memini? D. De sacris, diuinis, cœlestibusq̄; rebus timidè, non audacter: parcè, non effusè: consideratè, non temerè: religiosè, non impiè: grauiter, non ridiculè Christianum loqui oportet. Eundem de sordidis, impuris, impudicis prohibet sermocinari Apostolus, vbi turpiloquiū prohibet; cuius est etiã istuc verbum : omnis sermo malus non procedat de ore vestro. Nostis illa : qualis oratio, talis vir : qualis hera, tales pedisequæ.

Quo

Quocirca cuius vel lingua, vel aures obscœnis delectantur sermonibus, eius mens, cui vox vt ancilla paret, à fœdissimarum cogitationum labe vacare quî potest? A. Aptè conclusum argumentum. Ex abundantia cordis os loquitur. D. Proinde mentiuntur de se poëtæ illis versibus. Ouid. Vita verecunda est, Musa iocosa mea. Marti. Lasciua est nobis pagina, vita proba est. Et Hadrianus in Voconium quendam. Lasciuius versu, mente pudicus eras. Et Veronensis.

Qui tum denique habent salem ac leporem,  
Si sunt molliculi, & parum pudici.

His quidem ipsorum vita impurissimè acta reclamatur. Omnibus, quod manifestum est, fractis pudicitia repagulis caput impositis pressit Amor pedibus. Festiuitatem, leporè, elegantiam, salem omnem in verborum ac sententiarum spurcitie constituit iste, nec putat nitidum ac mundum, ornatumque futurum, nisi quis in luto sese volutauerit prius, quæ porcorum sunt deliciae, qui tum denique elegantes, tum beati videntur sibi, cum in cloacis & volutabris capite tantum extantes iacent. Mittamus poëtæ illos, quorum libelli nefariis libidinibus referti, & adolescentibus, quorum animi molles, & ob ætatem fluxi, tanquam Sirenum scopuli fugiendi sūt. A. In tales cadere opinor, quod à Tullio scriptum est Tusculana 2. Sed vidēsne, inquit, poëtæ quid mali afferant? lamentantes inducunt fortissimos viros: molliunt animos nostros: ita sunt deinde dulces, vt non legantur modò, sed etiam ediscantur. Sic ad malam domesticam disciplinam vitamque umbratilem & delicatam cum

accesserunt etiam poëte (Catullus nempe, Mar-  
 tialis, Ovidius, Propertius, Tibullus & similes)  
 neruos omnes virtutis elidunt. D. Rectè omni-  
 no. Ac ne leuia quidem, abiecta, friuola, anilia  
 venire in colloquium debent, è quibus neque  
 sincera & liquida voluptas, neque vlla perci-  
 pitur vtilitas: ipsi autem huiuscemodi fabula-  
 rum, ineptiarumque recitatores semet in con-  
 temptionem adducunt. Peccant verò in hoc non  
 pueri duntaxat, sed viri quoque, viri, inquam,  
 si annos numeremus, mente pueri. A. Si quis fa-  
 bellã, seu apologum Æsopi pro te nata afferat,  
 nū huius præcepti tui violati reus erit? D. Reus?  
 ego Æsopum istum feci semper maximi, iudi-  
 cauique animum eius sapientia plenissimum ho-  
 nestiore, cōmodioreque; domicilio dignum fuisse.  
 Ac potest in ipsum quoque transferri, quod ve-  
 nustissimus auctor Probus de Agefilao narra-  
 uit. Atque hic tantus vir, inquit, vt naturã fautri-  
 cem habuerat in tribuēdis animi virtutibus: sic  
 maleficã nactus est in corpore, exiguus & clau-  
 dus altero pede. Video scriptores illustrissimos  
 eius vti testimonio, nec ignoro, quid significet:  
 ne Æsopum quidem triuisti. A. Amabo, quis di-  
 cti huius est sensus? D. In vehemēter stupidos at-  
 que imperitos iacitur: nam vulgus quoque olim  
 per Græciã commenta illa ingeniosissima pru-  
 dentissimãque (vt Hesiodū pueri pro Catechis-  
 mo) ediscebat. Non sunt expertia frugis illa Æ-  
 sopica, non. Elaborant hæretici populo vt pla-  
 ceāt, quas ipsi producūt fabulas: præstaret Æso-  
 pum æmulari, & ad virtutem pectoribus inse-  
 rendam, aut ad vitium euellendum, ad res hu-  
 manas

manas denique vt in speculo demōstrandis ali-  
 quid de asino, de vulpe, de coruo, de simia, de  
 cane comminisci. In bibliotheca mea cum Cice-  
 rone, cum Virgilio, Demosthene, Homero, Pla-  
 tone, Aristotele etiam Æsopum aspicietis, qui  
 mihi frequenter è poculo non aureo, non gem-  
 meo, sed ligneo vinū dulce propinat. A. Caueat  
 Magister, ne ista dulcedine illectus, fiat aliquan-  
 do ebrius. D. Istiusmodi vina, auditores mei, ex  
 ebriosis reddunt sobrios. A. Extra iocum. Quan-  
 do quidem hic libellus abs te tantopere com-  
 mendatur, studiosius eum in posterum legemus,  
 relegemus. D. Mihi pergratum, vobis operæ-  
 pretium facietis: nunc ad alia. A. Quo nos cun-  
 que duces, celeri passu sequemur. D. Sunt argu-  
 menta quædam spinosa, subtilia, exquisita, à  
 communi captu abhorrentia, vt disputationes  
 Theologicæ, Philosophicæ, Mathematicæ, Iu-  
 ris ciuilibus, & interiorum artium, quas ad scho-  
 las amando: ne istiusmodi rerum imperitis, &  
 tamen astantibus atque auscultantibus molestia  
 generetur. Omnia tempus habent: quod æquè  
 illi nesciūt, qui quamuis alioqui probanda, tem-  
 pori tamen, personisq̃ nequaquam accom-  
 modata loquuntur. Die festo ab adolescentibus  
 ad hilare conuiuium, ad iucundissimos ludos  
 cōuenitur, isti de spectris, de carnificinis, de tri-  
 stibus, & quorum tunc omnis est intermittenda  
 mentio, narrationes ordiuntur aut cōcionari in-  
 cipiunt. Τὸ ἀκαίρον πανταχῶς λυπηρὸν, ait Isocra-  
 tes. Quid tu ibi ad mœstitiam, ad suspiria, ad  
 horrorem vocas animos, vbi est indulgendum  
 lætitiæ, honestisq̃ voluptatibus? A. Si quis

in sermonem eiusmodi delapsus sit? D. Taceat, vel potius semetipsum ad res hilares suavi modo conuertat, aut à sodalibus conuertatur. Audiui præterea quosdam, & audiui non sine bile atque fastidio, qui sæpe de domesticis rebus, de fratribus, vxoribus, parentibus, filiis, seruis, nutricibus garrissent, quasi ea scire alios permagni interesset. Accipite, inquiunt, quid heri meus Gregorius, mea Catharinula, meus lepidissimus catellus fecerit. Prò quàm fidam & probam vxorem habeo: mira possum narrare vobis. A. Absurdum genus mortalium, nec penitus sani capitis. D. Reperiuntur item qui conentur delectare circumstâtes narrandis somniis: quæ si essent similia illorum Iosephi, Pharaonis, Nabuchodonosoris, possent audiri non fastidiosè: viderentur enim diuinitus oblata rerum futurarum præsentionem habere. Nunc cum sint pleraque inanissima, ac summè ridicula, & narratores, & auditores nugarum istarum sunt in vitio. A. Cû vates Mantuanus canat duas esse somniorum portas, corneam, & eburneam, longè plura per hanc, quàm per illam emittuntur. D. Sinamus hos somniare, cœptumque sermonem pertexamus. A. Ita profectò, sinamus. D. Turpius delinquant, qui mentiuntur; idque non vt sibi commodum aliquod, aliis incommodum pariant, sed quia sic consueuerunt, delectationis nimirum aucupandæ gratia: perinde vt qui non propter sitim, sed bibendi consuetudinem calices euacuant, Quid de his dicemus, qui, veluti famis rabie subacti, cum deest quod comedant, suos ipsorum artus miserè

ferè depascuntur? A. Et qui tandem isti? D. qui immoderato gloriæ appetitu cruciati, cum laudator deest, sese ipsos turpiter laudant in corona, in circulis, in conuentibus, tamque falsa quam vera de se prædicant, & admirandam rerum scientiam sibi nihil verentur attribuere. Quos proximè sequuntur, qui genus, nobilitatem, honores, opes, amicitias, clientelas, res gestas aut suas, aut maiorum iactant. Hi gratiam inirent, si summissius, quam gloriosius de se loquerentur, mallentque de iure suo aliquid amittere, quam nimium sibi arrogare, viderique præsentibus, non etiam ignobilibus, non pauperibus, non stultis præ se parui pendere. Avarities, inquit Lucretius, & honorum cæca cupido, Quæ miseros homines cogunt transcendere fines Iuris. A. Neque tamen fortasse probandi sint, qui omnia sua nimis deprimunt & extenuant, eosque honores pertinacissimè respuunt, quibus omnium confessione dignissimi iudicantur. D. Improbandi summopere. Datur enim significatio superbiæ cuiusdam: quasi ipsi soli vituperent, aut contemnant, quæ ab hominibus magni fiunt. Bono autem & cordato viro, non modo malum, seu vitium ipsum, verum etiã umbra vitij, suspicioque sedulo fugienda est. A. Ecquid in eodẽ exercitu militant, qui factis ipsis ita se gerunt, quasi omnium postremi, & vilissimi, nulloque penitus honore dignandi? Quas ob res vltimum semper locum quærunt, & tanquam equi indomiti, aut pertèrrefacti semper retrocedunt, resistunt, obnituntur manibus, pedibus, toto corpore, nunquam præcedere, perpetuò sequi, non

aliquando ad dexterum, semper ad sinistrum  
 latus ire contendunt, quamuis tu id ab ipsis om-  
 nibus precibus petere contendas; vt quoddam  
 velut bellum cum iis suscipere, & quasi inuitos  
 canes venatum ducere, eorúmque caussa in-  
 terdum totum negotium aut differre, aut inter-  
 rumpere necesse sit. D. Non malè iudicasti; im-  
 biberunt virtutis caussa, quam non fatis cogno-  
 runt, repugnare, & aliis negotium facessere. Ad-  
 dam porro ad superiora etiam hæc. De alienis  
 rebus, caussis, moribus, negotiis, ingeniis, natio-  
 nibus nihil sinistrè dicendum, quo aut in con-  
 temptum ac despicientiam veniant, aut in inui-  
 diam adducantur. Odiosum tale genus homi-  
 num, & hirundines imitans, dum quodammodo  
 bonæ famæ sanguinem exsugit. Quod alium si-  
 lere volumus, de consilio Senecæ, primi silea-  
 mus. Neminem gibbosum, coclitem, luscum,  
 claudum, nothum, similique corporis, aut etiam  
 fortunæ aliquo vitio deformatum & notatum  
 irrideamus, scommatisque laceremus. Quí sci-  
 mus enim nos immunes ab iis malis futuros? &  
 quis nostrum sese irridere cupit? Verùm hic mos  
 est, vt quæ nolumus ipsi mala, iis afficiamus alios  
 facillimè: quæ volumus bona, iis soli fruamur li-  
 bêtissimè. A. ἐκ τριπλοῦ. D. Rumorib<sup>9</sup> nec ipsi ci-  
 tò fidem adiungamus, nec eos inconsideratè in  
 aliorum aures infundamus: fama enim tam ficti  
 prauique tenax, quàm nuntia veri. A. Mirum  
 quantum sæpius pœnituit credidisse, ac leuem  
 auditionem pro re comperta habuisse. D. Quem  
 non pœnituit? nisi ad quem nullus vnquam  
 rumor peruenit. A. Iocari & facetis esse per-  
 te no

te nobis licet. D. Licet verò. Veruntamen sine aculeis, sine irrisionibus, quamuis inimicissimi fuerint in quos iocamur: inest enim cõtemptus, quamuis voluptas quærat iocationib' huiusmodi. Sunt quidam ita agrestes, duri & austeri, vt cum iis iocandum non sit. Nec in rebus grauib' aut flagitiosis locum habent facetiæ. Non enim risu, sed pœna dignos iudicare sceleratos conuenit. Cauendum autem ne magis propter iocantis insultatam, quàm propter ipsas facetias in risum erumpant audientes. Distorquere oculos, aut os deformare, aut vultuosum fieri risus captandi gratia stultum est. Hęc ferè sunt, quæ de quæstione tua mihi visa sunt differenda. Poteram pluribus, sed breuitas & in scribendo, & in disputando mihi est amicissima. A. Et me nosque omnes erudita, rerumque plena breuitas, quàm nugæ canoræ, quàm orationes longæ, parumque doctæ magis capit.

---

 ANNOTATIONES.

**I**MITARI GORGIAM LEONTINVM)  
*Cicer. 2. de Finib. Eorum erat iste mos, qui cum sophistæ nominabantur: quorum è numero primus est ausus Leontinus Gorgias in conuentu postere quæstionem, id est, iubere dicere, qua de re quis vellet audire. Iunius libr. 4. cap. 17. LINGVAM SVB IMPERIVM COGERE) Præcepta complura linguæ moderanda, eaque longè optima collegit Mapham libr. 5. cap. 2. OPTIMVS EST HOMINI LINGVÆ THESAVRVS) Egregium capit Gellij est 15. lib. 1. quo lo-*



quacitatem insectatur. In eo item versiculi hi duo Hesiodij proferuntur. Quapropter Hesiodus, inquit, poetarum prudentissimus, linguam non vulgandam, sed recondendam esse dicit, perinde ut thesaurum. Eiusque esse in promendo gratiam plurimam, si modesta, & parca, & modulata sit. Bias ab Amaside Egypti rege iussus de victima, quam illi miserat, optimum & pessimum remittere, linguam remisit. Plut. de Auditione.

HOMINES HOMINVM CAVSSA ESSE GENERATOS) Cicer. 1. Off. Sed quoniam (ut preclare scriptum est à Platone) non nobis solum nati sumus, ortusq; nostri partem patria vindicat, partē parentes, partem amici: atque (ut placet Stoicis) quae in terra gignuntur, ad usum hominum omnia creati, homines autem hominum causa esse generatos. Testantur hoc idem sanctae literae. Unicuique commisit Deus curam de proximo suo. NEVE SERIO, NEVE IOCO) Est Iudaeis liber, cui Talmud nomen inditum, in eo portentosa & scurrilia de Deo commenta innumera. Christiani etiam de Christi, & sancti Petri peregrinationibus, deque aliis, qui nunc summa cum felicitate immortalis aeno fruuntur, leuissimas & ineptè excogitatas inter se fabulas animi causa hybernis praesertim noctibus commemorant. Multum etiam sermonem ipsis dant sacerdotum mores & ignorantia, atque adeo in tractandis sacramentis vel leuitas, vel inscitia, vel negligentia. Ad horum societate aggregandi, qui quaerunt & disputant; num Deus quod factum sit possit non factum efficere (qua sola potestate ipsum carere dixit Agatho, cuius sententiam affert & laudat in 6. de moribus Aristoteles) & similia, in quibus ut ingenij abundantia aliquando, ita semper iudicij egestas sese prodit. Audiamus Cic. 2. de nat. Deorum. Mala & impia consuetudo

suetudo est contra deos disputandi, siue id ex animo fiat, siue simulate. C V I V S V E L L I N G V A , V E L A V R E S ) Quam multa improbarum cogitationum, & à recta ratione auersarum affectionum irritamenta sese per aures in animum infundant, quis nescit? Bene igitur Plutarchus. Nec vrbi porta catera clausa id prestabunt, vt non capiatur, si per vnam aliquam hostes recipiantur: neque adolescentem continetia aduersus reliquas voluptates adhibita conseruabit, sicubi imprudens per auditum sese illis capiendum dederit. Hec ille libro de poetis audiēdis. Rursus libello aureo- lo de Auditione. Xenocrates aurium munimenta pue- ris potius quam athleticis iubebat applicari: quod horum aures verberibus, illorum mores verbis peruerterentur.

T A N Q V A M S I R E N V M S C O P V L I ) Vi- dendus Homerus Odysea. Item adagia, apud Sirenum scopulos consensescere. Gellius lib. 16. cap. 8. Apud Sire- nas aut Lotophagos herere; Sirenibus ad persuaden- dum aptior; Sirenas praternavigare, de quibus Iunius.

A Δ η γ ο γ ι α ς . Homerus meretriculas quasdam fuisse insinuat, quae inanis voluptatis dulcedine, quasi quoda suauissimocantu, viatores incautos ad sese allicerent, eosque fortunis & fama euerterent. Hinc loco addendis puto, quod Nazianzenus & Hieronymus retulerunt in literas: apud Hebraeos olim cautū fuisse, ne adolescen- tes ante annum tricesimum Geneseos librum, Cantica canticorum, partem Ezechielis legerent. A S O P V M I S T V M F E C I S E M P E R M A X I M I ) Gellius lib. 2. cap. 29. narraturus ex eodem festiuissimum de cas- sita apologum; Aesopus ille, inquit, è Phrygia fabula- tor, haud immeritò sapiens existimatus est, cum quae uti- lia monitu suasuq; erant, non seuerè, non imperiosè pre- cepit, & censuit, vt philosophis mos est: sed festinos de- lectabilesq;ue

lectabilisq; apologos commentus, res salubriter ac prospicienter animaduersus in mentos animosq; hominum cum audiendi quadam illecebra inducit. Similia Maximus Planudes principio vite ipsius. HONESTIORE COMMODIOREQ;VE DOMICILIO) Vertice acuminato erat, humeris depressis & contractis, labris prominentibus, vetricosus, incuruus, valgus, niger ac blasus, omninoq; Thersites alter, de quo Homerus 2. Iliad. Sed quoniam datus est locus, adscribamus verba Seneca ex epist. 66. Clarum condiscipulum meum vidi post multos annos: non puto expectas ut adiiciam senem: sed me hercules viridem animo ac vigentem, & cum corpusculo suo colluctantem. Inique enim se natura gessit, & talem animum male collocavit, aut fortasse voluit hoc ipsum nobis ostendere, posse ingenium fortissimum sub qualibet cute latere. Et post nonnulla. Potest ex casa vir magnus exire, potest & ex deformi humiliq; corpusculo formosus animus ac magnus. V T HESIODVM PVERI) Testis Columella. Indicat idem Cic. epist. 18. lib. 6. Lepta (filius Lepta, puer) suavissimus ediscat Hesiodum: & habeat in ore, τῆς ἀρετῆς ἰδρωτὰ θεοῖ, &c. Primus quidem liber aliud nihil, quam pulcherrima quadam honestatis & officij precepta continet. Testificatur Pausanias, se vidisse in Helicone antiquissimum monumentum, tabulas plumbeas, quibus inscriptum erat hoc poema Hesiodi. CVM CICERONE, VIRGILIO, &c.) Manut. in illum locum ex ep. 18. lib. 16. An pangis aliquid Sophocleum? fac opus appareat. Opus est id, quod post operam remanet, & ex aliqua re quasi fructus enascitur. Itaque interdum libri opera dicuntur, ut hic, quia fructus otij significatur. Et 3. de Offic. nulla eius ingenij monumenta mandata literis, nullum opus otij, nullum solitudinis munus exstat.

Accipitur itaque pro quacunque re, quæ post operam extat, non simpliciter pro eo quod scribitur. Male igitur Latine loquuntur, qui Platonis opera dicunt. Hac cõ libentius adscribo, ut ex ore tanti viri communem errorem inuentus animaduertat. τὸ ἀναίρητον πανταχῶς ἀπὸ τῆς ἀναιρέτου) intempestiuum ubique molestum. Isocrates ad Dæmonium. Momentum & vim maximam omnibus in causis atque negotiis habet καίρη, Latine tẽpus, siue opportunitas, siue occasio. Nam honestum in turpe, emolumentum in damnum, voluptatem in dolorem, amorem in odium, beneficium in maleficium; & vicissim turpia in non turpia, detrimentum in questum, molestiam in lætiam, odium in benevolentiam, malefactũ in benefactum potest conuertere: quo diligentius obseruanda nobis est. Ac merito inter dicta 7. sapientum & hoc fertur, γινώσκει καίρη, noueris tempus. Monet itẽ sapiens: Omnia tempus habent. DVAS ESSE SOMNIORVM PORTAS) In extremo 6. *Aeneid.*

Sunt geminae somni portæ, quatum altera fertur

Cornea, qua veris facilis datur exitus umbris:

Altera cadenti perfecta nitens elephanto.

Sed falsa ad cœlum mittunt infomnia manes.

Cur autem *Aeneas* sese per eburneam dicat exisse, *Seruius* affirmat ideo factum, quia voluit intelligi, falsa esse omnia quæ dixit. SESE IPSOS TURPITER LAVDANT) Quanquam seipsum laudare impudentissimum & iniquissimum videatur, tamen est, cum quispiã de se sine ulla inuidia ea potest dicere, quæ sibi laudem afferant; non propter laudem, sed rebus & opportunitatibus ita flagrantibus. Scriptum reliquit hac de re commentarium *Plutarchus*. NEQVE TAMEN FORTASSE PROBANDI) Prudentia (Christianis doctoribus discretio) magistra & rector est virtutum omnium. Hac absente verendum est ne accidat se-

pius,

pius, etiam excellenter bonis, quod ait ad Pisones Horatius. Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt. Quod enim alio nomine vitium prudentia aduersarium, nisi stultitia appellabis? **IMBIBERVNT VIRTUTIS CAUSSA**) Imbibere est certum ac deliberatū habere, planè sibi proponere, ita aliquid in mēte & cogitatione sua defixisse, ut nequeat euelli. Sic locutus est Cicer. pro Quintio, ut quidem Manut. & Muretus emendandum censuerunt. Quod si facere nolit, atque imbibit eiusmodi rationibus illum ad suas cōditiones perducere. Eodē modo duobus locis Lucretius, imbibit petere, & Liuius. Vide Muret. lib. 1. cap. 6. **NEGOTIVM FACESSERE**) Negotium & pro re simpliciter capitur, & pro re molesta ac difficili, ut cum additur verbum facessere. In Verrem. Cum audissent ei negotium facessitum. Pro Cluent. Si cui fortè negotiū facessetur. Facessere periculum in eadem sententia dixit in Diuinat. Exhibere negotium, lib. 3. Off. Hac eruditiss. Manut. in epi. 10. lib. 3. **NEMINEM GIBBOSVM, COCLITEM**) Praecipit hoc etiam Isocrates ad Demonicum. μηδὲν συμφορὰν ὀνειδίζης. κοινὴ γὰρ ἡ τύχη, καὶ τὸ μέλλον ἀόρατον. Nemini calamitatem exprobres; nam fortuna communis est, futurāque prouideri non possunt. **IOCARI ET FACETIS ESSE**) Bene aptēque iocari ingeniosorum est, quod epist. 16. lib. 9. his verbis confirmauit Cic. Effugere autem si velim nonnullorum acutè aut facetè dictorum offensionem, fama ingenij mihi est abiicienda. Non se visum iri ingenio valentem existimat, si iocari nesciat. Fit igitur, ut ioci persepe, quia ab ingenijs parum ingeniosis proficiscuntur frigidi sint, inepti, atque insulsi. Quibus autem natura hanc facultatem negauit, illi studeant alienis facetiis se facetos videri. De virtute, quam Iouianus Pō-

*tanus Facetudinem existimat posse dici, vide quam multa eruditissime idem disputauerit libr. 3. de sermone, & deinceps reliquis.*

PROGYMNASMA  
VICESIMVMTERTIVM.

*Nec nimium, nec minimum.*

*L A L I A, S I G E.*

**L**ALIA. O præstigiatrix, ô frutex, ô statua. Eia Pythagorea, dij te eradicent, exere linguam. S. Quid ea opus? L. Vt cultro istoc abscindâ tibi. S. Tu abscindas? quamobrem? L. Quæris? at patet. Quia otiosa & inutilis est tibi: siquidem ea nunquam vteris. Et quoniam perpetuò taces, à mutis animantibus nihil distas; nec Deo audebis agere gratias, quòd homo nata sis non bellua. Haben' iam caussam? dierecta, triuenefica, fatua. S. Loquor vbi necesse est, & cùm alia, tū hoc è silentio lucrum indipiscor, quod multis respondere non cogor. L. Non tam inuisa esses mihi, excetra, si ad rei necessitudinē verba ederes. Nec istuc facis. Proinde oderunt te omnes, fugiunt tuam consuetudinem, & cœtibus suis exclusam, te in longinquam atque incultam solitudinem aliquam deportatam cupiunt, vbi mortalium neminem neque audias vnquam, neque videas. Quibust tu ibi gaudiis exultares? quantis in voluptatibus baccharere? Facilius cancer rectè ingredietur, quàm tu immodica ista taciturnitate desistas. Si multi essent tui  
similes.

similes, prò diuùm numina sancta, quis sibi vitam non acerbam putaret? velut simulacra obambularem, pessum irent res humanæ, iniuriosè tractaretur Deus, cuius admirabile donum (sensa animi videlicet sermone explicandi) despicerè videremur. Si bona est causa tua, quin defendis te? quin me refellis? iã tibi caput tuber reddã, atq; ad loquendũ eliciam. O deliram. Fugin' tu hinc ab oculis? abin' hinc an non? S. Moneo vt quiescas, dictisq; facias compendium. Qui quæ vult dicit, vicissim quæ nõ vult audit. Tua maledicentia disertam ne me faciat cauetõ. L. Haha, promittis scarabæum mel facturum. Non finit te loqui miserabilis natura tua. Quin corpore vitam secludis? quin vnã ex te literã loquam facis? nihil enim te despectiº, nihil iniucũdus, incõmodus. S. Lingua lingua quò vadis? Monstrum mulieris. Tu illa es, quæ quidquid in buccã. Tu rimarũ plena, hac atq; illac perfluis. Tu loquacitate tua homines enecas. Cum quidam deplumata luscinia minimum carniũ reperiret, ea dimissa, vox es, inquit, præterea nihil. In te istuc quadrat, quæ præter vnã linguam, ad garriendum dies atque noctes expeditissimã nihil es. In te iactata tot prouerbia; Turture loquacior, Daulia cornix, Archytæ crepitaculum, Cicada vocalior. Hirundinum musæa, & alia, quæ nunc condonaberis. Ais me despiciabilem esse. Miserum est negare te non posse, quod turpissimum sit confiteri. An tu negabis, an non fateberis te contemni, te abiici, te vilipendi? nec iniuriã. Nam cum ita sis verbosa, videris te supra cæteros efferre in conuentibus, aliosq; tan

tanquam discipulos magistra velle erudire. Et quia intemperatissimè, sine vlllo modo tam multa blateras quotidie, erras sæpissimè, peccas frequentissimè, nihil que te intelligere das indicia creberrima. Ad Isocratem abi, ei duplicem promitte mercedem; vnam vt te loqui, alterã vt tacere doceat. Heu quàm multas & idoneas occasiones corrupisti? quantas turbas toties dedisti? quot detrimèta in ciuitates ac prouincias inuexisti? Tu malorũ seminarium, inuentrix scelerum, seditionum fons, humani generis opprobrium. Tu diuorum atq; hominum odium, tu inuisum dirisq; deuouendum caput, tibi tibi ferro lingua demetèda est. L. Cessa cessa. Vehemens in vtrãq; partem es nimis; aut verborũ nimia parsimonia, aut probrorũ largitate nimia. Hem quot contumeliarum nec plaustrum capiat: maledicta omnia in me contulisti. S. Ad te iustissimis reprehensionibus exagitandam, & omnibus precibus detestandam Archilochus & Hipponax, indiserti & elingues. Nec orator vllus, nec ipsa eloquentia prodignitate tua dedecora explicauerit. Fac me miserrimam pessima, ito ad coruos Ilias, lerna, panegyris, mare malorũ, thesaurus infortunij. L. Vt execrationes serit? vt dicteris abũdat Mæsonicis? Effet mihi stimulus in manu, quo latera contererẽ tua. S. Bene dictis si certasses, audisses contra bene: nunc gesta compedes, quas tibi ipsa fabricasti. L. At tu scelestissima toto thylaco, non manu seuisisti conuicia. Recipe te ad silentium tuum. Nimis tu dentata es, si ego nimis linguata sum. Scito tamen te Amyclas perdidisse. S. Scito tamen te fidem & famam perdidisse.



## ANNOTATIONES.

**E**IA PYTHAGOREA) Pythagoras quos ἐπι-  
 οιοῦντοῦνται (id est, quorum naturas & ingenia ex  
 ore, vultu totiusque corporis habitu coniciebat, seu, ut  
 Cic. 4. Tuscul. loquens de Zopyro, quorum naturas &  
 formas perspiciebat. Et lib. de fato. Qui se profitebatur  
 hominū mores naturasque ex corpore, oculis, vultu, fron-  
 te pernoscere) suaque disciplina dignos indicabat, iis pro  
 aestimato solertia captu tempus tacendi prescribebat. Tū  
 qua ab aliis dicerentur audiebant; percontari, si quid  
 parum intellexissent, aut commentari qua audissent fas  
 non erat. Nec quisquam aut biennio minus, aut quin-  
 quennio amplius tacuit. Intra hoc tempus ἐξεμύθλας  
 appellabantur ἀνεξιχνίοι. Ubi duo omnium difficillima  
 didicissent, tacere & audire, tum verba facere, querere,  
 que audierāt scribere, quaeq; ipsi opinaretur exprome-  
 re integrum erat, dicebanturque μαθηματικοί, ab illis  
 nempe artibus, quas iam discere ac meditari coeperant,  
 geometria, gnomonica, musica & aliis, quas veteres μα-  
 θηματικά communi omnium disciplinarum nomine vo-  
 cabant. Deinde ad mundum, naturamque cōtemplan-  
 dam ascendebant, & vocabantur φυσικοί. Gellius lib.  
 1. ca. 9. Laërt. Lucianus dial. qui βίωπ τῶσδε is inscribi-  
 tur. Et proverb. Taciturnior Pythagoreis. **Q**UOD  
 HOMO NATA, NON BELLVA) Aiebat Plato, se  
 nature gratias agere, quod homo natus esset, non mu-  
 tum animal: quod mas, non fœminā: quod Græcus, non  
 Barbarus: quod Atheniensis, non Thebanus: quod tem-  
 poribus Socratis. Refert hoc, & irridet Lactātius diui-  
 nar. Instit. lib. 3. cap. 19. Meminit eiusdem in Mario  
 Plutarchus. **DIRECTA**) Directus est in diem, siue  
 sub dio erectus sublimē pendens & expositus, sceleratus  
 quispiam

quissiam cruce dignus: in crucem actus sine agēdis, qui a meritē le gibet. *U*sus est eo millies *Plautus*. *Pœnulo*. *Abi directus*. *Mercat*. *I* hinc *directus*. *Bacchid*. *Recede hinc idcirco*, &c. **QVI QVÆ VULT DICIT**) *Terent*. *And*. *Si mihi pergūt quæ vult dicere, quæ non vult audiet*. Primus hoc prouulisse *Homerus* putatur, ius hic est versiculus *Iliad*. n.

ἄπορον κ' ἐπίσθα ἐπέτορον κ' ἐπακῶσαις.

Talia dicentur tibi, qualia dixeris ipse.

*Plaut*. *Si dices contumeliam, audies*. **LINGVA LINGVA QVO VADIS?**) *A* *Suida* his verbis recitatur adagium. Γλῶσσα ποῖ πορεύει; πῶς ἐλπι δρθῶσσαι, καὶ πῶς ἐλπι ἀναστρέψαι. *Lingua quò vadis? Ereditiū civitatem, eandem denuo subuersura*. Docet innumeras utilitates, & incommoda plurima linguam hominibus conciliare, ut probè *Salomon* scripserit; *Mors & vita in manibus lingue*. **AN NON FATEBERIS TE CONTEMNI?**) *Seneca* lib. 2. *de Ira*, cap. 28. *Faciet nos moderatiores respectus nostrī, si consuluerimus nos: Nunquid & ipsi aliquid tale commisimus? Nunquid sic errauimus? Expedite nobis ista damnari? Cui sententiæ affinia sunt, quæ habet* *Arnobius* lib. 2. *aduēsus gentes*. *Cuius est autem pudoris, quinimmo inuerecundia cuius, quod agere te videas, in eo alterum reprehendere, maledicti & criminis loco dare ea, quæ in te possint reciproca vicissitudine retorqueri?* **ARCHILOCHVS, ET HIPPONAX**) *A* deo maledicis & amarulentis versibus *Lycamben* socrum suū, à quo desponsa iam filia gener repudiatu est, fertur insectatus *Archilochus*, ut ambos ad laqueum alegerit. *Æ* què mordax & contumeliosus traditur *Hipponax*, qui, quò feriret acrius, de industria *Archilochium* trimetrum in *Scæzontem* inflexit, quocirca *Quidius* in *Ibin* parum stabile carmen

vocat & hunc ne Athenis quidem pepercisse confirmat. Fuit in eo notabilis vultus deformitas. Quapropter cum effigies eius Bupalus & Anthermus sculpiatores fratres ridendum oculis proposuissent, ipse in eos amaritudinem carminum suorum destrinxit. Plin. lib. 36. cap. 5. Viriusque meminit Cic. 3. de nat. deorum. Et Horat. Ode 6. Epod. his verbis.

Caue: caue, nãmque in malos asperimus

Parata tollo cornua:

Qualis Lycambæ speritus infido gener,

Aut acer hostis Bupalo.

Item ad Pison. Archilochum proprio rabies armauit iambo. Vide prouerb. Hipponacten praconium. Archilochia edicta. MAESONICIS) Quis fuerit Mason, & de scommatis Masonicis, Rhodigin. lib. 6. cap. 17. TE AMYCLAS PERDIDISSE) Cum subinde & falso hostium aduentus nunciaretur, ob eamque causam inani metu ciuitas saepe agitaretur, lege sancitum est, ne quis unquam hostis aduentum nunciaret. Ita omnibus tacentibus, inopinato capta est vrbs. Hinc locus datus prouerbio, Amyclas perdidit silentium, de quo plura auctor Chiliadum. Cui haec aduersus loquacitatẽ pauca erunt, libellum Plutarchi de garrulitate euoluat.

---

PROGYMNASMA  
VICESIMVMQVARTVM.

*Carimonia.*

CÆREALIS, ADIVTVS.

CÆREALIS. Carimoniarum vocem mil-  
lies à me auditam interpretare, si me dili-  
gis.

gis. A. Ius merum oras. Cærimoniæ, sunt ritus sancti, in sacrificiis, aliisque diuinis (vt vocant) officiis, in templo præsertim adhibiti. C. Si proprium verbo huic domicilium est in rebus illis quas dixisti, quomodo igitur in alienum migravit? nã & in profanis id ponere consueuimus. A. Cum instituisent homines inter se verticem inclinare, genua flectere, corpus summittere, manus veluti consecratas osculari, patronos ac dominos mutuùm appellare, & maioribus denique honoribus prosequi, res quæ suo nomine carebat, aliunde vocabulum est sortita, cœptaque sunt etiam hæc cærimoniæ dici. C. Percepi causam, & probo. Nunc velim discere in quibus versentur istæ cærimoniæ. A. In titulis, in certis conceptisque verborum formulis, in quibusdam gestibus, & motionibus partium quarundam corporis: quæ quidem omnia argumenta sunt honoris, quem alicui tribuimus: etsi sæpe mendacia sunt: quando scilicet ad vitandam inuidiam, aut fugiendum aliquod incommodum consuetudini obediunt, & in speciem veneramur, quem animo potius contemnimus, aut odimus, quàm vel reueremur, vel diligimus. C. Potésne hoc quasi totum in genera dispertiri? A. Possum in duo. C. In quæ? A. In cærimonias vtilitatis, & officij. Sed quæ propter spem fructus exercentur, eas adulatoribus relinquamus, quibus illud Plautinum perplacet: ad suum quæstum vnumquemque æquum est esse callidum. C. Quas vocas officij? A. Quas etiam nuncupare soleo debitas: nempe eas, quæ à recepto & inueterato,

aut certè communi, peruulgatoque more, qui vim legis obtinet, non autem a nostro iudicio voluntateque pendent. hæ non sunt negligendæ, quandoquidem qui eas negligit, videtur iniquus & iniurius. Scimus aliquando ad vulnera & cædes peruentum ideo, quod quidam sibi debitis cærimoniis affecti non fuissent. C. Fortassis illæ certarum cærimoniarum consuetudines non probarentur sapientibus vbique. A. Si nullum insit scelus, ad mores regionis, aut ciuitatis nos attemperabimus: sicuti leges non perfectissimas atque optimas seruamus, quoad eas Princeps, aut Resp. vel sustulerit, vel correxerit. Nosse igitur studeamus quibus verbis in Italia, quibus in Gallia, in Germania, & alibi salutare, quibus valedicere in more sit. Quibus titulis cuiusque conditionis homines ornare, quis appellandus magnificus, quis illustris, quis reuerendus, quis amplissimus, quis excellentissimus. Idem de fœminis sentiatur, quæ nolunt ipsæ quoque honore suo spoliari. Si Germani ita loquuntur, cum sua alicui studia pollicentur: Ego sum planè tuus: A me omnia officia exspecta: Si quid opera, & consilio, aut re potero, iuuabo te libentissimè: Habebis me paratum ad omnia: Vt quàm rectissimè agantur quæ ad te pertinent, omni cura, opera & diligentia prouidebo, nos illas formulas retineamus, & Italorum apud Italos, Gallorum apud Gallos. Latè patet hic locus de verbis, & vsu atque obseruatione discendus est. Quod idè de gestibus intelligatur. Vbi porrigenda manus, etiam honestis mulieribus, non viris tantum,

tantum, vbi non. Vbi eundem dextrâ, aut sinistra. Vbi osculandum quod porrigitur, porrectumue accipitur, vbi non, & sexcenta huiusmodi. Nam quæ apud quosdam gentes nulli sunt turpitudini, apud alias partim infamia, partim humilia, atque ab honestate remota ponuntur. Hinc Plutarch. Themistocle. Leges hominum inter se differunt: alia autem aliis pulchra atque honesta. Honestum porro omnibus est, quæ propria sunt seruare, & ornare. Vnum addâ. Iunioribus alias, grandioribus similiter alias, plebeis alias, nobiles alias inuicem carimonias vsurpandas, easque minimè confundendas. Nec stomachantur Principes, si quando ipsos colonus, bubuleus, aut faber materarius neque titulo, neque alia qua debuit carimonia affecerit: potius rusticitate, & imperitia morum illorum compositorum aulicorumque mirificè exhilarantur. In quo genere mihi, si memoriam velim excutere, exempla non sint defutura. C. Generatim differuisti: particulatim singula dicere nimis, vt arbitror, operosum esset: & puto (quod tu etiâ monuisti) obseruatione discenda. A. Nimirum rectè locutus es.

## ANNO TATIONES.

**C**ÆRIMONIÆ) Cerimoniarum causam, ait Festus, alij ab oppido Cære, alij à caritate datam existimant. Cærus veteri lingua sanctus, à quo carimonia. Vt à sanctus, sanctimonia. Nonnulli à Cerere ceremonias. Propterea Glossarium: ceremonie ἱερουργία. Prima ergo syllaba vocis huius per diphthengis a, & per secundam vocalē scribi potest. Secundam sapius tercia

vocali scriptam reperio. SI PROPRIUM VERBO  
 HVIC DOMICILIVM EST) *Ad Ciceronem pa-*  
*tronum liberius Tiro cum scriberet, hæc verba posuerat:*  
*Valetudini fideliter inserviundo. Suboffensus Cicero illo,*  
*fideliter in hoc loco, sic rescribit epist. 17. lib. 16. & tanquã*  
*Ævugoy seu improprie usurpatum admonet, & dum de*  
*verecunda trãstlatione loquitur, ipse duo verba verecun-*  
*dè suavitèrque transfert. Vnde in istum locum, Fideliter,*  
*venit? (cui verbo domicilium est proprium in officio,*  
*migrations in alienum multa. Nam & doctrina, & do-*  
*mus, & ars, & ager etiam fidelis dici potest: ut sit, quo-*  
*modo Theophrasto placet, verecũda trãstlatio. R V S T I*  
*CITATE MIRIFICE) Hoc præcipuè fit, cum de-*  
*serti à satellitibus & comitatu soli in solos inciderunt,*  
*atque ita velut ignoti cum ignotis agunt. Caterum hoc*  
*progymnasma cum 20. de Epithetis, & illud cum hoc*  
*comparetur: sunt enim affinia, seseque mutuò decla-*  
*rantia.*

---

TRICLINIVM, SIVE  
 COENATIO.

---

PROGYMNASMA  
 VICESIMVMQVINTVM.

*Consecratio mensæ.*

MATERFAMILIAS, LIBERI, PATER-  
 FAMILIAS.

MATERFAMILIAS. Strauistísne mensam  
 filij: L. Strauimus, mater. M. Aquam ma-  
 nibus recens è puteo haustam in gutturnium  
 infudi

infudistis? L. Infudimus. M. Mantile si est inquinatius, statim ancillæ meis verbis nuntiate, ac iubete, vt suspēdat mundius. Tum coquam percontamini, ecquid percocta iam sint, condita ac penitus apparatus cibaria. L. Factum vtrumque, mantile pendet, & escas absumi iam posse coqua respondit. M. Patri hemicyclum cum puluino, & suppedaneo apposuistis? L. etiam, mater. M. Vocate ipsum ad prandium, & seruo dicite, vt cibos apportet: ego paulò post adero. L. Pater pater, tempus est cibi capiēdi, omnis res parata est, prandium corrumpetur, si moraris. P. Quota est hora? L. Decima. P. Sūntne omnia parata? L. Paratissima vniuersa. P. Eamus igitur pransum. Esuritis vos? L. Vehementer. P. At vbi est mater? L. Extemplò veniet. P. Oh, adhuc in templo hæsitat? nimis pia mulier est mater vestra; diuos precando satiari non potest. L. Non hoc dicim⁹ pater, sed iam iam apparebit. P. Aliquid in mensa deesse animaduerto. L. Quid, pater? P. Fuscinulā & basim desidero; properè afferte ambo. L. En. M. Vt istę ancillę semper monendæ, ac vicies per diem increpandæ sunt. En apposita est offa. Simul, pueri, ante mēsam consistite, coniunctisq; manibus, & in cœlum suspicientes, statas preces distinctè, citra festinationem, cum attentissima cogitatione ac pietate pronuntiate, atque ad nomen Saluatoris ac Mariæ vtrumque genu inclinate. L. *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tēpore opportuno, & c. Gloria Patri, & Filio, & c. Pater noster qui es in cœlis, & c. Ave Maria, & c. Benedicere dignare nos Domine, & hac tua munera, qua ad vitā*



sustentandam nobis largitus es. Concede quasumus, ut tuis bonis tibi gratias semper agentes, teque collaudantes fruamur. Per Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.

ANNOTATIONES.

**C**ONSECRATIO MENSÆ ) Qui nulla prorsus adhibita precatone ad epulas accedunt, de iis appositè Galli, à la table comme le porceau à l'auge. Nam cui Deo supplicantem, cui gratias agentem vidisti porcum? Quae bestia, cum nihil habeat praeter escam, praeter alios etiam quadrupedibus avidissime quaerit escam, & ita pinguescit, ut ei, ne putresceret, animam ipsam pro sale datam dixerit Chrysippus. Cic. de nat. deor. lib. 2. Accipiamus D. Basilij præceptum religiosissimum ex epistola ad Greg. Theol. ἐὺχαὶ πρὸς τροφῆς, &c. Antequam corpus cibo reficimus, preces concipiendae sunt pro dignitate diuinorum munerum, tum eorum, quae in praesens nobis tribuuntur, tum eorum, quae in posterum tribuentur. Curatis corporibus rursus preces suant, quibus & ob accepta beneficia gratias agamus, & promissa nobis à Deo flagitemus. Verbis autem mox sequentibus etiam de hora certa cibo capiendae praestituenda monet. **MATER FAMILIAS** ) Quotuplex huic nomini subiecta sit notio, docebit te Manut. in epist. 10. lib. 5. Ex idoneis vocum antiquiorum enarrationibus tradit Gellius lib. 18. cap. 7. Matronam dictam esse proprie, quae in matrimonium cum viro conuenisset, quoad in eo matrimonio maneret, etiamsi sibi liberi nondum nati forent: dictamque ita esse à matris nomine, non adeptam, sed cum spe & omine mox adipiscendo: unde ipsum quoque matrimonium dicitur. Matrem autem familias appellatam eam esse solam, quae in mariti manu

mancipioque, (aut in eius cuius manus manci-  
 pioque esset: quoniam non in matrimonium tantum, sed  
 in familiam quoque mariti, & in sui heredis locum ve-  
 nisset. **AQUAM MANIBVS**) Aquam qua ma-  
 nus initio cœne vel prandij lauamus, vel pedes ablu-  
 mus, aquam pedibus, & aquam manibus eleganter ve-  
 teres appellabant. Quod nimirum aquam pedibus cum  
 poscerent, & manibus, tantum dicere solerent, aquam  
 pedibus, aquam manibus, nullo adiecto verbo. Turneb.  
 lib. 1. cap. 14. **ET SERVO DICITE**) Famuli sunt  
 ex propria seruorum familia orti. Serui autem vocabu-  
 lum inde traxerunt, quod hi qui iure belli possent occidi  
 à victoribus, conseruabantur, & serui fiebant, à seruan-  
 do scilicet serui appellati. Isid. lib. 8. cap. 4. **EXTEM-  
 PLO VENIET**) Verbum est sacrorum, sicut Ilicet  
 iudiciorum. Ut enim hoc, dimisso senatu: sic & illud sa-  
 crificio patrato à præcone pronuntiabatur. Quo signi-  
 ficabatur ut exirent ex templo. Quod quia cito fiebat,  
 inde pro cito & properè sumi cœptum est. Ilicet tamen  
 à Festo, sine dubio, à Donato in Heaut. actum est, expo-  
 nitur. Seruius *Aeneid.* 6. docet esse nouissimum verbum,  
 quo utebantur consumpto cadauere, & collectis cineri-  
 bus. Est autem dictum per syncopen, pro, ire licet. **BA-  
 SIM DESIDERO**) Basis in suppellectile mensaria  
 est orbiculus cui canthari, & patina in mensam illate  
 superponuntur, ne videlicet mappæ inquinentur. **VT  
 ISTÆ ANCILLÆ**) Ancilla dicta ab Anco Mar-  
 tio. Quod is bello magnum fœminarum numerum cœ-  
 perit. Siue ideo sic appellabantur, quod antiqui ancil-  
 lare dicebant pro ministrare. Auctor Festus. Sed & di-  
 quidam inde, deaq; Anculi & Ancule dicti, tanquam  
 aliorum scilicet ministri, à quibus primum dictæ vi-  
 dentur ancule, quæ postmodum ancilla.

PROGYMNASMA  
VICESIMVMSEXTVM.

*Gratiarum actio post epulas.*

PATER, MATER, LIBERI.

PATER. Lautè & largè nos accepisti, cõiux.  
M. Eia laudato me tandem aliquando mi vir,  
præter morem tuum. Sed quo argumento, istuc?  
P. Panem candidissimum, ipsum farinae florem,  
vinum generosum, aprugnâ iure piperato, pul-  
los gallinaceos, assas coturnices, agninam, vi-  
tulinâ, postremò bellaria de saccharo & amygdalis præbuiſti. Si sæpius ita splendidè prande-  
bim<sup>9</sup>, oppidò delicatos filios educabim<sup>9</sup>, & par-  
cè admodum cœnare cogemur. M. Pone curam,  
minimè sumptuosam ac prodigam vxorem sor-  
titus es. Attentæ satis, & restrictæ clauis dedi-  
sti. Annus euoluetur totus, antequam te simili-  
bus modis accipiam. P. Cur autem vel hodie? M.  
Quia mihi natalis est dies. P. Ecce, non recorda-  
bar: soceros inuitassem, si monuisses. M. Mone-  
bo in annum proximum, si superauero; & scie-  
bam illos aliò condixisse. P. Iam verò surgamus.  
Pueri, mappulas vestras componite, & si quid in  
cyathis restat, ebibite. M. Ad agendas Deo gra-  
tias eo rursus ordine consistite, quo ante accu-  
bitum. Tu Martinule sta vltimus, & ad latus tuû  
Sibyllula. Huc ades filiola: assiste ad dexteram  
fratris. Incipite. L. *Laus Deo, pax viuuis, requies de-*  
*functis. Grattas agimus tibi misericors & miserator Do-*  
*mine.*

mine, quoniam dedisti escam timentibus nomen tuum, nosque indignos tuorum munerum participes effecisti. Te oramus, ut cœlestibus ac sempiternis alimentis post decursa mortalis vite spacia in regno tuo explorare nos digneris. Per Iesum Christum filium tuum. Amen. Pater noster, qui es in cœlis, &c. Ave Maria gratia plena, &c.

## ANNOTATIONES.

**P**ARCE ADMODVM COENARE COGE-  
MVR ) Diogenes prodigum quendam intuitus  
oleas in diuersorio edentem. Si sic prandisses, ait, non sic  
cœnares. Laert. Seu plura autem, seu pauciora, seu vilio-  
ra, seu delicatiora apponantur, semper necessitate natu-  
rali, non appetitu voluptatis definienda est comedendi  
bibendique libertas. Lucret. libr. 4.

Propterea capitur cibus vt suffulciat artus,  
Et recreet vires interdatus: atque patentem  
Per membra ac venas vt amorem obturet edendi.

Quam eandem rem multa cum venustate Livijs. Apud  
quem lib. 2. Menenius Agrippa narrans fabulam de  
conspiratione membrorum contra ventrem, qua etiam  
populo reditum in urbem persuasit: Inde apparuisse,  
inquit, ventris quoque haud segne ministerium esse: nec  
magis ali quam alere eum, reddentem in omnes corpo-  
ris partes hunc, quo vivimus vigemisque, diuisum pa-  
riter in venas maturum confecto cibo sanguinem. CLA-  
VES DEDISTI) Romanis erat mos, vt vxoribus  
primum ingredientibus domum claves darent. Quo  
indicabant, ipsas matresfamilias esse, omnemque rei à  
viro quasite potestatem habere. Diuortium autem cum  
facerent, claves adimebant. Cic. 2. Philipp. loquens de  
diuor

*diuortio, quod cum mima & amica sua fecerat Antonius, cui ingenuarum mulierum, & legitimarum uxorum insigne tradiderat. Illam suas sibi res habere iussit, ex XII. tabulis clauis ademit, exegit. Lege Victor. libr. 2. cap. 2. Muret. libr. 5. cap. 8. MIHI NATALIS EST DIES)* Apud maiores plenum fuisse, natalis, posteriores natalis dies dicere cœpisse notat Seruius in eclog. 3. Hic cum latitia, & conuiuio exigebatur, deoſque *γῆνεθλῆς*, id est, natales cerimoniis certis, & sacrificiis uenerabantur, Iouem, Iunonem, Genium. Plaut. Capt. Quia mihi natalis est dies, propterea te uocauer ad cœnam uolo. Sed multo clarius, & copiosius Pseudolo.

Tabi hoc præcipio, ut niteant ædes, habes quod facias, propra, abi intrò.

Tu esto lectisterniator, tu argentum eluito, idem extruito.

Hæc, cum ego à foro reuertor, facite ut offendam parata,

Vorsa, præsterga, strata, lautaque, coſtaq; omnia uti sint  
Nam mihi hodie natalis dies est, decet cum omnes uos  
concelebrare.

Pernam, callum, glandium, lumen, facito in aqua iaceant fatin' audis?

Magnificè enim uolo summos uiros accipere, ut mihi rem esse reantur.

*Perſius ſat. 2.*

Hunc Macrine diem numera meliore lapillo,

Qui tibi labentes apponit candidus annos:

Funde merum genio.

*Cic. 2. Philipp. Hodie non descendit Antonius. Cur? Dat natalitia in hortis. Porro uiri natali ſuo colebant Genium, mulieres uenerabantur Iunonem. Plura Turneb. lib. 16. cap. 19. SI SUPER AVERO)* Hoc uerbum aliquando neutrum est, ſignificatque ſuppeterere, redundare, abundare. Virgil. Georg. 1. de nuco.

*Si ſupe*

Si superant fœtus, pariter frumenta sequentur,  
Magnaque cum magno veniet tritura calore.

*Cic. Paradox. Uter igitur est ditior, cui deest, aut cui superat? qui eget, aut qui abundat? Idem de finib. De eo quod ipsis superat gratificari volunt. Non dissimilis eiusdem usus est apud Virgil. pro superstitem esse, adhuc in vita manere. Aeneid. 3.*

Quid puer Ascanius? superatne, & vescitur aura  
Ætherea, nec adhuc crudelibus occubat vimbris?

SCIEBAM ILLOS ALIO CONDIXISSE)

Ad conuiuia non infrequenter hanc vocem adhibebant, cum se vel apud aliquem ipsi inuitarent, aut sese inuitanti venturos promitterent. *Cic. ad Lentulum ep. 9. Nam cum mihi condixisset (Crassus) cœnauit apud me in mei generi Crassipedis hortis. Dicebāt item, condicere ad cœnam. Plaut. Stich. Atque id ne vos mirerini, homines seruos potare, atque ad cœnam condicere. Sueton. Tib. ad cœnam ea lege condixit, ne quid ex consuetudine immutaret. Præterea, promittere ad aliquem, & esse apud aliquem, in eadem re significanda ponebant; & qui condicebant, sic loquebantur: una erimus hodie. Cic. 2. de Orat. Ego vero, inquit Crassus, neque Antonium verbum facere patiar, & ipse obmutescam, nisi prius à vobis impetraro. Quidnam? inquit Catulus. Ut hic sitis hodie. Tum, cum ille dubitaret, quòd ad fratrem promiserat, & qua sequuntur. Plaut. Stich. Cras apud me eruis & tu & illi cū vestris uxoribus. Terent. Heaut. Nunc si commodum est, Dionysia hic sunt, hodie apud me sis volo. Iuuenal. Tertia ne vacuo cessaret culcita lecto, Unà simus ait.*

PRO

PROGYMNASMA  
VICESIMVMSEPTIMVM.

*Instruere, & adornare mensam.*

*SERGIVS, PROCOPIVS familiares serui.*

**S**ERGIVS. Ecquid audisti de Oecono-  
mo, Procopi, hodie in ædibus nostris instruendum  
conuiuium? P. Nullum verbum. S. Herus amicos  
quatuor vocauit, principes huius ciuitatis, erūt-  
que missus non pauci. Lepores, capi, perdices,  
truttæ, salmones, & aliæ conuiuantium delicia  
apponentur, quas modò prætereunti mihi apud  
culinam cocus memorauit memoriter, & ipsa  
enumeratione me in lassitudinem dedit. P. Quid  
ais? S. Audi nunc iam. Nos alia aliis, cuique fa-  
mulo suum munus relinquamus: quod nostrum  
est præstemus sedulò, mensamque suis rebus &  
apparatu instruamus. P. In me nihil est moræ. S.  
Bene factum, quod ancillula euerrit scopis hora  
sexta tricliniū: alioqui tu euerrere debuisses. P.  
Tu debuisses. S. Tu debuisses. Vtinam quoque  
pollubrum lauisset, sordet. Sed imperabo ipsi,  
etiamnum poterit. P. Ad orbiculatam hanc ac-  
cubabunt opinor. S. Planum id quidem est. P.  
Tu mappas à famula atriensi poscas, illas arte  
laboratas, nosti: ego tapetum viride quæram,  
quo primùm mensa conuestiatur. S. Poscam. P.  
Cur tam serò redis? S. Mulierem illam sursum  
& deorsum cursitâdo quæritare me oportuit. P.  
Consternamus ergo mensam. En, constrata est.  
Nunc

Nunc stanneas quadras afferam, & orbiculum cui patinæ superponentur, vt mappæ ne poluantur. quot discumbent? S. Octo. P. Quid ita? S. illi quatuor primarij ciues inuitati, herus, heras maior, filius herilis, heras minor. P. Tibi cochlearia pedunculis inauratis, & cultri manubriis argenteis curæ sint. S. De sale in pila confuso tria salina imple. P. Ecce. Curram nunc in cellam promptuariam, apportabo canistrum cum pane primario & candido: nam secundarius hinc exulabit hodie. S. Sellas ego conquiram. P. Vt promumcondum timere sensi modò, ne nos de pane isto comederemus interealoci. Pumex non æquè aridus est, vt hic senex. S. Parcus, sordidus, tenax & pertinax est. P. Ipse quoque in lecto follem obstringit obgulam, ne quid animæ amittat dormiens. S. Nec me animi fallit cellarium in metu futurum, ne gustemus de vino. Profectò pitissabimus, dum per domum cum cirneis, lagenis, cantharis ambulabimus. Nec verò quisquam est tam ingenio duro, quin vbi quidquam occasionis sit, sibi faciat bene. Impone cuilibet quadræ panem suum, & tege pula. P. Nondum postulauit recens lotas: nam quæ in hac capsula, maculis iam sordent. Vado petiturum. S. Cursum ito. P. Hic ero, cum illic censebis esse me. Adsum, quid iam deest? S. Vas refrigeratorium, in quod œnophoti & canthari deponatur: nunc enim æstus hiulcat agros, quippe mense Iulio. Itè aliud, cuprea illa trulla, in qua crystallina pocula, & argentea eluantur. Sed hæc postremò. Iam abacū oneremus. Defer quadras plures, vt permutare ad singulos missus,



& quoties opus fuerit, commodè possimus. Iam de pane cibario paniceas quadras defecato, quæ cibis substernantur, qui mos est aulicus. Mi Procopi, afferto etiam sportulam, in quam reliquiae ciborum, & ossicula de quadris à mensa ablatis proiiciantur. P. En, attuli. S. Euge, optimè. P. Simul abeamus ad afferendas pateras, phialas, scyphos, culillos, cymbia, ciboria, chrysendeta, anaglypta, toreumata, cælata, non cælata pocula, quamuis omnibus vsuri non sint: vt dominus noster à poculis haud inops esse videatur. S. Meritò, hæc enim eius arma sunt, cum sit helluo, non librorum, sed Liberi, & hinc vsque ad sidera notus. P. Habet hunc morbum. Quid iam desideratur? S. Magnum illud maluumium argenteum, marginibus seu labris inauratis, cum suo vrceo, vnde manibus lymphas demus: & tonsis mantilia villis. P. Curauero. hem tibi, quid insuper? S. Vt suffitum thuris spargamus per triclinium, odoresque incendamus quando accumbendum erit, & in tempore de vino è cadis hauriendo cellarium admoneamus: non illo ignobili & cibario, quo assiduò gulæ nostræ lauantur, neq; de fugiente ac dubio, aut acescente: sed honorario, falerno, Cretico. Scis? S. Teneo istuc satis. Qui agent dapiferos? S. Libanus & Stasimus, pocillatores nos duo. De lancibus, catinis, scutellis & patellis rogabimus homines, vt nobis aliquantillū asseruent, non repugnante coco, qui nos amat. Petitionem nostram curæ habebunt vtique. P. Idipsum meditabamur ego venterque meus: in quo intestina præ inanitate horrendum murmurant.

## ANNOTATIONES.

**A** FAMVLA ATRIENSI) *Atrienſes, qui ſup-  
pelleſtilis curam gerebant, & atrium vt eſſet om-  
ni ex parte mundum ac nitidum providebant, qui quaſi  
domini aliis ſeruis imperabant. Plaut. Pſeud. Conduſ  
promuſ ſum, procurator peni. H. quaſi te dicas atrien-  
ſem. P. Immo atrienſi ego impero. Sic fortaſſe appella-  
bimus commodè, ſamulas inquam atrienſes, quas Galli,  
deſpèſieres, qui ont la garde de la viande, filles  
de chambre. ABACVM ONEREMVS) *Præ-  
ter alias huius vocabuli ſignificationes: quas in Ca-  
lepinis, Theſauris inuenies, & qua ad inſtitutum ni-  
hil faciunt, eſt menſula, ſuper quam vaſa aurea & ar-  
gentea eſcaria ſcilicet, ac potoria ſiue ad uſum, ſiue ad  
oſtentationem exponuntur. Cic. Tuſcul. 5. Abacos com-  
plures ornauit argento auroque calato. Verr. 6. Cum  
aliquot abacorum faceret vaſa aurea. Vn Buffet, ou  
dreſſoir. PANICEAS QVADRAS) *Has in 3.  
Æneid. Harpyia famem Troianis vaticinans menſas  
vocat.***

Sed non antè datam cingetis mœnibus urbem,  
Quàm vos dira fames, noſtræque iniuria cædis  
Ambaſas ſubigat malis abſumere menſas.

*Ubi Seruius. Maiores enim has habebant in honore deo-  
rum, paniceas ſcilicet. Principio ſeptimi poeta eaſdem  
adorea liba, cereale ſolum, exiguam Cererem, orbem fa-  
talis cruſti, patulas quadras nominat. CHRYSEN-  
DETA) Vaſa cruſtis aureis illigata & exornata, ſeu  
vaſa gemmata quorum gemma auro conſerta, & con-  
textæ erant. Plura Turneb. lib. 13. cap. 3. NON LI-  
BRORVM SED LIBERI) *Liber repertor vini  
ſic appellatur, quod vino nimio uſi, omnia liberè lo-**

quantur. Ita Festus. Seneca extremo cap. 15. de Tranquill. animi. Elicit enim curas, & ab imo animum mouet: & ut morbis quibusdam, ita tristitia medetur: Liberque non ob licentiam lingua dictus est, sed quia liberat seruitio curarum animum, & asserit, vegetioremque & audaciorum in omnes conatus facit. HABET HVNC MORBVM) Quasdam prauas consuetudines, & animi vitiositates sic vocabant, ut Greci quoque  $\nu\epsilon\sigma\sigma\varsigma$ , Cic. 1. de finib. Animi autem morbi sunt cupiditates immense & inanes diuitiarum, gloria, dominationis, libidinosarum etiam voluptatum. Et Verr. 1. Nam ille quoque sodalis erat in hoc morbo & cupiditate. & orat. 4. Venio nunc ad istius, quemadmodum ipse appellat, studium: ut amici eius, morbum & insaniam: ut Siculi, latrocinium. Sic Catullus de Egnatio, qui de candidulis dentibus magnopere sibi gratulabatur, & ubicunque esset, quidquid ageret, sine vlla occasione eius candoris ostentandi causa ridebat, habet, inquit, hunc morbum, neque elegantem, ut arbitror, neque urbanum. Horat. ode 25. lib. 1. per morbum cohortis Cleopatrae impudicitiam, & Satyr. 5. lib. 1. per morbum Campanum arrogantiam Campanam, & Sat. 6. eiusdem lib. per morbum Barri immodicum formae cultusque studium, & Sat. 3. lib. 2. cupiditatem lucri intelligit. Epist. item 1. lib. 1. auaritiam & Cupidinem morbos dicit. Sed quae Greci dicunt  $\omega\alpha\theta\eta$ , ea Cic. Tuscul. 9. melius appellari asserit perturbationes, morbos non satis vsitate. Ibidem motus animi rationi non obtemperantes nominat.

PROGYMNASMA  
VICESIMVMOCTAVVM.

*Quæ ante accubitus.*

*ISACIVS, VRSMARVS.*

**I**SACIVS. Cum in conuiuio mœstum federe subrusticum, ac præter decorum sit, quoniam scilicet ingenuæ voluptatis, & lætitiæ causa in-euntur conuiuia: deceatque nos, quando manus lotas mantili abstergimus, simul quoque omnem abstergere, & excludere ex animis ægritudinem, ac tradere curas in mare Creticum portare ven-tis: quid tu Vismare hesterna luce tristichulus, meditabundus, ac suspiriosus, lugenti que simil-limus inter conuiuas? V. Conabar ego quidem me ad hilaritatem dare, sed difficile est imitari gaudia falsa. Difficile est tristi fingere iocum, vt ait poëta elegiacus. Verum quo minus ego, tanto magis tu lætitia diffundebare, meam-que tristitiam facilè compensabas. I. Si quid fe-ci, aut facio quod placeat tibi, gaudeo. V. Quin & illud probabam, quod antequam accumbe-res id peragebas, cuius causa à mensa surgere non datur laudi adolescentibus. I. Quin etiam illud, quod non aduertisti. Cum essem arctissimè cinctus, laxaueram aliquantum cingulum: id si post accubitus fecissem, omnes, puto, tuque inprimis, me putassent velle vorare quàm plu-rium, atque ob eam rem reddidisse ventrem capacissimum. V. Etiam sic vix te suspicione

exsoluis apud alios. Miror autem his regionibus morem inoleuisse, vt cum honoratis accumbatur nudatis capitibus. Quia apud nostrates mos est operto esse capite, sæpe obliuiscor huius rei, pileum non depono super scamno alicubi. I. Iam inde à maioribus hoc fit. An mirum sit, si honoratis honos habeatur? nam poculis & patinis id non fit; quamuis manus lauemus, non tantum vt mundæ sint, verùm etiam quod panem tractaturæ sunt, quem prisca vti rem sacram attingere consueuerunt; ideoque si fortè in terram cecidisset, reuerenter leuabant, & osculabantur. V. Idem à nostri sæculi mortalibus istanc rationem nescientibus seruetur quotidie. I. Non autem omnes prouinciales, nec semper hūc morem de capite nudato seruant: ephebi senioribus reuerentiam debemus: quemadmodum hoc quoque nos in primis commendat, cedere loci honorem alteri cum discubitur, nec eligere primos accubitus in cœnis. Quod si quis natu maior etiam eò inuitet, honestum est se excusare comiter; nisi, tertium, quartum id faciat, tum illius voluntati obtemperandum est, ne verecundiam nostram ceteri cōtumaciam interpretentur, & ne prudentiores eo videri velle putemur. V. Arbitror me id adhuc præstitisse; & hoc similiter, cum omni pietate videlicet, aut ipsum me preces diuinas ante mensam recitasse, aut dum eæ recitarentur quietum astitisse, atque auscultasse. I. Quàm multa existimas post accubitum, inter prandendum cœnandumue obseruanda, si peccari potest nõ vno modo antequam recubueris? V. Tam multa, vt voluminibus mandari

mandari queant. I. Non ergo dies vnus ad enar-  
randum fatis sit. V. Nec decem. Quid decem? nec  
viginti. I. Non me fallunt iocationes tuæ.

---

ANNOTATIONES.

**S**CILICET INGENVÆ VOLVPTATIS)  
*(Cic. ad Papium Patrum epist. 24. lib. 9. Te ad cœnas  
 ire desuisse molestè fero. Magna enim te delectatione  
 & voluptate priuasti. Deinde etiam vereor (licet enim  
 verum dicere) ne nescio quid illud, quod solebas, dedi-  
 scas, & obliuiscare cœnulas facere. Nam si tum, cum  
 habebas quos imitarere, non multum proficiebas, quid  
 nunc te facturum putem? Græci συμπόσιον, & σὺνδαι-  
 πνον, comotationem, concœnationem, vocant accuba-  
 tionem epularum amicorum, vt quod in eo genere mi-  
 nimum est, id maximè probare videantur. At bene  
 maiores nostri, quia vitæ coniunctionem haberent, con-  
 iuiuium nominarunt. Cicer. de Senect. Ego verò propter  
 sermonis delectationem tempestiuus conuiuuiis delector,  
 inquit apud eundem Cato. **MEDITABVNDVS,**  
**AC SVSPIRIOSVS)** Cicer. 1. Offic. Si quis cum  
 causam sit acturus, in itinere, aut in ambulatione se-  
 cum ipse meditetur, aut si quid aliud attentius cogitet,  
 non reprehendatur: at hoc idem si in conuiuio faciat,  
 inhumanus videatur, inscitia temporis. **IAM IN-**  
**DE A MAIORIBVS)** Apud Iurecos parentes acci-  
 piuntur vsque ad quintum cognationis gradum, ascen-  
 dendo videlicet: eodèmq; modo liberi, descendendo  
 inquam. Nam pater, auus, proauus, atauus, tritauus  
 parentum nomine censentur: liberorum verò filij, nepo-  
 tes, pronepotes, abnepotes, trinepotes. Vteriores, qui pecu-*

liari nomine carent, maiores, & liberi ultra hos qui dicti sunt, posterius nomen habent. Crinit. lib. 15. cap. 8. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 15. VTI REM SACRAM) Panis hic ipse quo vivimus, ait Plinius lib. 22. cap. 25. innumeris penè continet medicinas. Ibidem de eius differentiis & generibus, de quibus item non pauca Rhodigin. lib. 9. ca. 16. Democritus iam animam exhalaturus, propter sororem sacerdotem Cereris lamentantem, quod sacris Thesmophoriis, si ipse moriens domum funestasset, interesse sibi non liceret, panibus recentibus & calidis ad nares admotis, odore illo vitam triduo. donec illa sacra peragerentur, retinuit, & mortem abs se prohibuit. Extat hac de re epigramma Laertij. TERTIVM, QVARTVM) Non habere eandem vim tertio & tertium, quarto & quartum, (& sic deinceps) aliquid fecisse, Varro existimat, cuius verba recitantur à Gellio lib. 10. cap. 1. qui etiam stat. à Varrone.

---

PROGYMNASMA  
VICESIMVMNONVM.

*Decorum accubitus, & alia  
quadam.*

POMPILIUS, ASCANIUS.

**P**OMPILIUS. Postquam quis accubuerit, quonam modo potest in moribus offendere? A. quonam? & pluribus modis, & facillimè. Quare autem rogas? vis tu hanc artem discere? P. Nisi mihi Deus iratus sit, carnificium potius quàm hoc

hoc artificium. A. Fortè periculum facis, an ipse mores vrbanos nouerim. P. Nec istud. A. Quid ergo? P. Vt fallamus tempus iucundo colloquio. A. Cur nõ de aliis multis, quæ in mēsa obseruare pulchrum est? P. Nimis longum esset, & quæram aliàs. Nunc de hoc capite, quod proposui, differe. A. Libellus quidam fertur, Grobianus illi nomen est. Is & hoc, & alias morum elegantias enuclearissimè docebit. P. Tu in præses me? Grobianus esto. A. An tu gestis omnino grobianissimum cognoscere? P. Mitte iocularia. A. Quādo accubueris, vtramque manum tene in gremio, aut alteram in sinum iniice, quasi pulicem venareri: ne supra mensam habe: aut si habes, super orbem habe. P. Intellego. A. Innititor mēsa vtroque cubito, aut altero saltem, ac puluillū poscito quem subiicias. Incredibile dictu est, quā hoc scitum sit & elegans: immò apud aulicos quosdam hunc morem in aulis vidi: in aulis autem quid non festiuissimum? vnde nostrū *hoeflich*. Quare caue tu faxis cōtrarium. P. Cauebo, etsi nullus moneas. A. Secundum, seu infra te sedētem cubito sæpe truditō, ne quietum finito. Quod si quispiam è regione sederit, pedibus ei molestiam exhibeto: nam & Chrysippus ille clarissimus philosophus in conuiuio ita pedes agitauit. P. Ha, ha, he. perge, perge. A. In sella perinde ac si te venti hinc inde impellerent, nunc in dextram, nunc in sinistram partem propende. Nõne honestus sedendi modus? P. Honestissimus, si diis placet. A. Dicerem vt curuato, & minimè recto corpore sederes, nisi sperarem te id facturum, quamuis non monitum. P.



Egregiam spem. A. Si mantile dabitur, explica illud, & in globum conuolutum tanquam strophium iuxta quadram pone. Nasum eo terge, si grauedo profluxerit: humero aut brachio sinistro complicatum ne imposueris. P. Platonica praecepta, immò Delphica. P. Poculum ad laeuam esto, cultellus etiam, quem tertio quoque mense purgabis, & ad cotem exacues. *Alle Quatember einmal.* Sed cultellum ita capies, ut si captus sectionibus non quadret, manubriolum in mensam impingas. Panis cum res quodammodo sacra sit, honoris causa ad dexteram collocetur. Eum ubi in frustra oblonga & tenuiora concideris, postea tribus digitis posterioribus preme, & pollice atque indice bolos seu frustilla defringes. P. Atqui multas faciam micas hac ratione. A. Illae erunt dapes gallinarum postea. De toto autem pane rescindes multò plus, quàm absumere decreuisti: quia decorum est fragmenta relinquere. P. Consuades. A. Extrèum audi. P. Vellè hoc esset initiù, adèd cum voluptate comedo sermonem tuum. A. Crustam panis superiorè inferiorèq; pulchre rescica, nã panis ita excoriatus ad stomachum facit; & te sepius cõsiderate oportet, quid salutare delicatũq; sit, quàm quid nimis politi isti & urbani ciues vituperent factum; quae tibi quidem non sunt in magno ponenda discrimine. P. Ago gratias, venerande doctor. Vale in perendinum, tum me plura huius generis officia, & isto cum lepore docebis. Nunc enim diei tempore excludimur. A. Videbitur. Fac tibi ista ne interim ex animo defluant. P. Memori mente infixam tenebo.

## ANNOTATIONES.

**G**ROBIANVS ILLI NOMEN EST ) *Al-ternis versibus longis, seu elegiaco carmine cōpositus de moribus liber extat, omnibus sanè quàm notissimus. Is per contraria praecepta qui mores fugiendi, qui sectandi sint docet. Praecipit, inquam, rustica, sordida, inepta, ut tu inde quid urbanum, quid mundum, quid elegans & decorum sit intelligas, & illud factis praestes. Id quod sine iocis ac risibus doceri ac praecipi nō potest. Nobis autem tantam vim dialogorum per tria volumina conscribentibus, curandum fuit, ut quantum ingenio consequi possemus, œconomiam & faciem eorundē variaremus: nihil enim perpetuò sibi simile diu placet. Sed de varietate nostra iudicabunt eruditi. Nunc quidem dialogo hoc, & qui sequitur 33. quibus quaedam ad mores in mensa seruandos continentur, auctorem illum imitari, ἀντιπροστυκῶς praecipere honestatem volumus: iocose & facete non nihil, fateor. Veruntamen nec à quotidianis congressibus nostris, nec ab hoc genere scriptionis, quo sermo quotidianus emendatur & excolitur, omnes iocos & risus quisquam sapiens repulerit.*

**ETSI NULLVS MONEAS )** *Terent. Eunuch. Memini, tamen si nullus moneas. Hecyra. Si non quaret, nullus dixeris. Plaut. Asin. Libanum in constringam ut iusseram venire, is nullus venit. Rud. Ille qui vocauit, nullus venit. His, aliisq; mille locis apud utrumque, nullus pro, nō, ponitur. Locu<sup>9</sup> est similiter Cic. ad Att. epist. 22. lib. 11. Philotimus non modo nullus venit, sed ne per literas quidem, &c. Et alibi. Sextus ab armis nullus discedit. Denique 3. de Offic. Querit ex proximo vicino, num feria quaedam piscatorum essent, quod eos nul-*

los

los videret. Perperã enim ibi legitur in vulgatis, nullus. NAM ET CHRYSIPPVS) In potationibus autem quiescebat, crura tamen agitando: ita ut ancilla diceret, Chryssippi sola crura ebria esse. Laert. SI GRAVEDO PROFLUXERIT) Grauedo est humor frigidus è capite distillans, nares obstruens, vocem obtundens, siccã tussim commouens. Catullus ad fundũ suum. Hic me grauedo frigida, & frequens tussis Quassauit. Hinc grauedinosi, ad hunc morbum propensi. Cicer. Tuscul. 4. Itaque dicimus grauedinosos quosdam, quosdam torminosos, non quia semper sint, sed quia saepe sint. Recte autem in antiquis libris legi grauido, & grauidinosos, per tertiam vocalem, docet Victor. lib. 4. cap. 8. COMEDO SERMONEM TVVM) Hac translatione utitur Plaut. Aulul. Nimum libenter edi sermonem tuum. In Mostell. dixit, gustare sermonem. In Asin. dicta deuorare. In Pœnulo. Quam orationem hæc aures dulcem deuorant? Horat. Ode 13. lib. 2. bibere etiam ad aures transtulit.

## PROGYMNASMA TRICESIMUM.

*In potu quid deceat.*

PIVS, FVLVIVS, DIDYMVS.

PIVS. In conuentu doctorum hominum loco solito scitis heri scholam explicatam hanc. Vtrum esset vinum dandum pueris. Quid vobis videbatur? F. Quod toti gregi nostro visum auguror, vt ambo, qui hæc disputabãt, aquam biberent, si tam salutifera est aqua, & vinum tam pestiferum. D. Tamen propitius fuit nobis alter duorum, tantumque vetabat infantibus, qui adhuc

huc lactarentur, & nutricibus vinum dari, nisi modicum, & dilutum. Deinde docebat medicos vini potionem vsque ad annum nonum pueris interdiceret. Cæteris, qui prope puberem ætatē essent, vt nos singuli Dei beneficio sumus, vinū parcè, & meracum permitti posse, quoniam ingenii valetudiniq̄ mirè conduceret. P. Sed quod aiebat tam modicum, vt magis ad cibum concoquendum, quàm ad sitim restinguendam valeret, hoc neutiq̄am in animum meum penetrabat. Et cum hīc locorum nullus sit vsus cereuisiæ (quam nonnulli vinum hordeaceum, alij zythum appellant) oporteret nos, si pauldò largius bibendum esset, aquæ potores fieri. Vituli & anseres aquam bibant; nulla gutta in corpus meum descendet vnquam. F. Dummodo bibam, diluatur vinum, si sit Franconicum, si Austriacum, si Hungaricum, si Italicum: aquam profectò gustare nec libuit adhuc, nec libebit. D. Nec mihi decretum est aquam bibere. At tu Fului, quod nec ciuile, nec salubre censetur, simul vt accubuisti bibis. F. Hepate sum calido. D. Ergo ignem igni addis. F. Gerræ; nunquam me comburet hic ignis. P. De patre meo sapius audiui, non esse statim post offam bibendum, nec post esum lactis; quorum vtrumque solet Didymus. D. Satis dicaculus. Quod nisi obmutescis, faxo te pœniteat in me linguam expediuisse. P. Age, comminiscere aliquid. D. Non satis modestè, sed auidè hauris. Si quando de cantharo bibis, patiente nimis rictu merum inuergis, vt oculi sudent, & vtrinque in pectus vinum ab ore defluat, spiritu penè intercepto. P. Manifesta calumnia.

lumnia. D. Testis est Fuluius. F. Est ita. P. Et tu Fului, nondum manso ac traiecto in ventriculum cibo, nec prius ore labrisque absterfis consuisti sitim depellere, quæ turpissima sunt nec os abstergis postquã bibisti. F. Et tu, quod crebrius notatum est, inter bibendum intortis oculis aspectas alios. P. Et tu occiput in tergum reiiicis, vt nec vna guttula in poculo relinquatur. Nosti exsiccare calices. Didymus verò, quid propinantibus respondeat nescit, & tamen respõdet nimium, cum ore summo tenus attingere debeat. D. Quid faciam, si vrgent? P. Ne angaris animi, dic te quod satis sit bibisse: aut dic te bibiturum, cum denuò sitieris. D. Doce me etiam tu magne doctor, quoties in mensa bibendum. P. Ter summum. D. At tu, est quando compluries pocula ducas. P. Quæsiuistine tu quoties ego biberem: an quoties bibendum? D. Sed turpe est doctori cū culpa redarguit ipsum. Proinde quoties alium probri accusas, te ipsum intuebere. F. Consultum fuerit, nos omnes libellū de moribus perlegere. Nã si inquireremus, omnes fortè multorum peccatorū affines inueniremur. P. Sed tu plurimorum. F. Sed tu infinitorum.

---

#### ANNOTATIONES.

**V**INUM DANDVM PVERIS) *Igni non est addendus ignis, ne manus euadat & perniciosius incendium. Sic cum vinum calefaciendi vim habeat, & pueritia calore naturali ferueat eog, abundet, philosophi & medici vinum pueris dari vetant, ante annum etatis nonum maxime. Malè igitur, qui etiam infantibus illud prabent. Nam dum volunt robustiores efficere,*  
*magno*

magnopere aucto calore iracundos reddunt. ET NV-  
TRICIBVS) Quas ob causas ipsæ matres quos pe-  
pererunt etiam lacte suo pascere debeant: & si id non  
possit fieri, quales nutrices deligende sint, quantumque  
vitiis suis noceant alumniis suis, videndus Plutarchus  
de lib. educand. Gellius lib. 12. cap. 1. Quintil. cap. 1. lib. 1.  
Maphaus lib. 1. cap. 4. NULLVS SIT VSVS CEREVI-  
S I Æ) Antiqui, iis maximè regionibus, quæ ob soli vi-  
tium vineas feri non paterentur, è frugibus potum con-  
ficiebant: cuius rei auctorem Liberum patrem Diodo-  
rus lib. 4. facit. Lege caput 12. lib. 2. apud Iunium. Gal-  
los narrat idem Diodorus lib. 6. ob inopiam vitium ex  
hordeo consuesse potionis genus conficere, cerevisiam  
nempe. Quamobrem Iulianus Imperat. veniens in Gal-  
liam, cum eam gustasset, ita lusit epigrammate perquam  
festiuo.

Τίς; πόθεν εἶς Διόνυσε, μὰ γὰρ τοῦ ἀληθέα Βά-  
χου,

Ὁὐ σ' ἐπιγινώσκω. Τὸν δῖος οἱ δα μόνου.

Κείνος νέκταρ ὄδωδε σὺ δὲ τράγοι. ἠράσε κελτοί

Τῆ πενίη βοτρυῶν τεύξαρ ἀπ' ἀσχυῶν.

Τῶ σε χρεὶ καλέαρ Δημήτριου δ' Διόνυσου,

Πηρογενῆ μᾶλλον καὶ βρόμου, δ' βρόμιου.

Bacche quis? aut vnde es? tibi Bacchum iuro per ipsum,

Te minimè noui; sed Ioue nosco satum.

Tu hircum, is nectar olet: nimirum Gallia tellus

Te flaua è spica vitis inops genuit.

Dicemus te igitur Cerealem, non Dionysum,

Spicigenam potius, & Bromon haud Bromium.

GERRÆ) Gerra crates viminea. Athenienses cum

Syracusas obsiderent, & crebrò gerras poscerent: irri-

dentes Siculi, gerras clamitabant. Vnde factum est, vt

gerra pro nugis & contemptu dicantur. Festus. Plaut.

Pænulo.

Nam

Nam tunc blanditiæ mihi sunt, quod dici solet,  
Gerræ germanz, & ædepol lyræ lyræ.

**QUOTIES IN MENSA BIBENDVM**) *Eu-  
bulus apud Athenæum lib. 2. cap. 1. Bacchum inducit  
dicentem, se decem crateras miscere. Sed tres tantum  
sanis & prudentibus. Primum sanitatis: alterum volu-  
ptatis; tertium somnij. Quartum ait pertinere ad in-  
iuriam, quintum ad clamorem, &c. Qui autem dixit  
primum haustum esse necessitatis, alterum voluptatis,  
tercium ebrietatis, quartum insania, is nihil aliud, quã  
moderationem in potu voluit nobis prescribere. Romu-  
lus ad cœnã vocatus, non multũ ibi bibit, quia postridie  
negotium haberet. Cui cum diceretur; Romule, si istuc  
omnes homines faciant, vinum vilius sit. Respondit: im-  
mò verò earum, si quantum quisque volet, bibat: nã ego  
bibì quantum volui. Lepida omnino, & sobria respon-  
sio. Narrat Gellius lib. 11. cap. 14.*

**NE ANGARI  
ANIMI**) *Angor animi, pendeo animi Cicero dixit.  
Excrucior, discrucior animi Plaut. & Terent. Labor  
animi, sum miser animi Plautus. Sum incertus animi  
Liuius. Prestans animi, fidēs animi, dubius animi. Vir-  
gil. Integer vita, integer animi, integer mentis, felix ce-  
rebri Horat. vag<sup>9</sup> animi Catull. sanus mētis Plaut. TE-  
IPSVM INTVEBERE*) *Sapientissimus vita emē-  
dator Plutarchus lib. de vtilit. ex inimicis cap. sic præ-  
cipit. Qui sit in alium dicturus, non hunc oportet face-  
tum, aut clamosum, aut improbum esse: verum eum es-  
se conuenit, in quo nullum conuicium, aut crimen hæ-  
reat. Deus enim nulli magis præcepisse videtur illud;  
Nosce teipsum, quã ei, qui sit alium vituperaturus:  
ne si dixerint quæ volunt, audiant quæ non volunt.*

PROGYMNASMA  
VICESIMVMPRIMVM.

*Quando, & quomodo accipiendum è patina.*

NICEPHORVS, EVLOGIVS.

**N**ICEPHORVS. Quibus moribus potissimum, Eulogi, te hodie inter epulas studuisti præstare cæteris? E. Quorum præcepta hesternò die reposcenti Magistro recitaueram. N. Et illa quæ fuerunt? E. Quando manus in patinam immittenda, seu quo pacto nos in patina geramus. N. Itera eadem mihi, si onerosum non est, & si multa non sunt. E. Immò perpauca. At si quid vicissim abs te petiuero in hoc genere (nã tu quoque conficis pensum tuum in dies singulos) recitabisne? N. Neque istuc, neque alibi usquã tibi erit in me mora, opera & factis dictum istuc experiere. E. Vbi iam confederimus, ferculaque illata fuerint, non est derepente inuolandum irruendumque in paropsidem: sic propter improbam ventris rabiem lupi facerent. N. Atqui Plautus ait: ad suum quæstũ quemque æquum est esse callidum. E. Plautus id aliouorsum dixit. N. Hoc igitur probro summo ducendũ est. Quin etiam affectui moderandum, & appetitionem in eo coercendam puto, vt cum subito cibum non tangamus, nec primi tangamus. E. Quinimmodò, si cum maioribus natu lectisque hominibus accumbamus, postremi omnium, & ad hoc ipsum semel atque iterum inuitati. N. Istuc inprimis



honestum existimo. E. Auiditati edacitatiq; tribuendum est, quod nonnulli bolos nimiū feruidos in os ingerentes, eos aut mox reddere, aut si propter dedecus fœditatemq; non audent, non parum adusta gula deuorare coguntur. N. Recens exemplum. In offam calentissimam nudiusquartus incidimus: ibi cōdiscipulus noster Eusebius adedò peruri fauces sensit, vt lacrymaret præ doloris magnitudine. Quanquam nec illi laudandi, qui diutius plenioreque spiritu afflant quod haustum est cochleari, donec nimirum omnino frigidum efficiatur. E. Et rectè id quidem. Dignitatem item in iura Teu embammata intingendi non sunt, sed buccæ panis cultro affixa, & fuscinula, cultrou accipiendum de patina, quod accipiendum, iisdemq; instrumentis reponendū est. N. Habeo de nostris sodalibus nominare, qui in hoc genere se culpa deuinciunt. E. Et nos aliquando eadē culpa tenebamur. Nec verò semper abstulimus quod ante nos esset. Quod si hoc ipsum fuerit aliquid ad epulandū electum & singulare, relinquemus honoris causa proximè accubenti, & vicinam portionē tollemus. N. Quid illi, qui inuertunt vasa escaria, vt quod viderunt inesse optimū, id ante se habeant, quiq; in patinis plurimum cibi ante se congerunt? E. Id ipsum stomachabar modo. N. Miror si quisquam in hoc possit honestatis transire limitē, cum sit tā apertè rusticum. E. Inter familiares & necessarios fortasse quidam hanc notā non timebunt. Tamen apud illos quoque ornat vnūquemq; modestia. Nunc tu mihi quoque, vt pollicitus es, recita. N. Egone? E. Num quis hīc alius est præter me atque te?

N. Cur

N. Cur ego ligna in syluam? E. Non est, vt putas: multa exciderunt animo. N. Dicam de moribus, quos teneamus, cum porrigitur nobis aliquid: id quæ meam potius causâ; vt memoriam earum rerum confirmem, quàm tuam, qui & hæc & alia facilè memoria meministi. E. De me ipse videro, tu cauebis ne malum nomen videre. N. Sine versura dissoluam, & ad denarium, quidquid hoc est æris alieni.

## ANNO TATIONES.

**T**E STVDVISTI PRÆSTARE CÆTERIS) Sallust. (Catilinar. Omnes homines qui student se se prestare cæteris animalibus. Id est, qui conantur, qui laborant vt prestent & antecellant. Eodem modo locutus est Cic. 2. Off. Gratum se videri studet. Terent. Eunuch. Qui placere se student bonis quàm plurimis. Non ita dissimilis est illa loquendi ratio in ead. comœdia. Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt. Et 2. Tuscul. Est enim quoddam genus eorum, qui se philosophos appellari volunt. Terent. And. Vxorem decrèrat dare se se mihi hodie. Liviùs lib. 22. Qui se bene mori, quàm turpiter viuere maluit. In his ferè omnibus sublato prouocabulo, adhuc integer manebit sensus. PROPTER IMPROBAM VENTRIS RABIE M) Virgil. 2. *Æneid.*

inde lupi ceu

Raptores, atra in nebula quos improba ventris

Exegit cæcos rabies, catulique relictæ

Faucibus expectant siccis.

*Ri Tu quàm latissimè diducto ad prædam deuorandam accurrere scribitur lupo. Qua fraudatus, hians obam-*

bulat. Inde prouerbiū, lupus hiat, de eo, qui re multum sperata frustratus discedit. In fame eundem terra uesci ait Plinius lib. 8. cap. 22. Plaut. Capt. Quasi lupus esuriens metui ne in me faceret impetum. **POSTREMI OMNIUM, ET AD HOC IPSUM**) Eligere primos accubitus, tamen si illi propter tuam supra ceteros auctoritatem & excellentiam debeantur tibi, non est ut commendari possit. Semper enim aperta honorum consecratio turpis est. Recumbere autem nouissimo loco, id est, semper aliis potiores partes concedere, idque ex animo, magna virtutis, & omni laude prosequendum facinus. Qui ipse se contemnit, in eo est indoles industria, inquit Plautus. Veruntamen hac doctrina ad iuniores, & obscuriores spectat maximè, quos & ætatis verecundia, & conditionis humilitas ad modestiam debent impellere. **NE MALVM NOMEN**) Bonum nomen est debitor bonæ fidei, malum nomen suspecta aut malæ fidei: nam pro debitore etiam, non modo pro debitis hæc vox interdum ponitur, & nomina facere est item debitores comparare. Hinc fenerator Alphius, ut est apud Columellam lib. 1. cap. 7. vel optima nomina fieri mala dicebat non appellando. Cicer. epist. 6. lib. 5. Ego autem meis rebus gestis hoc sum assecutus, ut bonum nomen existimer. **SINE VERSURA DISSOLVAM**) Versuram facere aut soluere, est creditorem quodammodo vertere, mutare scilicet, & fœnus fœnore, ac alienum ære alieno dissoluere, & ita nouo nomine vetus nomen expungere, quodq; prouerbio tritum est, clauum clauo pel- lere. Germanicè Ein Luclen auffbrechen, vnd die ander zumachen. Poterit etiam usurpari translatic, exemplo sit quod recitat Cicero Tuscul. 1. Cum Lacedæmonius quidam, cuius ne nomen quidem proditum est (Plutarchus in Laconicis Thectamenem vocatum tradidit)

didit) mortem tantoperè contēpserit, ut cum ad eam duceretur dānatus ab Ephoris, & esset vultu hilari atque lato, dixissetque ei quidam inimicus: Contemnīsne leges Lycurgi? responderit: Ego verò illi maximam gratiam habeo, qui me ea pœna multauerit, quam sine mutatione & versura possem dissoluere.

PROGYMNASMA  
VICESIMVMSECVNDVM.

*Cum ab aliis quidpiam porrigitur.*

I I D E M.

**N**ICEPHORVS. Cum exquisitiores & apparatusiores, seu communes etiam, & vulgares partes quispiam discumbentium nobis ante posuerit, gratias agemus, paululùm etiam asurgentes, (si personæ dignitas ea fuerit) deinde frustulum refecabimus capientes summis digitis, aut fascinula prementes, quod nos esuri fumus, reliquum cultello affixum aut illi à quo totum acceperamus restituemus, aut si orbis eius non vacat, vicino, aut in patinā referemus. Laudantur tamen, qui rerum delicatiorum partes omnino recusant accipere, senioribus eas relinquentes. Etiā illi, qui viliora sibi ultro ad edendum sumunt, laudem merentur. E. Si pauxillum contigerit? N. Totum retinebimus: nec enim tum cadet in nos voracitatis suspicio. E. Si dimidiatus pullus? N. Hoc nimium. E. Si auicula? N. Ita, si auicula: non autem, si auis. E. Credo equidem si anser, aut capo: sunt enim aues. N. Nimis lōgè abis, & te disimulas percipere quid velim. E.

Age, vnū hoc & laudabile præceptum. N. Quod commodè tribus digitis excipere non poterimus, quadra porrecta excipiemus. E. Alterum. Veruntamen non tu res iurulentas, sed siccas digitis excipiendas intelligis. Rectène dicta tua interpretor? N. Prorsus rectè. E. Si quid cochleari offeretur? N. Accipiemus cochlear oblatum. Quod eo continetur, super quadram nostram reponemus, cochlear restituemus. si liquidius aliquid fuerit, comedemus statim, cochlear autem prius mantili extersum reddemus. E. Tertium. N. Ne citius manum ad accipiendum extendamus, quàm præberi nobis videmus quod defectum est, ne alteri anteuertere, illique velle præripere suum existimemur. E. Quartum. N. Interdum dabitur, quod ad stomachum nostrum non faciet, vt caseus ad meum. E. Et porcina ad meum. N. Aut iam exempta fame, & amore illo edendi compresso; tum agenda sunt humaniter gratiæ, oblataque recusanda. si perstiterit qui porrigit, dicendum verecundè, nos amplius nihil requirere, aut eiusmodi cibum valetudini nostræ detrimentosum esse. Nec metuendum, ne recusandis aut epulis aut poculis rusticiores videamur. Nam propter huius rei metum in cruditates, dolores, inualetudines præcipitares, hoc demum esset rusticum, & omni ratione vacuum. E. Quintum. Sed quæso te, an nihil ipsi debemus attingere, quando cum honoratis accumbimus? omniāne ab aliis expectanda sunt? N. Immodò attingemus: alioqui in eos cadat illud vulgatum; *Brangen vwie ein Bavvrbraut*. Tamen in eo ipso videndum, ne quid rusticè aut

cum

cum edacitatis suspitione fiat. Denique alia in-  
super vel trecenta (quorum pleraque tamen  
muliebria, & nimis aulica) præscribi possent.  
E. Ita reor. Tibi gratias ago pro opera tua. N. Et  
tibi ego pro tua.

---

 ANNOTATIONES.
 

---

**S**I DIMIDIATVS PVLVS) *Dimidium li-  
brum, dimidiam fabulam, dimidium digitũ vitiosè  
dici, atque in his omnibus & similibus voce ( dimidia-  
tum ) esse adhibendam, qua significet aliquid in partes  
duas pares diuisum, quasi dismediatum; dimidium au-  
tem esse id, quod ex dimidiato alterum est, non ipsum  
dimidiatum, docet Gellius, quem lege lib. 3. cap. 14. IN  
CRVDIT. DOLOR. INVALETVD. PRÆ-  
CIPITARE) Hac verba, vertere, conuertere, mutare,  
reciprocare, mouere, precipitare, ingeminare, accinge-  
re absolute, seu patiendi notione à nobilissimis auctoribus,  
Cicerone, Sallustio, Casare, Tacito, Virgilio usurpata te-  
stimoniis quàm plurimis cõfirmat Aldus Manut. Pau-  
li F. scholiis in Sallust. Nox humida celo precipitat;  
pro, precipitatur. Ingeminãt Austri. Na ista vobis mã-  
suetudo & misericordia in miseriam vertet. Mores qui-  
dem populi Romani quantum mutauerint, vel hic dies  
argumento erit, &c. Docet etiam Gellius lib. 18. cap. 12.  
verba agendi pro patientibus, & rursus hac pro illis  
antiquos extulisse. TRECENTA PRÆSCRIBI  
POSSENT) Trecenta dicebant pro ingenti numero, seu  
pro admodum multis, seu innumerabilibus. Catull. Quos  
simul complexa tenet trecentos. Et ad Verannium.*

Veranni omnibus è meis amicis  
Antistes mihi millibus trecentis.

*Ad Marrucinum.*

Quare aut hendecasyllabos trecentos  
 Expecta, aut mihi linteum remitte.

*Plaut. Miline, facile est, trecenta possum causa colligi.*  
*Muret. in Catull.*

PROGYMNASMA  
 TRICESIMVM TERTIVM.

*Aceruus praeceptorum.**POMPILIUS, ASCANIVS.*

**P**OMPILIUS. Nihil potuit opportunius, te-  
 ipsum quærebam. Salve Ascani. Et tu salve  
 mi Pompili. P. Numquidnam oblitus es quan-  
 tum me nudiu stertius facetiarum & vrbauitatis  
 tuæ leporibus hilaraueris? A. Quibus tandem? P.  
 Cum doceres ludibundus, quid post accubitu  
 nos agere, & quàm modestè accumbere con-  
 ueniret. Ego verd ita tum discessi, vt alium in-  
 super, longioremque sermonem de ciuilitate  
 in mensa seruanda abs te stipulater. Quid nunc  
 animi tui super hac re sit, non mihi liquet. A.  
 Nullum sermonem promisi, nec restipulatus  
 sum. P. Atqui non negasti, & verum illud ver-  
 bum est vulgò quod dici solet; qui tacet, consen-  
 tite videtur. A. Tute leges quæ reliqui. P. Te au-  
 dire præopto, tam facundus & incundus es. Ta-  
 men nihil nisi tuo commodo, ac te volente fieri  
 cupio. A. Amicitia nostræ dandum est aliquid,  
 alius non impetraret. Faciudum est quod vis. P.  
 Amo te meritò. A. Vt ergo hinc exordiar. Si cœ-  
 na aut prandiū differtur, vel quia nondū adsunt  
 accu

accubituri, vel quia cocus necdum est paratus, legi qui studioso literarum suaderet, vt interim geographica pictura, aut lectiucula aliqua, aut testudine pullanda se oblectaret, atq; ita cogitationem suam à mensa auocans, cū vètre quasi quoddam leue ac breue bellum gereret. Tu obiurga cocum quàm acerrimè, & iterum iterumque interroga, quando tandem accubendū sit, totūmne diē expectare oporteat. Nomina occupationes, quibus te operam dare tanta tamq; diuturna mora non sinat. Ostende ventrem tuū impatienter flagitare debitum. P. Feceram ego hoc aliquando, & ob id nescio quis aculeus pūgebat pectus meum, quem tu nunc mihi sustulisti. A. Gaudeo si est vt prædicas. Quæ tu esurus aut bibiturus es, quæque alij, iis nasumprius admouendum duco, si cōmodè possis. P. At nauseam aliis ciebo. A. Licet hoc, in mensa præferim. P. At ego istuc ignorabam. A. Digitos si iure contaminaueris, vel lingito, vel ad tunicam nō ad mappulam, seu linteum extergito: quoniam id spurcissimè commaculares, & lapidum illud quantulūcumque perderos. P. Nēpe vt canes & feles cū comederunt, exerta lingua, sic ego mihi os & digitos lābere instituam. A. Tu haud stultè sapiēs, & res tibi sapiet. Bolos quamprimum degluti, ne multum dentibus mole. Sint autem bene magni, & librales, vt buccę vtrinque tumeāt; perinde vt si aut tuba caneres, aut flatu focū excitares. Neque semper panem ad carnis illa frustula adhibeto. P. Bellè cœpisti. Dimidiū facti. A. Ore pleno loqui aut bibere, labrisque patentibus comedere, spirare naribus, anhelare, di-



ductisque labiis porculorum mandentium sonos æmulari, *Ochmatzen*, lingua interiorius palatū ac dentes perpurigare, buccas & labra lambere; hæc, inquam, aspectu simul & auditu iucundissima sunt; nec est aliud ferè quidquam, meo iudicio, quod tanta hilaritate conuiuas perfundat, & quotquot mensæ accumbūt. P. Teneo memoria patrem meum nobis adhuc pueris, cum spiraremus, illum me porculorum sonum ederemus inter comedendum, sapius dare alapas: vsque ad eò urbanitatē hanc ferre non poterat. A. Laudo tuum patrē. Et noster parens ob similia peccata plagas nobis imponebat. Sine vlla intermissione oportet edere ac bibere, ac tantū quidem, quantum vel duobus vrsis sufficeret. Idcirco enim ad mensam conuenitur, apud quam verecundari neminem decet: quæ Plautina lex est: colloquia aliorum sunt. Quod si illum edendi exercitum non exeres: si dentes, inquam, ab opere vacant, interim scalpe ipsos, scabe caput, gesticulare manibus, lude cultello, & in quadra cæla aliquid. P. Obsidionem Troianam, aut gigantomachiam fortasse. A. Non, sed aut Asiam, aut Africam, aut Europam. P. ha ha. A. Man<sup>o</sup> nisi ad cubitum propemodum sint pollutæ, & mântile eximie ex abstersione oris atque digitorum conspurcatum, nondum est elegantiæ munus impletum. Quin eo ita mundo, vt dixi, aliquoties oportebit cum sudorem propter conatum atq; studium naturam cibo explendi per faciem manantem detergere, tum nasum emungere, dentes eodem fricare, seu id ipsum digitis facere. P. Quam sunt omnia, quæ profers, rationi, & summa

mæ cuidam prudentiæ consentanea? A. Sreatibus, tussibus, sputis proiiciendis indulge. Hæc ingenuum adolescentem arguunt, qui otiosus esse nunquam possit. P. Attamen quid interim ageret aliquis? A. Aliorum auscultandis sermonibus det operam, si ipsi nõ datur loquendi occasio; atque ita tædium fallat. P. Penitus ita faciendum, bene mones. A. Quod palato blanditur, abradito cum magna sollicitudine, & abs te semesa frustra carniū atq; fructuum alteri porrigito. Panem prærosū denuo in ius intingere quid vetat? P. Urbanitas. A. Itane obturbas? si fortè cochleari, cultro, patellæ saccharum, mel, aut aliud quidpiam dulce adhæserit, lambe & relambe. Ipsum salem non cultelli cuspidē, sed tribus digitis extremis de salino sume. P. ha ha ha, nempe vt rusticorum insignia gentilitia ibidem impressa relinquam. *Srey singer in cinem Galzbüchschl.* A. Si longi<sup>9</sup> abfuerit, tu noli quadram protendens salem petere, verum iube audacter ad te salinum admoueri. P. Hoc est eritque insulsum, si vel modium salis adhibueris. Verum agrestiora quædam restare suspicor quæ dicas. A. Quam etiam politicū & aulicū illud, cibum mansum è faucibus eximere, & in orbem reponere? P. phui, phui. A. Ne execreris, audi porrò. Si quid in os missum fuerit, quod traicere in ventrem non conducat (potest enim fieri, vt in pane latuerit carbo, aut pilus, aut simile quid) ne auerteris te, neue manum ori apposueris, sed coram omnibus cum simplicitate & libertate in tertiam eijce, vt resonet. P. Vide Ascani quò inducas. A. Etiam illa videmus quibusdam solennia

nia esse in conuiujs, vt cibum ambesum, aut of-  
 fa semel in quadra deposita iteratò sumant at-  
 que tractent, vsque dum apponatur discus, in  
 quem conicia ea mos est: nec ossa cultello, sed  
 dētibus purgant. P. Quales tu mihi rusticos nar-  
 ras? immò canes. A. Qui verò canibus aut pro-  
 prijs, aut alienis de mensa subinde largiuntur,  
 eosq; cōtrectant, illi sunt verè humanissimi. P.  
*La uol.* A. Socratis est, vt quidem Plutarch<sup>o</sup> te-  
 statur, appetendos eos cibos, qui non esurientes  
 denuo ad edendum, & potus, qui non sitientes  
 denuo ad bibendum inuitent. Atque etiam esu-  
 rientes suauibus frui potius quam necessarijs  
 oportere. Et postquam à communibus epulis  
 discessum est, nouas irritare appetētias. Et quā-  
 uis acceperit quis quod naturæ sufficiat, nihil-  
 omin<sup>o</sup> auidè secūdis mēsis & bellarijs quasi no-  
 ua cœna sese farcire. Et quoniā molestis animos  
 imaginibus pulsāt, occurrēdū est hac ratione.  
 Quod si quid aliud sumptuosum apponetur, co-  
 gita absurdum esse preciosis & delicatis escis cū  
 adsunt non frui, cum absunt eas frustra deside-  
 rare. Fruere. Et cum te ad splendidum conuiuū  
 inuitatum iri suspicare, triduo in ediam sitimq;  
 tolera, vt appetitum & famem magnam afferas,  
 & in ventre rebus melioribus quàm sit victus  
 tuus, locus relinquatur. P. Sed onusto nimis &  
 malè affecto corpore discedā, valeboque dete-  
 rius posttridie. A. Sed optimè valebis perēdie. P.  
 Singularis tuēdæ valetudinis ratio, de qua Plu-  
 tarchus & Celsus nihil quòd sciam. Procede. A.  
 De ouis comedēdis quid loquar? P. Septem, aut  
 nouem peccata cōmitti solere aiunt; vt facilius

actutius videatur ouem, quàm ouum comedere. Si ita est, nunquam ferè absque piaculo edètur oua, etiam quando per Ecclesiam Romanam edere ea sine crimine licet. hoc immensum quantum est admirabile. Vnum affer de tãto numero. A. Putamen oui nõ cultelli mucrone, sed vnguibus purgare. Postea albumen illud concretum non pane, sed pollice excipere, & in os indere. P. Hoc, vt ego sentio, præcipuum est in ouo comedendo flagitium. A. Idè ego crediderim. Hoc insuper non mediocri commendatione dignum statuo, adeo magna cum attentione in vescendo versari, & sic omnibus neruis, toto pectore, omnique cogitatione in patinam euacuandam incubere, vt quid alij agant, dicant, non sentias; nec satis scias, quid ipsemet agas, nisi quod manifestò experiris, tibi ventrem fartiore ponderosiorèmq; fieri. Et si quis te nominatim cõpellauerit, tum quasi è profundiore somno excitati videare. P. Tales magis bonarum epularũ gurgites, quàm bonarum literarum studiosi videntur; meliusque ac feliciter imitari Galloniũ, Apicium & Philoxenum, quàm M. Tullium, aut Virgilium. A. Quem imitantur, qui circumactis oculis obseruãt quid alij comedant? qui in aliũ nimium detentos & defixos retinent? qui capitibus quoque retortis nosse volunt, quid in alia mensa geratur? P. Magistrum Grobianum. A. Cuiatem opinare hunc hominem fuisse? P. Ciuẽ mundi, vt Socratem. A. Nimium lepidè fabulatus es. Nunc te quædam docebo, quæ sublatis mensis obserues. Animaduerte, vt illa æquè tecum scias. P. Ausculto. A. Præsentibus aliis, antequam

tequam surgas, os vino elue, & in terrā exspue, nihil ob id metuens mali. Dentiscalpium ori insertum retine, vt auicula paleam, quando nidū est cōstructura, aut veluti calamum studiosi, super auriculam repone. Si ex aliquo ferculo, aut vini genere magnam gula tua voluptatem percepit, in gestu & voce, & inter conuiuandum, & post indicabis. Iámne satis factum tibi? P. Propemodum. Si plus diceres, non ideo te vadimonio obstringerem, ac si vel diem totum consumeres, æqui boni facerem: aurum siquidem & argentum merum est, quod aduersum malè dolatos illos, vereque incultos dicis. A. Aliò properare me tempus monet Pompili. P. Nouite iuuenem industrium, & assiduis occupationibus districtum.

---

### ANNOTATIONES.

**A**BS TE STIPVLARER) *Stipulari significat postulare aliquid sibi promitti solennibus verbis. Restipulari dicitur is, qui cum eo certat, qui sponsione prouocauit. Stipulatio est illa verborum conceptio, quibus is qui interrogatur, daturum, facturumue se id quod interrogatur promittit. Et stipulari in iure is quoque dicitur, qui spondet ac promittit, vt sit verbum cōmune. Dicunt autem Iurecos, stipulari de aliquo, pro, ab aliquo. SI COENA AVT PRANDIUM DIFFERTVR) *Hac Plutarchus commentario de tuenda valetud. Vbi adduntur ista, lectu sanè dignissima. Nam si non veretur Scythia, cum inter potandū subinde contrahat arcum, neruūque soluto cantat, videlicet ab ebriitate reuocans animum; vir Græcus num me-**

tuet ne rideatur, cum literis ac libris improbam ac impotentem cupiditatem sensim remittit, ac relaxat? Nā & adolescentes illi apud Menandrum, quibus inter pocula, meretricibus inductis, leno tendit insidias, in sese quisque dimissis, ut inquit, oculis arrodēbāt bellaria, non ausi in eas oculos inflectere. Verū eruditionis studiosi, & honestas, & permultas incundas habent rationes, quibus auocent atque auertant animum, si nequeāt alia via, cibus apposis caninam ac ferinam stomachi appetentiam cohibere. OS ET DIGITOS LAMBERE.) Quod nos dicimus, cibi suauitatem comedētium uel auiditatem volentes exprimere, lecher les doigts à l'entour, Greci ὑπερβολικῶς, κατεσθίειν δακτύλους, Latini, prærodere digitos. Victor. lib. 3. cap. 24. DIMIDIUM FACTI) Hesiodi himistichium est ἀρχὴ ἡμισυ πάντος. Principiū dimidium totius. Summa difficultas est, seu maxima difficultatis pars in aggrediendo negotio, reliquus labor faciliior. Meminerunt huius Plato lib. de Repub. Aristoteles 1. de moribus. Horat. epist. 2. lib. 1. Ausonius verò perquam festiuè.

Incipe, dim idium facti est cœpisse: super sit  
Dimidium, rursus hoc incipe, & efficies.

ILLVM EDENDI EXERCITVM) Cum deploraret captum Hegionis filium parasitus in Captiuis, cui vltimum numquam tranquillauerat gratis, & cuius benignitate saepe ex illis edibus saturitate ebrius excierat; huic, inquit senex, illud dolet, quia nunc remissus est edendi exercitus. Quod quidem dupliciter exponit interpres. Epularum & dapum apparatus, quem ei supeditabat filius meus Philopolemus, eū defecit. Vel sic. Quia nunc non habet, cuius domi comedat, & quasi dētibus pugnet. Allegoria est à re militari. Meo quidem iudicio prior explanatio magis cum sequentibus consentit.

tit, ubi senex ait, ad hunc exercitum reparandum multis & multigeneribus opus esse militibus: pistoriensibus, paniceis, placentinis, turdetanis, sicedulensibus, & maritimis denique militibus. Posterior nō est aliena Plauti salibus & ingenio. TRIBVS DIGITIS EXTREMIS) Primus, extremus, seu summus digitus, est prima, extrema summa pars digiti. Catull.

Cui primum digitum date appetenti,

Et acres solet incitare morsus.

Eiusmodi sunt apud Terentii prima fabula, ultima plautea. Apud Plautum postrema comodia. Apud Ciceronem primoribus labris gustare, extremis digitis attingere.

GALLONIUM, APICIUM, ET PHILOXENVM) P. Gallonius homo nequam, & perditissimus ac profusissimus nepos, quem apud Tullium 2. de finibus ita carpsit Lucilius.

O Publi, d' gurges, Galloni, es homo miser inquit,  
Cœnasti in vita nunquam bene, cum omnia in ista  
Consumis squilla, atque acipensere cum decumano.

Meminit eiusdem Cicero in peroratione pro Quinctio his verbis. Non vsq; eo tamen, ut in capite fortunisq; hominum honestissimorum dominantur ij, qui relicta bonorum virorum disciplina, & questum, & sumptum Gallonij sequi maluerunt. De Apicio & Philoxeno multa Athenæus lib. 1. cap. 3. quod inscribitur, De claris Gallonibus. Sed quod de altero Philoxeno (duos enim facit) exponit, nō indignum relatu censuimus. Naturam accusabat, quod sibi ad perfruendam diuini descendentiū in ventrem ciborum suauitatem collum gruis non dedisset, & id quidē valde sibi optabat. Multo dignius, inquit Athenæus, fuisset optare, ut boue, vel camelo, vel elephante maiores essemus, quia sic voluptates cupiditatesq; multo maiores essent ac vehementiores, quoniam pro viribus fruitiones etiam ab his percipiuntur. Vide

nihilō

nihilominus *Ælianū lib. 10. cap. 9. CIVEM MVN-  
DI, VT SOCRATEM*) Longè tamen rectius Socra-  
tes, qui se non Atheniensem, nec Græcum, sed civem  
mūdanicū (ῥόμιον) esse dixit, ut si quis, puta vel Rho-  
dius vel Corinthius dici velit. Neque enim Sunio, vel  
Tenaro, aut Cerauniis seipsum inclusit. *Plutarch. de e-  
xilio. Cic. T. f. 3. At Grobianus noster ideo est ῥόμιος,*  
*quia nusquam gentiū desunt qui sub eo militent. V A-  
DIMONIO OBSTRINGEREM*) *Vadimonium*  
*est sponso ad certum diem se sistendi in iudicio per se, vel*  
*per aduocatos, dictū, quod vadere, hoc est, discedere ei li-  
ceat, qui vadimonium promiserit. Vadari aliquem, est*  
*vadimonio obstringere, seu diem iudicij ex cōpacto con-  
stituere, & in ius vocare. Cic. pro Quinctio dixit: res cœ-  
pit esse in vadimonium. pro, in vadimonio, de quo genere*  
*locutionis Gellius lib. 1. cap. 7. Iam quid sibi velint, va-  
dimonium facere, concipere, obire, deserere, sistere, dif-  
ferre, missum facere demonstrat Budæus in Pandect.*  
*Æ QUI BONI FACEREM*) ἐπιέχεια Cicero a-  
liās equitatem, aliās equum & bonum, & absque co-  
pula, equum bonū Latine vocat. Inde equi boni facere  
apud eundem ad *Att. lib. 7. epist. 7. Tranquillissimus au-  
tem animus meus, qui totum istuc equi boni facit. Li-  
uius lib. 34. Caterum si vos nec cura ciuitatis, nec exem-  
plum, nec periculum mouet, nos equi boni facimus. Id*  
*est, non indignamur, equo & pacato animo ferimus, &*  
*bene interpretamur. Equum bonum impetrare, est ius*  
*suum, rem suam recipere, aut obtinere. Cicer. Philipp. 2.*  
*Is igitur a quo viuo nec presens, nec absens quidquam*  
*equi boni impetrauit, apud mortuum factus est gratio-  
sus. Bud.*



PROGYMNASMA  
TRICESIMUMQUARTUM.

*Sermo apud mensam.*

TITIVS, IRENEVS.

**T**ITIVS. Præter alia penè innumera, etiam perpetuum nobis in conuiuio silentium imperatur; tam nos duriter habent. Æquum esse censent nos illico à pueris nasci senes: nec sinunt agere, quæ fert ætas. I. Parcius ista viris. T. Sic est, vera prædico. Quid enim aliud est, iubere vt adolescentiores, si cum senioribus ineant prandium aut cœnam, ne loquantur vnquam, nisi aut necessitas eos adegerit, aut interrogati inuitatiue ad loquendum fuerint? malo equidem cibum capere cum æqualibus meis, quos inter mihi licent omnia. I. Legi nuper in quadam epist. apud Senecam. Qui imperia libes excipit, partem acerbissimam seruitutis effugit, facere quod nolit. Ibidem. Non qui iussus aliquid facit miser est, sed qui inuitus. Negare porro non potes, quin honestum nobis sit pauca effari in loco & tẽpore. Et Chilonis est: linguam semper quidem, sed præcipuè in cõuiuio continendam. T. Non possum non confiteri. I. Rectè ergo hoc nobis præcipitur, quemadmodum illud: vt iocosè ac lepidè dictis arrideamus paululùm, obfcœnis nequaquam; nec idcirco frontem corrugemus, si is cui verbum castis auribus minus dignum excidit, est aliqua claritate nobilis, ne ipsum notare videlicet, tacitèque accusare videamur;

mur; quod cum ipsum per se displicet, tum à nostra maximè atate est alienissimum. Ita autem vultum componamus, quasi aut non audiuerimus, aut non intellexerimus. T. Sexcenties ego hoc conatus sum: multa enim in illis conuiujs dictu fœda audiui. I. Sapius igitur exercendæ virtutis materiam habuisti. Nonne id quoque prudenter, ne respondeamus, priusquam loqui cessauerit is, cui nobiscum sermo est? id quod tu parum caues aliquando. T. Cauebo in posterum, eróq; cautior. Nec minus id seruabo, tuo exemplo monitus, vt si percontantem, haud probè intellexerim, parumper sileam, dum ille quæ dixit repetat. Si responsum omnino cupiat, petam mihi ignosci, orabóque vt iterum dicat. Vbi id fecerit, tacebo rursus aliquandiu, & post, breui respondebo. Gerámne me isto modo honestè satis? I. Certè, neque istuc in conuiuio tantum, sed aliàs quoque, & semper fieri poterit ac debebit. Omnino, inquam, interuallum oportet inter quæstionem & responsum intercedere. Tum vt qui interrogat possit adiicere si quid velit: tum vt responsurus consideret quid respondeat. Solet etiam euenire nonnūquam, vt propter festinationem alia pro alijs respondeamus. T. Mihi quidem non semel. I. Quidã vituperant liberius quæ apponuntur; hoc epuli domino seu conuiuatori quàm gratū accidat, tu reputa. T. Ingratissimum. I. Alij de absentium fama ibi detrahunt, alienisq; laudibus obtreçant, quod accepi D. Augustinum ferre nequiuisse. T. Audisti tamen cœnæ patres ineptos, dū alij nimium apparatus tenuitatē excusarent, alij in maius extollerent,

commemorarentque quanto singula precio parauissent. I. Scio etiam & noui, qui, quod factum erat inconsideratius, id tacitum tenere non possent. T. Ab omnibus istis, similibusque abstinero. I. Hoc ingenuos, quales nos numerari volumus, vehementer commendat. T. Licetne disputare in conuiuio, aut in cœna? I. Licet, non de iis tamen quæ capitis dolorem & grauedinem possunt gignere. T. De quibus ergo? I. De his, quæ cum honesta & utilia sint, etiam iucunda sunt, carentque omni molestia. Ut poeticarum & historicarum quæstionum exercitatiunculæ, quas quidam eruditorum hominum secundas mensas vocauerunt.

---

 ANNOTATIONES.
 

---

**I**N ILLIS CON. DICTV FOEDA) Cato apud Ciceronem sese conuiuiorum delectationem non magis corporis voluptatibus, quam coetu amicorum & sermonibus metiri profitetur. Quos autem sermones alios illum intelligere existimamus, nisi honestos imprimis, deinde varios & incûdos, de quibus idem versibus aliquot intermissis, Conuiuiumque vicinorum quotidie compleo; quod ad multam noctem, quam maxime possumus vario sermone producimus. Sed quoniam sobrietati ac temperantia inimica est Venus, edendo ac bibendo curemus, ne quid nimis. Sic paruo negotio & ipsi linguam à lasciuis sermonibus abstinemus, & aliorum verba nec Alexandrinis permittenda deliciis, ut Quintilianus ait, in pectus nostrum penetrare haud sinemus. **I**NTER QVÆST. ET RESPONSVM) Hæc è Plutarchi fontibus, lib. de garrulit. Facit is tria responsonum genera; vnum, necessarium: alterum, humanum: tertium super

*superuacaneum, rem exemplis illustrat. HOC EPVLI DOMINO*) Qui Grecis ἐστίατορ, Latinis est conuiuator, qui conuiuium seu cœnam præbet. Cicero epuli dominum vocat. Nonius prolatiis testibus & dominum conuiuij, & citra adiectionem, dominum à præscis vocatum ostendit. Dominus, inquit, appellatur conuiuij exhibitor: unde & dominia conuiuia, &c. Dicebatur & cœna patres. Horat. sat. 8. lib. 2. In primis Lucanus aper leni fuit Austro Captus, ut aiebat cœnae pater. Catullus Aurelium quendam, qui parçè & sordide conuiuas accipiebat, patrem esuritionum falsè nominat; quasi eius cœnae potius esuritiones, quàm cœnae vocandæ sint. **DISPUTARE IN CONVIVIO**) Quod genus disputationes in conuiuia inducendæ sint, discimus ex Gellio lib. 18. cap. 2. Nonnulla etiam super hac re Plutarchus de tuend. valetud. Item Celsus lib. 1. cap. 5. & 6. Sanè quod quidam tum potissimum de religionibus, & fidei Christiana mysteriis contentiosissime & clamosissime disputant, cum cibo & potione completi distenti que sunt, rem stultam faciunt. Lege quæ scripsit de somnio Numenij philosophi Macrobius lib. 1. in somnium Scip. cap. 2. sub finem. **SECVNDAS MENSAS**) Cic. suas disputationes in Top. discendi epulas. Et in 2. de Diuinat. vertens locum Platonis è 7. de Repub. Ea parte animi, quæ mentis ac consilij est, agitata & erecta: saturata que bonarum cogitationum epulis. Sæpius autem hac metaphora idem philosophus, de eruditis sermonibus loquens uti voluit. lege Victor. lib. 2. cap. 14.

PROGYMNASMA  
TRICESIMVMQVINTVM.

*Appendix.*

*DIDASCALVS, PVER.*

**D**IDASICALVS. Cum cœnarem heri, cum patre patruoq; tuo, Christiane, structorem te acriter defixis oculis intuentem obseruabam, notantemq; curiosè, quomodo singula in portiones diuideret, & cui primò, cui postremò præberet de patina. Cur id amabo? P. Vt ipsa obseruatione perdiscerem hoc artificium, quo me artificio uti oportebit olim, cum virilem togam induero. D. Istanc causam non improbauerim. Cur de missibus raris & delicatis nihil attingebas? P. Meminerã te docuisse nos, magis venire gloriã, si his abstineas, quàm si fruarè. Et quemadmodum ille dixerit, nunquam se pœnituisse quod tacuisset, quod locutus esset, sãpe: ita fore ut nos quoque nunquam pœniteat quod genus cibi lautius recusauerimus, aut falerni loco aquã biberimus. D. Prudens responsio. Verùm, cum pro more gentis nostræ ad extremam mensam, nudato capite stans cibum vnã nobiscum caperes (quod tamen tum demum faciebas, cum te accedere iussimus) cur ante finem epularum discedebas? P. Quia quod natura desiderabat iam sumpteram, & tu me sic agendum esse docueras, præsertim si conuiuium produceretur. D. Tollebas igitur orbem tuum cum reliquiis, precatusq; à nobis veniam, & flexis poplitibus

nos

nos salutans, meque præcipue, ita abibas. Placuerunt mihi hæc, vidiq; te moratum esse egregiumque adolescentulum; ac statim patris fortunas laudavi, qui gnatum haberet tali ingenio præditum: & ille testimonio meo non mediocriter est gauisus. Monui præterea, vt neque te, neque cæteros fratrestuos minores immoderato cibo potuque compleri ac distendi permetteret, & semper citra satietatem potius, magisque crebro, quàm multo alimento vos refici iuberet. Quod si in conuiuio ad mensam vos adhibuisset, ne vsque ad finem ibi sedere inter conuiuas pateretur. Pueros impuberes, ait Gellius, compertum est, si plurimo nimioque cibo vterentur, hebetiores fieri; aduertimusque hinc elici tarditatem, corporaque eorum improcera fieri minusque adulescere. P. Currenti calcar addidisti: ille nos frugaliter alit. D. Vnum nihilominus peroptabam. P. Quid est id autem vnum? D. Vt rediisses postea, ac si quid opus fuisset, ministrasses: aut expectasses, si quis voluisset quippiam. P. Id ego reuera facturus eram: at mater quæ foris in culina ancillis imperabat, alia in rem occupauit vsque ad primam facem. D. Sat habeo, mater fuit, matri mos gerendus fuit. Cæterùm quantò venustius politiusque tu ministrasses nobis cœnātibus, quàm ille vester famulus? quem inter Faunos & Satyros, in montibus & speluncis apparet educatum. Non verebatur in conspectu omnium dum ad mensam astaret, nunc caput, nunc cubitum fricare, nunc vngues rodere. Aliquando manus in sinum immittebat, nonnunquam à tergo eas coniungebat, quas

ipsas in diligenter lauerat; Cum patinam ferret, aut cyathum alicui accumbentium porri-geret: & exspuebat, & alia similia quæ nunc non memini faciebat, quæ tu, si probe ingenuitatem tuam moresque cultissimos noui, ne magna quidem pœna proposita admitteres. P. Nescio tamen, vtrum omnes numeros in ista parte sim consecutus. D. Vicisti cogitationes meas tuis processibus.

### ANNOTATIONES.

**C**VM COENAREM CVM PATRE TVO) Qui sentiunt non esse Latinum, cœnare, prandere cum aliquo, ut inuitatum scilicet ab eo; sed isto sermone significari, alicuius prandentis aut cœnantis esse socium, cum aliquo accumbere, Latine autem dici, cœnare apud aliquem, qui hoc, inquam, sentiunt, falluntur. Nam & apud me cœnare potest, hoc est. domi meæ, qui tamen mecum non cœnet, quod docet Manut. in ep. 2. lib. 1. & mecum prandet seu cœnat etiam is, quem ego ad cœnam aut prandium rogauerim. Plaut. Amphit.

Tu gubernatorem è naui huc euoca verbis meis.

Blepharonem, vt re diuina facta mecum prandeat.

Apud Horat. epist. 7. lib. 1. cum L. Philippus per seruum Menam praconem ad cœnam vocasset, & ille se venturum negasset, postridie excusanti se ita ignoscit Philippus, si cœnet secum. Vt libet, inquit, Menas. Tum Philippus: post nonam venies, id est, tribus horis ante occasum solis. Versus aduicio.

sic ignouisse putato

Me tibi, si cœnas hodie mecum. Vt libet. Ergo

Post nonam venies.

HOC ARTIFICIUM, QVO ME ARTIFICIO) Repetio  
huius

huiusmodi est vſitatiffima Ciceroni. Epist. 24. lib. 9. *Vo-*  
*lo enim te ſcire, mi Patre, inſitiū mihi ſuſpicionis & cau-*  
*tionis fuiſſe literas tuas: quibus litteris cōgruentes fue-*  
*runt alia poſtea multorū. Ad Att. ep. 19. lib. 8. Literas*  
*abs te M. Canuleus ad me attulit ad XIII. Kal. Mar-*  
*tias. In quibus literis ſcribis. Ad Q. F. lib. 3. epist. 3.*  
*Diem ſcito eſſe nullum, quo die non dicam pro reo. Et in*  
*Verrinis. Nec inuſitata Caſari. de bello Gal. lib. 1. Erant*  
*itineria duo, quibus itineribus. Iterum. Ultra eum locū,*  
*quo in loco Germani conſederant. Et lib. 4. Iter in ea lo-*  
*ca facere cōpit, quibus in locis. Rurſus. Puluerem maio-*  
*rem quā conſuetudo ferret in ea parte videri, quā*  
*in partem legio iter feciſſet. Terent. prol. Heaut. Habet*  
*bonorum exemplum: quo exemplo ſibi licere id facere*  
*quod illi fecerunt, putat. VIRILEM TOGAM IN-*  
*D VERO ) Prætextam gerebant ingenui pueri ac*  
*puella; illi vſque ad annum 17. hō. vſque ad nuptias.*  
*Anno igitur decimoſexto iam finito in templo Iouis Ca-*  
*piſolini depoſita prætexta togam virilem ( qua & pu-*  
*ra, quod purpura prætexta non eſſet, & candida à colo-*  
*re dicebatur ) induebant, cum ſcilicet è pueris, & ephe-*  
*bis excederent, quod Graeci δὲ οὐ μὴ ἀσβῆναι εἰς ἀνδράσ. &*  
*εἰς ἀνδράσ ἐγγραφεῖναι, Iurecoſ. autem, in ſuam tutelam*  
*venire. A quibuſdam ſumpta eſt anno quarto & vice-*  
*ſimo, ab aliis decimo quinto. Lege Alex. ab Alex. lib. 5.*  
*cap. 18. Catullus loquens de eadem re, atatem illam flo-*  
*ridam ver appellauit.*

Tempore quo primum veſtis mihi tradita pura eſt,

Lucundum cum ætas florida ver ageret.

Toga liberior ab Ouidio dicitur, quod vitæ liberioris  
 inuium eſſet. eleg. 10. lib. 4. *Trist. ET SEMPER CI-*  
*TRA SATIETATEM) Hac cuius ætati præcepta*  
*ſunt. Platoni quidem bis in die ſaturum fieri nullo mo-*



do placuit, at medici nunquam prodesse valetudini affirmant, appetitum explere penitus. Cauendum monet Plutarchus, ne sicut mōli naucleri, posteaquam ob auiditatem multum oneris in nauim coniecerim, deinde perpetuo labore sentinam exhauriunt, aquamque marinam ciiciunt: ita nos quoque, simul atque corpus expleuerimus, onerauerimusque, tum rursum repurgemus, & clysteribus exoneremus: sed leue & expeditum seruare conueniet; quō si quando etiam continget premi, suberis in morem ob leuitatem sursum emicet. Libet his adiuere quæ sunt apud Senecam epist. 21. Venter precepta nō audit, poscit, appellat. Non est tamen molestus creditor, paruo dimittetur: si modo das illi quod debes, non quod potes. De pueris idem lib. 2. de Ira, cap. 20. Vinum Plato pueris negandum putat, & ignem vetat igne incitari. Nec cibis quidē implendi sunt. Distenduntur enim corpora, & animi cum corpore tumescunt. Labor illos citra lassitudinem exerceat: ut minuat, non ut consumatur calor, nimiusque ille feruor despumet. U S Q V B AD PRIMAM FACEM) Latini partem eam notatis, quæ est crepusculo vespertino proxima, sic appellarunt, non quod faces & lucerna tum accenderentur, sed quoniam Venus & vesperugo, fax coelestis, & stella post solis occasum prima tum lucere incipit. Quando verò extinctis luminibus omnes cubant somno deuincti, ac tenebre intensiores sunt, concubium dicitur. De qua voce disputat Victor. lib. 8. cap. 3.

PROGYMNASMA  
TRICESIMUMSEXTUM.

Quæstiones symposiacæ.

NE

NEMESIUS, MARCELLINVS.

**N**EMESIUS. Agitabamus cōuiuū hesterna luce apud Castorium ( quem iuris ciuilis interpretem disertissimum, & quēdam quasi iustitiæ sacerdotem, transacta hyeme copiosi hominis vnicam filiam duxisse vxorem non te fugit ) hominem suauissimū, & summi officij summaque humanitatis, ego, Euty chius, & Paternus. Ibi cum iam, secunda scilicet mensa apposta, largiores iucundioresque vini inuitatiunculae fierent, quas in I. & II. de legib<sup>o</sup>, philosophorum Homerus Plato laudauit, ciuilesque celsuit, ab Euty chio, vt est omnis antiquitatis literarūq; variarum scientissimus, narratum est nobis de more quodam adolescentum studiis deditorum, Tauri philosophi discipulorum ac familiarium, apud illas doctrinarum inuētrices Athenas. Hi, si quando à magistro vocati venissent, argutas quæstiunculas, tanquam symbolas siue collectas ad cœnam coniectabant. Accedebant proinde singuli meditati ac præparati. Quærebantur autem nec grauia nec spinosa: sed minuta & lepida, quæ florentem vino animum lacefferent. M. Quid ad istam narrationem vos? N. Percontabamur quorsum id in medium protulisset, & quidnam sibi vellet. M. Quid contra ille? N. Vt, inquit, similiter, cum iam floreāt & incaluerint animi nostri, aut mihi quæstiones ponatis, de quibus arbitrato meo disseram, aut à me positas dissoluatis. Tum Castorius. Bene Euty chi, quod disiungis. Etenim quærare, quàm respondere, nisi me fallit, longè est facilius, lōgēque tutius. Et Paternus. Dic mihi serid, tu ne quoque ad laceffen

cessendum, aut respondendū, tu ne velut Atheniēsis adolescens ad Tauri cœnam huc accessisti? maximè quidem. Hic Castorius. Nōne præfuisse nos, nōne ante nobiscum communicatū oportuit? vt ille ait in Andria: namque ita hilariter, & omni procul molestia inter scyphos de rebus haud illiteratis disputandi consuetudo, quamuis haud vituperāda, quin commendanda potius, nobis tamen hoc sæculo, & istis moribus parum est frequentata, nisi si quando leui brachio, cum præsertim aliqua prisca historiola cōmemoratur. M. Extra scholas, quomodo nunc quidem est, Musæ non audent efferre pedem, & interesse conuiuuii vt quondam: in quibus Venus magis, & Cupidines dominantur. Quanquā & in scholis algēt, & penè iā leti ianuam adierunt tōties cantatæ poëtarum carminibus bonæ Pierides. Quid deinde est consecutum? N. Quādo quidem ergo ita est, inquit Paternus, vísne queramus ex te quæstiones loco huic temporique accōmodatissimas? Vt libet, excipit Euty chius, dummodo ne nimium multa quærat, sed quædam in alias occasiones reseruetis. Non multa quæremus, inquam ego. Partiemur rem ita, vt singuli nostrum duas aut tres quæstiunculas adducamus. Cum placuisset omnibus cōditio, primum locum Castorio, qui nos vocauerat, deferrebamus honoris gratia, ille Paternum sibi obstinatè præferebat.

Tum Paternus. Interrogo Euty chium, quot ex rebus putet constare honestum absolutumque conuiuium. M. Equidem, Nemēsi, non minus ego hīc responsum exspecto, quàm vos tum  
exspe

exspectabatis; accenditurque mihi animus cognoscendi res præclarissimas à vobis illa in cœna, quam ego libens Iouis cerebro ( vt Persæ fuisse, amicissima *συζητήσασα* explicatas. N. quidem cœnas opiparas appellabant ) antepo-  
 Ex quatuor inquit. Si belli homunculi collecti sunt, si lectus locus, si tempus lectum, si apparatus non neglectus. Hoc loco in Castorium omnes ora conuertimus cum his verbis. Tu, hospes optime, tu videris an hæc præstita sint; nã quin omnia tui officij ac muneris fuerint, dubitare nõ potes. Arrisit ille, & mox: ego verò bellissimos homines adhibui ad cœnam, cum vos adhibui. Quod si non creditis, est mihi speculum magnũ, quantum illud Demosthenis, id afferri curabo, vt in eodem vosmet contemplemini. Non erro, vultibus istis vestris nihil vidistis, nihil videbitis amabilius; quos ipsæ finxisse Gratiæ videntur. Nec vultus tãtum, verũm cætera quoque in vobis bellissima insunt. Illi: itãne tibi persuasisti? Et Castorius: Ego verò mihi ita persuasi. Locum porrò hunc viridissimum, & dispositis in quincuncem arboribus, quis negauerit esse vellectissimum? In hortos Hesperidũ me intrare iudico, quoties huc ingredior. Quà de tempore, Maius est, mensis totius anni gratissimus, rex & princeps mensium, & ad perfruendas cuiuscumodi voluptates genus humanum mirè alliciens. Item festus dies à populo agitur.

Festo quid potius die,

Neptune faciam? prome reconditum

Lyde strenua Cæcubum,

Munitæque adhibe vim sapientiæ.

Nouistis lyram hanc. De apparatu hoc solum dixerim,

xerim, ideo me ἐκατόμβην non iugulasse, nec Sybaritarum cōstruxisse dapes, quod homines parabili victu contentos, ac non multi cibi, sed multi ioci accepturum intelligebā. Si quid nihilominus defuisse iudicatis, ad diē Solis adeste iterum, erit cur potius liberalitatem meam admiremini, quā de parsimonia conqueramini. M. Perurbanē causam egit suam: nihil istoc sermone festiuius. Quid vos ibi? an obmutistis? N. Epulas dilaudauimus, vinum extulimus, & nos tam nitidē suauiterque cœnatos aliquando pernegauimus. Cibi exquisitissimi, vina nobilia, in homine ipso frons serenissima, tantusque in iocando lepos, vt nihil supra. M. Aueo audire quæ fuerit altera quæstio.

N. Quoniam, inquit Paternus, promptè primum quæsitum expediuisti, ecce tibi secundum. Quem statuis iustum aptumque cōuiuiarum numerum? Si paucissimi, respondit Eutyechius, nō pauciores vt sint, quā tres, quot numerantur *χάριτες*: si plurimi, non plures tamen, quā nouem, quot Poëtæ venerantur Musas. Hæc M. Varronis sententia est, cui ille hęc causam subiicit. Multos esse non conuenit, quod turba est plerumque turbulenta. Atque hoc tum à Romanis, tum ab Atheniensibus obseruatum tradit Gellius. Dicitum pulchrè, & factum probè, exclamat Castorius. Ergo huic doctrinæ satisfeci, cum pauciores tribus non inuitaui. Vos meæ Charites, non ipso tantum numero ternario, sed moribus, sed ingeniis, sed omnibus gratiis. Quid mirum? subieci ego, Romano Callimacho ingeniū scimus nos eius ipsius testimonio quid  
face

facere potuerit, tu, pater Gratiarum, nostam *χαριτώνες* reddere non poteris? Ego (occurrit ille) sum homuncio vnus è multis; nec me tanto dignor honore. Quod autem ais de nouenario Eutychi, nō idcirco dū taxat Varronem scripsisse puto, ne turbæ fierent, si plures nouem essent inuitati, sed etiam, quia perfectio tribuitur significaturque per istum numerum: quod frequens eiusdem vsus apud Poëtas declarat. Fieri potest, inquit Eutychi; tamen vbi multitudo, ibi tumultum ac turbas existere claret. Cumq; plura dicturus esset, interrupt sermonem Paternus. Tu quidem ex sententia Varronis conuiuuarum numerum ad nouenarium ascendere posse docuisti. Atqui parcemia illa tibi quoque haud ignota prohibet. Septem conuiuium, nouē conuitium. En Eutychi, tu clamorem & tumultum fore dicis, si supra nouem accubuerint: atqui hoc dictum id futurum ait, etiam cum nouem conuiuæ fuerint. Commune istuc pronunciatum in Ephemeride probat Aufonius quoq;.

Quinque aduocauit, sex enim conuiuium  
Cum Rege iustum: si super, conuitium est.

Vides vt reiiciatur tuus nouenarius? Abhorret ab eodem Horatius. Nam Torquatum ad cœnā minimè lautam ac sumptuosam vocans, in extremo ipsummet loquentem, ac de tribus vmbribus secum adducendis pollicentem, facit, Bruto, Septimio, & Sabino: respondet Horatius.

locus est & pluribus vmbrib;

Sed nimis arcta premunt olidæ conuiuia capræ.

Timet, ne si sex, septem fuerint, grauis ille odor  
alarum (quem caprum, hircum alij, & Catullus

quo

quoque crudelem nasorum pestem nominat )  
 ipsis angustius sedentibus exoriatur, conuiu-  
 que suauitatem offendat. Iaces ergo Eutychi-  
 cum Varrone tuo, & habes palinodiam canere.  
 Quasi verò, inquit, tantum interuallum sit inter  
 septem ac nouem, vt non, qui minorem nume-  
 rum statuit, possit ex liberalitate ad paulò ma-  
 iorem progredi: & qui maiorem, in paulò mi-  
 nore acquiescere. Quod in hoc genere vltimum  
 videbatur, id Varro posuit. Nò pugnabo tecum  
 pluribus, ait Patern<sup>o</sup>. Tu Castori, quid moraris?  
 quin tuis quoque armis hunc generosum mili-  
 tem laceassis? Certè vt ipsi se defendisse, sic tibi  
 oppugnasse gloriosum erit. Ille contra: huc ho-  
 norem Nemesis cedam. Excepi ego. Tanquam  
 triarium quendam se reseruat Castorius. Si me  
 superatum viderit, ipse impetum ac totam ve-  
 lut belli molem sustinebit. Immò (Paternus ait)  
 Castorius sibi cauet post principia. Tentemus,  
 inquam, fortunam. Audaces fortuna iuuat.

Cernimus nonnunquam venire ad conuiu-  
 non vocatos, eosque non solùm parasitos, qui  
 solent esse inuocati in conuiuio, sed honoratos  
 etiam viros, rogatos scilicet ab iis, qui inuitati  
 sunt. Atque has vmbras dicimus, quæ corpora  
 sequuntur, quarum ex Horatio quoque antea  
 mentionem fecit Patern<sup>o</sup>. Scire peruelim, quid  
 tu de his sentias. Si hic noster Castorius me non  
 vocasset, tu autem ab eodem vocatus me inui-  
 tasses, vt tecum irem, vtrum decuisset obsequi,  
 & tecum ire, an non? M. Elegans quæstio, cuius  
 dissolutionem auidius concupisco, quàm ollam  
 amissam Euclio. N. Iam diu factum est, cum non  
 bibi,

bibi, inquit Euty chius: date bibere, & quantum volo date. Impleuit mero calicem vitreum puer ad cyathos, sitienti que porrexit: ille postquam impiger hausit, ita locutus est. Colluto iam gutture aridissimo, verba eadem promptius: vos interim bibite, si placuerit: vobis siquidem erit otium, mihi negotium. Ac magnum quidem, quantum mea attingit suspicio, subiecit Paternus. Et ille, quid non mortalia pectora possint, Auxilio confisa Dei? At enim antequam doceo, quid agendum sit istis umbris, quærendum videtur, an qui inuitatus est, ipse possit alium inuitare. In partem negantem his utar argumentis. Vocauerit hic Castorius octo, adducant singuli umbram vnam, aut quidam ex his nullam, alij contra duas etiam, iam erunt sexdecim conuiuæ. An forte quibusdam liceat adducere, aliis non liceat? sed non adducent, si ab aliis adductum iri sciant. Quis hoc ipsis inter eos discurrens nuntiabit? quomodo iam tot ventribus cœna vna sufficiet? quid quod nunquam certus erit conuiuator, quot sit conuiuas habiturus? Est verò longè alia ratio in conuiuio, atque in nauigio. Qui naues locant, vectoribus concedunt, ut & ipsi ingrediantur, & in easdem impedimenta sua sarcinæque coniiciant. At nos conuiuia nostra non ita alienæ voluntati potestati que; permittemus, ut ea quibusuis, seu notis, seu ignotis, seu aptis, seu ineptis impleri patiamur: quod tamen in nostris umbris contingere necesse est. Nam si tibi notus ac familiaris est, qui te sequitur, num ideo mihi est? si tibi aptus commodus que; videtur, num ideo mihi videri debet? Amici, amici & cognati ad



conuiuium vocandi sunt, non alij: Cur tu ergo eos inuitas qui in amicis non sunt? Ac demiror equidem politicum, beneq; moratum hominem à conuiua inuitatum, id est, reuera non inuitatum ire posse; quem plerunq; ignoret cōuiuator. Si nouerit, & aliquantus ei vsus cum eo intercesserit, nōne tum conuiuatori hæc umbra tacitè exprobrare inhumanitatem videbitur, qui se nō inuitauerit, ac proinde se, quamuis inuito domino, velle conuiuij participem fieri? Sectari alium, obseruare quando is ire velit, expectare dum lauerit, dum se compararit, cum cunctante cunctari, cum properate properare, & alias huius generis, nōne illiberalia, & gnathonisimum olentia putatis? M. Quam timeo vt disputationem pulcherrimā, multa oblitus, totam mihi recitare queas: & ignosce, quod incitatum orationis tuæ cursum impediui. N. Spero me rem ipsam retinuisse: si quædam verba mutauero, aut prætermisero, id susque deque ferendum faxo tu ipse pronunties. M. De verbis non equè laboro. Perge, admittunt aues tuæ. N. Inter pocula, quis nescit quantæ libertates, quàm multa ioca? quo se pacto tum geret, qui nō genuinus, neque vocatus, sed illegitimus ac spurius se ingessit, atq; in conuiuium irrepserit? Postremò hoc ipsum, umbram alius appellari turpe est. His de causis conuiua alium inuitare, secumq; adducere non debet. Quanquā quod ad Principes & peregrinos attinet inuitatos, cū his quotquot, & qualescunque venerint, accipiendi sunt. Contrariā & aientem partē (ex cuius rationibus facile ad obiecta responderi posse confirmabat) sic ostendebat.

Tria in motu cernuntur. Primum mouens, quod ipsum aliunde non mouetur, & extremum, quod motu cietur, ipsum ciendi vim nullam habet, & inter hæc duo, quod aliis motū affert, vicissimq; ab alio impellitur. Sic in re conuiuiali tres sunt: qui inuitat duntaxat, qui inuitatur tātūm, & qui inuitatur & inuitat. Quando ergo hæc res tam bellè motum imitatur: cur mouere & moueri, id est, inuitare & inuitari eidē nefas sit? Totum in eo est, vt se rectè gerat & qui hoc pacto tanquā umbra adducitur, & qui adducit. Huic leges istas præscribemus, quibus seruatis, conuiuatori non veniet ingratus. Ne multis stipatus accedat, seu, ne trahat secū multitudinem. Cur ita? quærat aliquis. Ne suorū turba alios, amicos scilicet conuiuatoris tanquam oppidum velle expugnare, & exturbare videatur. Altera est: ne quosuis de suis, sed cōuiuatoris præcipuè amicos, familiaresq; adducat. Si id minus poterit, de suismet amicis, quos cōuiuator à se vocatos optaret, humano humanos, erudito eruditos, & quos cupit in colloquium cum ipso venire, amicitiamq; cōiūgere. Hoc cœnæ patrē delectabit, illiusq; animū ad gratiā & beneuolentiā alliciet. Qui autē diuersis ingeniis ac moribus præditos adducūt, vt ad sobrium vinolentos, ad frugalē sumptuosos, ad iuuenem hilarem senes austeros, hi importuni sunt, & pro amico congressu insuauitatem apportant. Decet autem æquè iucūdam esse inuitatum inuitāti, quàm umbram ei, à quo ipsa est inuitata. Quod tum demum fiet, si non se tantum, sed etiā quos adduxit quis, affabiles & festiuos adduxerit. Quod ad umbras attinet, cau-

tione opus est. Vituperatur promptè ac temerè quemuis sic vocantem comitari. Primò considera à quo voceris, statimque recusa, si is adeo familiaris non fuerit. Itè si quis velut in satellitio, seu velut satellitè suum te ducat, aut putet se raro quodã te honore cumulare, beneq; de te mereri. Quod si amicus & familiaris vocet, non repugnabis: si tamen ad conuiuatore[m] probum & amicitia dignum hominem te ducat, atq; vel ipsum tibi, vel sibi per teipsum conciliet. Ad improbos non eundem: Absurdum est ad ignotum ire, nisi virtute excellat, & accessum tuũ candorẽque amicitia exordiũ sit facturum. Denique ad eos ducemus vmbas, quibus idem licere volumus, cum à nobis inuitantur. Ad diuites, potentes, principes viros non decet vmbas adire ad conuiuandum, ne ruditatis, & imprudentia ambitionisque colligatur opinio. His dictis, Eutychi optime, inquam, nunc tempus est, vt iterum guttur colluas, nimis diu siccus es; & falerni pateram ei anteposui. Tum ille, profectò non bibam ne sitiam, vt ille philosophus, sed quia sitiam. Ast ego fortassis nimium longus fui. M. Tu longus? Nõ potest mihi longa videri tam dulcis, & tã literata narratio. Prorsus opto interfuisse vestris epulis: meã vtique symbolã dedissem, aliquid ipse à doctissimo Eutychio quæsiuissem, & meam fortasse partem similiter bibissem. N. Ad summam lætitiã nihil defuit. Nam cum respiraret aliquantum, & interquiesceret Eutychi, mutuũ propinantes, flore Liberi nos complebamus. Ille siquidem loquendo, nos audiendo lassus non nihil eramus.

ANNO

## ANNOTATIONES.

**Q**VASI I V S T I T I Æ S A C E R D O T E M )  
*Themini deam putabant, quæ præciperet homini-  
 bus id petere, quod fas esset: eamq; id esse existimabant,  
 quod & fas est. auctor Festus. Iam ut sacerdotes sui sin-  
 gulis diis erant, qui se super futuris & agendis consulen-  
 tibus responsa dabant: sic veteres illi Iurecōsulti gratui-  
 ram & quaestuariam iuris prudentiam habentes, in pu-  
 blicum quotidie prodibant, & unicuique civium consu-  
 lendos se præbebant, & tanquam oracula iustitiæ The-  
 midisq; promebant: hoc est, responsa boni & æqui plena.  
 Unde Servius Sulpitius iuris antistes appellatus est, au-  
 ctore Quinctiliano lib. 11. cap. 1, ut sacrorum antistites  
 antistitiæque dicebantur: quomodo & Plinius lib. 7. cap.  
 30. Platonem sapientiæ antistitē vocat. Budæus. Cicero  
 quoque 1. de Orat. domum iureconsulti ait esse oraculum  
 totius civitatis. PHILOSOPHORVM H O M E -  
 R V S P L A T O ) Sic eum Panætius Stoicus appella-  
 bat: diuinum præterea, sapientissimū, sanctissimum. Ci-  
 cer. Tuscul. 1. Plato ille sublimis apex philosophorum &  
 columen. Arnobius lib. 1. Plato ille magnus piè sanctē-  
 que sapiens. Idem lib. 2. In commemoratione auctorum  
 Græcorum Quinctil. ab Homero, ut Aratus à Ioue in-  
 cipiendum putat. Vide cap. 1. lib. 10. ILLAS DO-  
 CTRINARVM INVENTRICES ) Cic. 1. de  
 Orat. præterea in Bruto. Nec enim decet, te ornatum  
 uberrimis artibus, quas cum domo haurire nō posses, ac-  
 cersuisti ex urbe ea, quæ domus est semperhabita doctri-  
 nae. Idem in 3. de Orat. domicilium semper studiorum  
 Athenis fuisse dicit. SYMBOLAS, SIVE COL-  
 LECTAS ) Ἀσυβάλλω, confero, simul trado, duci-  
 tur συβόλλη collatio, verbum è verbo, Latini collectam*

nominant. Est autem id quod ad cœnam aut prandium comparandum ab aliquo conferitur, siue pecuniarium quiddam, siue penuarium sit, cum plures conferunt. Terent. *And. symbolam dedit, cœnauit*: sic enim est legendum, non symbolum. II. de Orat. apparet esse pecuniam, qua à conuiuia exigitur. Ego vero, inquit ille, quoniam collectam à conuiuia Crasse exigis. Est etiam collecta, cœna qua Grecis *ἐγάρ*. Turneb. lib. 3. cap. 6. De istis porro questiunculis, & de isto more discipulorum Tauri philosophi Gellius lib. 18. cap. 2. LETI IANUAM ADIERUNT) Aliquoties apud Lucretium inuenias, limen leti, & ianuam leti, metaphora quadam, pro causa moris & interitus. Lib. 1. hac rebus erit pars ianua leti. lib. 3. haud igitur leti præclusa est ianua menti. Sic Virgil. 2. *Æneid.* patet isti ianua leto. Arnobius scriptor grauissimus, & Lucretianorum verborum perstudiosus, lib. 2. Omnis enim passio leti atque interitus ianua est. Eodem lib. *Anima ianuas leti adeunt.* QVANTVM ILLVD DEMOSTHENIS) Cum esset tota actione ineptus Demosthenes, quo melius sua vitia cerneret atque corrigeret, ingenti magnitudine speculum corpori suo par sibi comparauit, in quod intuens gestum agebat. De cuius diligentia, & quo pacto naturam emendauerit Libanius, Plutarchus, Suidas, Lucianus. DISPOSITIS IN QUINCUNCEM ARBORIBVS) Varro lib. 1. de re Rust. c. 7. De forma cultura hoc dico, que specie fiat venustiora, sequi ut maiore quoque fructu sint: ut qui habent arbuta, si sata sunt in quincuncem, propter ordines atque interualla modica. Cic. idem de Senect. ordines arborum in quincuncem directi. IN HORTOS HESPERIDVM) De hortis istis, de que malis aureis, de dracone peruigili à quo custodirentur, quo pacto Hercules ab Eurystheo missus ea abstulerit,

stulerit, copiosè Natalis Comes in Hercule. Mala Hesperidum donare is dicitur prouerbio, quæ splendida & magna donat. MENSIS ANNI GRATISSIMVS) Extremus veris; unūquodque enim quatuor anni temporū 3. menses complectitur. Sed unde Maio nomen inditum, dubitat Ouidius 5. Fast. A Maiestatene, an à maioribus, an à Maia. Vide etiã Liliū de annis & mensibus. EKATOMBHN IUGVLASSE) Vox propriè centum boues significat, frequens Homero, cū de sacrificio loquitur. Exponitur etiã pro victimis multis, ut sit numerus certus pro incerto. Plura de hecatombis, quas Græci & Romani olim vouere cōsueuerint cū pestilentia laborarent, Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 22.) SYBARITARVM CONSTRVXISSE DAPES) Sybarite homines fuerunt in omne genus deliciarū, luxus & libidinis intēperantissimè effusi. Inde quidquid esset molle, effœminatum, luxuriosum, ambitiose apparatus, dictum est Sybariticum. Lege qua affert Paræmiographus prouerbio, Sybaritica mensa. ROMANO CALLIMACHO) Ita quidem Propertius se ipse nominant eleg. 1. lib. 4.

Vt nostris tumefacta superbiat Vmbria libris,  
Vmbria Romani patria Callimachi.

Tres elegiographi poëta insignes ante alios fuerunt inter Græcos, Callimachus, Philetas, & Mimnermus, quorum nobis sunt Propertius, Tibullus, Ouidius. Primo præcipuè similem se euadere studuit Propertius, cuius etiam nomen sibi imponi apud posteritatem concupiuit. Hoc suum studium præ se fert aperitè satis initio lib. 3. cum inquit.

Callimachi manes, & Coi sacra Philetæ,  
In vestrum quæso me finite ire nemus.  
Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos  
Itala per Graios orgia ferre choros.

Eodem libro.

Inter Callimachi sat erit placuisse libellos,  
Et cecinisse modis Coe poeta tuis.

HOMUNCIO VNVS E MVLTIS) Homo nullo numero. Græci dicunt, εἰς ἐκ τῶν πολλῶν pro vili, plebeio, abiecto. & πολλοῦς. Isocrat. orat. ad Philippum. Διονύσι & πολλοῦς ὡς σὺ γὰρ ἄριστος. vn hommelet. Contrarium egregius, eximius, & insignis. Cicer. 1. Tuscul. Nec tamen quasi Pythius Apollo, certa vt sint & fixa que dixerō, sed vt homunculus vnus è multis, probabilis coniectura sequens. 2. de Finib. Tenuis, vnusque de multis. Et in Bruto. Sed de M. Calidio dicamus aliquid, qui non fuit orator vnus è multis, potius inter multos prope singularis fuit. Q VIA PERFECTIO TRIBVITVR) Cur sit perfectissimus hic numerus, explicat rationem Rhodiginus lib. 22. cap. 8. Eundem antiqui pro quavis multitudine ponebant. TANQVAM TRIARIVM QVENDAM) Triarii erant veterani milites, magna & experta virtutis, qui stabili genere pugna assueti, scuta & hastas tenentes humi fixas, genu dextro innixi, prely euentum, & imperatoris nutum expectabant ad inuadendum: qui modico etiam intervallo seiuñcti à principibus considebant. Plura Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 7. Prouerbiū. Res ad triarios rediit, pro summo discrimine, & in rebus prope iam desperatis. SIBI CAVET POST PRINCIPIA) In bello & acie tutissimus est locus post principia. Hinc Thraso Terentianus quia timidus: Tu hosce instrue: hic ego ero post principia: inde omnibus signū dabo. Quem irridens Gnatho. Istud, inquit, est sapere. Vt hosce instruxit, ipse sibi cauit loco: idem hoc Pyrrhus factitauit.

PRO

PROGYMNASMA  
TRICESIMVM SEPTIMVM.

*Pars secunda.*

*II D E M.*

**N**EMESIUS. Instauratis ad disputandum  
Nauscultandumque viribus, aliam quaestio-  
nem, nec insulsam quaesivi: vtri nimirum essent  
agenda gratia, conuiuatori, an conuiua. hoc au-  
tem modo argumentationes instituebam. Non  
conuenit agere gratias conuiuatore: esset enim  
ridiculum, praeter impensam, labores, molestias  
in conuiuio splendide magnificeque parando  
susceptas, cum tota familia occupata fuerit,  
dapiferi, pueri a poculis, ancillae, serui sursum  
ac deorsum cursitarint, pro rebus iam absumptis,  
quasi accepto beneficio gratiam voluntatem  
ostendere, & vocibus summissis uti. Merito sane  
aguntur gratiae iis, quorum beneficentia usi su-  
mus. At qui non conuiua, sed conuiuator est be-  
neficus. Id ipsum inuitati iudicant; sibi nimirum  
a conuiuatore beneficium dari. Tibi Entychi in-  
tegrum erit statuere quod voles, plura nolo. Il-  
le cum subticuisset paululum, ita deinde cepit.  
Res non adeo difficilem habet explicatum. Si  
quisquam vocauerit homines eximia probitate  
& sapientia conspicuos, ipse gratias iure conui-  
uis, & quidem verbis amplissimis aget. Nullum  
quippe peristroma, nullae vestes pretiosae, nec  
argentum, nec aurum tanto illius domui ac sibi  
ornamento sunt, quanto talium virorum praesentia,  
aspectus, colloquium, conuiuctus. Pul-



cherrima & ornatissima domus sit, in quam introierunt virtus, eruditio, sapientia, honestas, gloria. Hæc viua, decora, & vera, illa mortua, inania, & ficta sunt. Quis porro dubitet, quin honoratos, non autem honorantes gratias agere conueniat? Laudatur illud, Diogenis, an Democriti? (nam ad vtrumque refertur) qui se ad conuiuium reuersurum negauit, quoniam sibi pridie non fuissent actæ gratiæ. Ac si tum gratiæ aguntur, tum præmium persoluitur pictori, qui parietes coloribus, & locupletibus picturis ornauit, nonne multò maiores agat dominus spectatæ virtutis & sapientiæ cõuiuis, per quos non lapides & ligna, sed ipse insigniter illustratus, summòque honore condecoratus est? Ad duxerunt enim illi comites nobilissimas sine quibus nullum nomen, nulla speranda est amplitudo. Fingamus, si placet, oculis aspici temperantiam, modestiam, iustitiam, abstinentiam, fortitudinem, continentiam, grauitatem, prudentiam, doctrinam. Annon inuicem raptabunt mortales, qui potissimè hunc beatissimum diuinissimumque chorum apud se quam humanissimè lautissimeq; accipiat? Atqui animo videm⁹, quod oculis nequimus, cum viros excellentes inuitamus ad conuiuium. Quamobrem sicut illis sanctissimis virginibus gratias immortales ageremus, quod diuertere ad nos dignatæ fuissent: ita ipsarum cliëtibus, & amicis facere debemus, à quibus tantum est apud nos beneficiũ collocatum. Neque irrisione ludenda res est, post sumptus, post cocorum, domesticorumque omnium discursus, post absumptas epulas amplissimi

plissimas, nihilominus grates talibus vitis agere. Non enim vt se dapibus tuis farcirent, aut vt ipforum causa famuli sudarēt, verum ne frustra rogares, & ipsi humanitati suæ morem gererēt, domum tuam iniuerūt. Ipsi forsitan laudes suas & ornamenta præ modestia ac summissione nō agnoscentes, tibi ob expertam amicitiam, & beneuolentiam gratias vltro volent agere. At tu, nisi de statu mentis es deturbatus, nisi à temetipso penitus discessisti, ne permiseris, neue te ipsum irriseris. Quod contra, si epuli dominus cōiuius dignitate, amplitudine, opibus, virtute, sapiētia, auctoritate, gloria antecelluerit, ipsi debentur gratiæ, quia honore affecit, quos inuitauit, cum eos mensa sua dignatus est. Vt autem honorificum existimatur inuitanti, vocare claros viros: ita gloriosum videtur inuitatis, vocari ab illustribus. Inuitauerit me aut Princeps in Rep. aut Cōsul, aut Episcopus, aut Dynasta aliquis: insipienter egero, si, dum ille mihi gratias agat, exspectāro. Hoc loco ego. Potest, inquam, fieri, vt cōiuuator & conuiuæ æquales sint ijs rebus, quas supra recēsuistit. Ab vtro tū postulabitur gratiarum actio? Tum ille. Considerādum arbitror, quid dominus propositum habuerit. Si ideo vocauerit, vt opus honestissimum faceret, vt amorem beneuolentiamque declararet, vt cum vocatis quàm iucundissimè viueret, nihilque ad animos hilarandos prætermisit, conuiuarum munus est, sese gratos ostendere. Qui enim se mihi spontè, & prior amicum, meique percupidum demonstrat, mihi officijs anteuertit, huic sanè obstrictus sum, huic debeo. Sin verò

alicuius commodi aut gratiæ ineundæ ( mensa enim maximè, vt Cato aiebat, amicorum parens & procreatrix est ) aut gloriæ maioris aucupandæ caussa hoc egit, ipse grates aget. Circumspiciendæ igitur erunt caussæ apparandi cõuiuij, & conditiones personarum intuendæ, ex vtraque parte velut in trutina positæ, vt scire queamus, vtrius officium sit de gratiis cogitare. Si plus honoris aut utilitatis accessisse videatur conuiuatori quàm conuiuiis è cõuiuiio, ille: si istis, ipsi gratias iurè agent: certum quidpiam & immutabile cõstitui non potest. Si tamen eo animo quis ineat conuiuium, vt se quantum venter capit, nobili vino, beneque conditis dapibus cõpleat, ille, vt mea est opinio, cœnam soluere, magnasque insuper gratias agere debet, quantumcunque fuerit; quia scilicet pabulatus, ante diem octauum non esuriet. Huic quæstioni cum esset iam datus finis, conuersus ego ad Castorium, & simul Paternus subirascenti similis: *Quâdo, inquam, bone vir te quoque audiemus? quod in procliui est facito, interrogato, ne te rudem illiteratumque putemus; quod quidè putare quî tãdem possumus? Quippe qui paullò antè præclarum doctrinæ specimen edideris; & cum de superiore loco iurisprudenciam trecentos discipulos doces, maximum des quotidie. Tum Eutyechius. Immò disserat ipse, non interroget, iam enim Vacunæ, & Fessoniæ mihi vota facienda sunt: longius siquidem processit disputatio, quàm opinabar, cû inciperem. Vice mea functus sum officio, quid vultis amplius? Et quoniam pueros symphoniacos ad epulas adhibuerat Casto-*

*rius,*

rius, cum illi testudinibus ac fistulis canerent, rogabamus, vt doceret, hoc ipsum recte fieri, nā inter doctos aliquos fuisse dubitatum sciebamus. Ego, inquit, hoc solum negotij mihi datum credebam, vt cōuiuas meos pro copia cœnatos dimitterem. At vos scholæ nescio cuius explanationem à me contenditis, & ineptum me fieri cogitis: nam istæ partes vestræ fuerunt, vt factū meum defenderetis. Tamen ne diem mihi dicere, & inhumanitatem meam accusare possitis, quamuis nec abundē ingenio, nec vlla sit in me orationis facultas, volo vestra etiam causā ineptus fieri. Nempe ergo de musica super conuiuium & inter mensas me postulatis differere. Illi, sanè quidem. Nam opus est huc limatulo & politulo iudicio tuo, vt est apud Tullium.

Accumbentibus in conuiuiis bonis, eruditis ac sapientibus viris, locum concedi posse citharædis, tibicinibus, vno verbo symphonicis artificibus quidam negant, nitunturque auctoritate Socratis apud Platonē, qui in Protagora abiectos modo, imperitos, & circumforaneos homines id facere solitos dicit. Qui cum non possint festiuis & elegantibus colloquiis illud tempus traducere, animosque sermonibus in lætitiā conicere, hilaritatem & leporem ab histrionibus, à vocum neruorumque cantibus petunt. Euripides quoque non in conuiuiis, sed in luctu musicam vsurpandam censuit: quod conuiuia satis per se læta sint, in luctu autem querendum sit aliquid, quo dolor leniatur. His Plutarchum cultorem vitæ morumque rigidissimū, & Xenophontem Platonis condiscipulum, Socraticæ

craticæ amœnitatis alterum lumen oppono, qui aliter senserunt. Sed rationibus res confirmanda. Suauissimū epularum condimentum esse iudico sermones conuiuarum vrbanos, elegantes, disertos. Quare M. Terentius Varro apud Gellium, cum enumeraret ea quibus absolueretur conuiuium, hoc omittere non debuit. Neq; verò omisit, etsi in illis 4. non posuit; adiungit enim illico; nec loquaces autem conuiuas, nec mutos legere oportet. Sermones igitur id temporis habendos censet Varro, non super rebus anxiis, aut tortuosis, sed iucundos atque inuitabiles, & cū quadam illecebra, & voluptate utiles: ex quibus ingenium nostrum venustius fiat, & amœnius. Quod si etiam tam facundi eruditique conuiuæ cōtingerēt, quàm sunt illi apud Platonē, nullum fortassis aliud acroama requireretur: nihil etenim cum sapienti sermone cōparatum non vilescit, & omnia ei adsunt bona, quem penes est sapientia. Quia verò sapientes perfectè non sumus, aliquid, opinor, vocū neruorumque concentui sine reprehensione in cōuiuiis indulgere nobis permittetur. Scitum est illud Laconis cuiusdam, qui cum Athenis noui certarent tragædi, spectans apparatus chorum, studia docentium, & conatus, dixit: non sapere ciuitatem, quæ tātum studium in res ludicras impenderet. Ita prorsus, inquit Plutarchus, ludendo ludendum est: & neque magno sumptu, neque neglectione occasionum ad alias res vtilium redimenda animi relaxatio: sed in conuiuiis & per otium degustandæ hæc oblectationes, interimque despiciendum, si qua ex iis  
vti

utilitas percipi possit. Quapropter apud Homerum in epulis Phemius & Demodocus: apud Virgilium in cœna Didonis Iopas cithara canit. Obiiciat aliquis, hæc esse procorum, luxuriosi regis Alcinoi, & amantis Reginae conuiuia. Tamen illud mysterio non vacat, quod Homerus epulantibus Diis canere Apollinem & Musas finxit. Quod si poeta non stultus musicam nec à Deorum conuiujs abesse voluit, non iudicaret profectò indignam hominum prudentium & doctorum epulis. Nec ego adhuc intelligo, cur huiusmodi voluptas ab illis repudianda sit, dum moderatio quædam adsit, modi que nimiū leues, & ad turpitudinem sollicitantes planè relinquuntur. Socrates, quo nullus philosophorū grauior existimatus est atque sanctior, senex didicit fidibus; quare hic grauem symphoniam, hilarem tamen, in conuiuio cõtempisset? Certè Græci summam eruditionem sitam arbitrabantur in neruorum vocumque cantibus: apud quos in conuiujs lyra circumferebatur, ad quæ carmina cãtabantur de clarorum hominum virtutib<sup>9</sup>. Atq; hinc nomē istuc *ἐκνώμιον* factū est, *παρὰ τὸ ἐπὶ τοῖς κώμοις ἀδελφαὶ τὰς ἐπιπέδους ἀγαθῶν ἀνδρῶν*, quod inter epulas clarorū hominū virtutes canerentur. Horatius autem indicat, non tantum adhiberi posse symphoniam, sed illam quoque maximè concinnam esse oportere.

Ut gratas inter mensas symphonia discors

Offendit.

Postquam cõticuit Castorius; Iam nobis, inquit Paternus, en alterum cõuiuium præbuidisti, priorē magnificentius; quoniam pauisti largissimè

animos nostros doctrina liberalissima. Hac conditione licet nos cras & perendie, & in dies singulos, aut certè paucis diebus intermissis inuites. Nempe vt opera vestra res mihi ad restim redeat ( excipiebat Castorius. ) Num ego regio victu cultuque ætatem ago? si, vt ait Catullus, tecum attuleris bonam atque magnam cœnam, cum vino, & sale, & omnibus cachinnis, cœnabis bene mi Paterne, apud me. Nam meus quoque sacculus, vt illius, plenus est aranearu. Alioquin vnguentum tantum dabo, vt idem pollicetur Fabullo, quo vngaris more veteri, & cantes illud Martialis.

Qui non cœnat, & vngitur, Paterne,  
Hic verò mihi mortuus videtur.

Risimus ob facetias improuisas. Tum primis se tenebris intendentibus accurrerunt etiam pueri, monueruntque surgere iam hesperum, tempus esse domum eundi. Itaque surreximus. M. De hac cœna, vt de magnis Homeri cœnis, mihi quoque aliquot *τεμάχια* seu particulae sunt praebita, quas habeo in memoria, dum memor ipse mei. N. Particulae? partes bonae.

### ANNOTATIONES.

**S**INE QUIBUS NULLVM NOMEM) In generibus bonorum, de quibus dicēdi artifices, principem tenent locum bona animi, & in his morum virtus, quae sola bonum efficit habentem. Esse autem bonū, vt caetera desint vniuersa, per se laudatur. Pauper sit quispiam, cecus, indoctus, modo ex virtute vitam instituat, meretur laudem. At nemo prudens aut diuitem,  
aut

aut formosum, aut literis excultum, eundemq; probitatis expertem commendauerit. Tanta est enim & tam fœda improbitatis macula, vt etiam reliquum hominis nitorem obfuscet atque obscuret. Proinde Cic. 2. de Orat. Virtus est per se ipsa laudabilis, sine qua nihil laudari potest. Et Iuuen. nobilitas sola est atque vnica virtus.

QVOD CONTRA) Cauendum, ne cum hoc apud Ciceronem, Lucretium, aliosque melioris notæ scriptores reperiemus, aut inducendum illud, quod, aut, quin contra, legendū suspicemur. Ille in Latio. Peccasse enim se non angitur, obiurgari molestè ferūt. Quod contra oportebat, delicto dolere, obiurgatione gaudere. Et pro Quinctio. Restat vt cum nemo defenderit. Quod contra copiosissime defensum esse ostendi. Hic lib. 1. Quod cōtra sapius olim Relligio peperit scelerosa atque impia facta. Interdū quoque ex sanctorū Patrū monumentis, quorum aliqui simplex est, & nullis aspersa pigmentis oratio, quasdam veterum elegantiarum reliquias nostri solent eruere. Itaque D. Gregorius in natal. Seruatoris. Quid est quod nascituro Domino mūdus describitur? nisi quia ille apparebat in carne, qui electos suos adscribere int eternitate. Quod cōtra de reprobis dicitur: deleantur de libro viuētiæ, &c. VACVÆ, ET FESSONIÆ)

Ha, vt etiam Quies, vacantium, fessorum & quiescentium dea. Nulla enim propemodum res fuit, quantumcunque vilis & despicabilis, cui superstitionis vetustas non aliquod numen presiceret. Tam insana deorum creandorum libido illa sæcula occupauerat. Vide Arnob. lib. 4. initio. Adeonam & Abconam colebant, qui adeundi & abeundi facultatem quarebāt. Arculus arcis & capsis presidebat. Fabulinus pueris iā fari incipientibus. Quin & Pauori & Pallori templa vouit Tullus Hostilius. Linius lib. 1. Vide plura Syntag. 1. apud Li-



lium. Ex quo grauius & pie D. Leo cōcione in Petrum  
& Paulum. Hæc ciuitas (Roma) ignorans sua pro-  
uocationis auctore, cum penè omnibus dominaretur gen-  
tibus, omnium gentium seruebat erroribus: & magnam  
sibi videbatur assumpsisse religionē, quia nullam respue-  
rat falsitatē. ETIAM INEPTVS FIERI) Ineptū  
Crassus 2. de Orat. definit hūc in modū. Qui aut tem-  
pus quid postulet nō videt, aut plura loquitur, aut se ostē-  
tat, aut corū quibuscum est, vel dignitatis vel commodi  
rationem nō habet, aut denique in aliquo genere aut in-  
concinuus, aut multus est. Quod ibidem addit: Græcos  
huic vitio nomen nullum posuisse, existimat Budæus lib.  
1. de Ase meram esse calumniam: ipsum enim Cicero-  
nem, si voluisset, non vno, sed multis nominibus Græcis  
hoc Latinum reddere potuisse. Απειγόκαλ, inquit, est  
honesti experientiam non habens, honestatis, decoris ru-  
dis & ignarus, qui non videt quid deceat, vno verbo, in-  
eptus. Præterea dici potest ἀπέθαν, σκαίος, μά-  
ται. Lege totum locū. M. TERENTIUS VAR-  
RO) Hunc impensè admiratur, & breuissima quidem,  
sed illustrissima prædicatione exornat Firmianus lib. 1.  
cap. 6. Quo nemo vnquam doctior, ne apud Græcos qui-  
dem, neque apud Latinos vixit. Amplissime laudatur,  
qui sic laudatur. Gellius lib. 19. cap. 14. doctrinarum  
multiformium, variarumque artium, quibus Humanitas  
erudita est, culmen appellat. De statua adhuc viuēti in  
bibliotheca ipsi ab Asinio Pollione principe oratore &  
ciue posita Plinius lib. 7. cap. 30. Arnobius item lib. 5.  
Varro ille Romanus multiformibus eminentis disciplinis,  
& in vetustatis indagacione rimatior. Huius præter li-  
bros 3. de re Rustica, & aliquot de lingua Latina multos  
nihil superest, cum multa scripserit. PHEMIVS ET  
DEMODOCVS) Prior cantat reditum Achiuorum  
in pa

*in patriam eversa Troia, Odysf. 1. Posterior contentionem Ulyffis & Achillis, & equum Troianum. Iopas autem quid cantauerit, his versibus declarat Poëta.*

docuit quæ maximus Atlas.

Hic canit errantem lunam, solisq̄ue labores:

Vnde hominum genus & pecudes, vnde imber & ignes:

Arcturum pluuiasq̄ue hyadas; geminosq̄ue triones, &c.

*Afferit etiam rationem ex Aristoxeno Plutarcho lib. de Musica, quamobrē in conuiujs rectē inducatur cantus.*

AD TURPITVDINEM SOLLICITANTES)

*Quàm sit potēs Musice vis in animos & in corpora nostra, quomodo affectus misceat, dolores mitiget, morbos etiam aliquando pellat, vide Magium lib. 4. cap. 13. & Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 16. LYRA CIRCVMFEREBATUR) Quare Themistocles cum in epulis recusasset lyram, habitus est indoctior. Cic. 1. Tuscul. Aiebat enim nõ se quidem scire fidibus canere; scire tamen amplam & opulentam Rempub. efficere. Carmina illa, quæ ad lyram cantabantur, existimãt quidam dicta scholia, fuisseque breues & rotundos versiculos, quales illi apud Platonem. ὕγιαίνεω μὲν ἄριστόν ἐστι. τὸ δὲ δεύτερον, καλὸν γενέσθαι. τρίτον δὲ πλεῖστῶν ἀδόλωσ. Quos ex tempore Anacreonticis vertebamus.*

Bona prima sunt valere.

Tenant secunda pulchri.

Sine fraude res adepta

In tertiis locanda est.

*Persimile scholion Simonidis adducit Clemens Alexand. Stromatum lib. 3. in quo tribus istis quartum additur, συνηῶν μετὰ τῶν φίλων. Rationē nominis τῶν σχολίων, obliquorum carminum explicat Plutar. Sympos. quæst. 1. PAUCIS DIEBUS INTERMISSIS) Sic Caesar lib. 6. de bello Gall. pro, interiectis, interpositis, intercedentibus. Delectatur hoc participio cum ista*

notione mirū quantum. lib. 1. de bello Gall. Triduo intermisso, nocte intermissa. lib. 4. breui tempore intermisso. lib. 5. vento intermisso, intermisso perexiguo loci spatio. lib. 7. mediocribus intermissis spatiis. lib. 1. de bello ciuil. Ab infimis radicibus montis, intermissis circiter passibus C D. castra facere cōstituit. Idē sic loqui solet, quamuis alio sensu. Quā flumen intermittit. Castris ad eam partem oppidi positis, Caesar, quæ intermissa à flumine & palude, aditum, ut supra diximus, angustum habebat.

QVO VNGARIS MORE VETERI) Græci & Latini antiquitus cum se liberalius vellent inuitare, floribus coronati, & unguentis delibuti cœnitabant: id quæ tum voluptatis causa, tum quod crederent odoramentis ebrietatem impediri. Vide Horat. Ode 3. & 11. lib. 2. & Ode 29. lib. 3. & Catull. epig. 13. De coronis Lucretius quoque in 3. his verbis.

Hoc etiam faciunt vbi discubere, tenentque  
Pocula sæpe homines, & inumbrant ora coronis.

Querit etiam Plutarchus Sympos. lib. 3. quest. 1. an. florens coronis inter pocula vni deceat. Conuiuatorem igitur, qui unguentum duntaxat præberet, istis carminibus irridet Martialis.

Vnguentum fateor bonum dedisti  
Conuiuus here, sed nihil scidisti.  
Res salsa est bene olere & esurire.  
Qui non cœnat, & ungitur, Fabulle,  
Hic verò mihi mortuus videtur.

ALIQVOT τεμάχια) Æschylus fuit laudator & imitator Homeri quantum potest esse maximus. Hunc ferunt dicere solitum: Tragedias suas exiguas partes, seu particulas quasdam esse (τεμάχια) de amplis & magnis cœnis Homeri. Illum quippe vatem à Platone in 10. de Repub. Tragicorum principem, magistrum ac ducem vocatum eruditos non fallit.

## T E M P V S.

P R O G Y M N A S M A  
T R I C E S I M V M O C T A V V M.*Parsimonia temporis.*I V N I O R, S E N I O R *philologi.*

I V N I O R. Haud vulgaribus est nobilitata præconiis parsimonia, meritoq; ac iurè exclamavit in Paradoxis M. Tullius. O dii immortales! non intelligunt homines, quàm magnum vectigal sit parsimonia. Nunc mihi sedit animo hoc tibi in percunctando ponere, qua demum in re sumptum paruum atque moderatum sentias esse, imprimis vehementerque prædicabilem; seu, quam parsimoniam statuas vtilissimam. S. Si pecuniam fructuosissimum ac præcipuum quiddam arbitrarer, pecuniarum præparcos sumptus ore pleno commendarem. Quibus cum vulgus inhiat avidissimè, easq; faciendi ac redigendi vias omnes nouerit, rectè non aliam parsimoniã tantè æstimat. I. Quid tu auro (quod Dirceus ille cygnus inter diuitias velut in tenebris nocturnis lucidissimam flammam coruscare cecinit) præstabilius, quid omnino quæstuosius esse credis? S. Sæpe solent auro multa subesse mala. Virtutem quæstuosiolem credo. Prudenterque Horatius: Vilius argentum est auro, virtutibus aurum. I. At in virtutem parsimonia non cadit: quandoquidem in eius vsura non parci ac tenaces, sed è contrario largi ac liberales esse debe-

mus: enitiq; , vt studiosis actionibus crebro multumque fulcipiendis, in ea vehementer excellamus. Aliud itaq; parsimonix genus quarendum est, quod sit anteponendum omnibus. S. Crates ille Thebanus dixit, se, si fieri posset, altissimo urbis loco conscenso proclamaturum. Quod tenditis homines, qui rei faciundæ omne impenditis studiũ, filiis, quibus opes vestras relinquetis, curam perparuã? Sic ego è turri altissima libens coacto in concionem humano genere, si id fieri posset, proclamarem: tēporis temporis parsimoniam amplectimini, & custodite mortales. I. Quamobrem? S. Quoniam quod Theophrasto in ore semper fuit, *πολυτελὲς ἀνάλωμα ὁ χρόνος*. Tempus est sumptus quamuis pretiosus. Et cum omnia aliena sint, tempus tantum nostrum est. In huius rei vnus fugacis ac lubricæ possessionem natura nos misit, ex qua mox, quicumq; vult expellitur, inquit sapiētissimus Seneca. I. Quid hinc est expelli? aut quĩnam isti, qui ex hac possessione expelli volunt? S. Qui aut inertissimo ac desidiosissimo otio, aut negotiis quæ ab otio nihil differre autumabat Socrates, vt ludendo aleam, potando, dormiendo, intempestiuè cōfabulando, inanissima spectacula obeundo, & similibus horas, dies, mēses, annos sibi effluere nullo profus emolumento suo patiuntur, quos quidem haud aliquando sint recuperaturi: cū interim ab vltima rerum linea, à morte quotidie propius absint. Quam scitè Virgilius? stat sua cuiq; dies, breue & irreparabile tempus Omnibus est vitæ. I. Existimat hæc prodigorum natio sat tēporis sibi superesse. S. Atqui Zeno diuersum existimabat, cuius

cuius memoranda vox est: nihil magis deesse homini quàm tempus. Breuitatē vitæ nostræ quam degimus in terris considerabat. Quam non considerat, qui tempore se abundare putat. Cito pede labitur ætas, Nec bona tam sequitur, quàm bona prima fuit. Incertum nimirum ac fragile est hoc munus naturæ, vt scribit in septimo Plinius, quidquid datur nobis: malignum verò & breue etiam in iis quibus largissimè contingit, vniuersum vtique æui tēpus intuentibus. Quid quod æstimatione nocturnæ quietis, dimidio quisque spatio vitæ suæ viuuit? pars æqua morti similis exigitur, aut pœnæ, nisi contingit quies. Nec reputantur infantia anni qui sensu earent, non senectæ in pœnam viuacis. I. Quoniam ergo eadem optima, eadem breuissima res tempus est, postulas tu nos eam bene ponere: in factis scilicet honestis atque vtilibus, non in cessationibus otiosis, aut alienis ab homine libero functionibus, permittisq; in alia re quauis in nummis, in vestibis, in ædificiis, in penu, non in hac pfusos ac luxuriosos esse. S. Permitto. Vis causã accipere? I. Volo. S. Aliæ res, è quibus emolumenta capiuntur, rursus acquiri possunt vbi amissæ sunt: hæc sola nunquam. Tempus si semel præterierit, non reuertitur, est irreuocabile. Et tamen sine fructu abiisse sibi tēpus, contritos in negligentia & socordia dies nemo dolet, nemo ob id vllius errati sese insimulat. Dolet autem, lamentatur, séque castigandum statuit qui libet, si leuidensam, si catellum, si obolum, si rem deniq; cuius causã ne digitus quidem porrigendus sit, perdiderit, cum hæc non magno vel labore,

vel sumpture recuperari videamus. Qui verò senectutis macie, atque canitie posita florentes sibi annos reddiderit (quod Medeam Æsoni herbarum suarum succis infusis præstitisse in fabulis est) quis vnquam aut fuit, aut futurus est? I. Quin parsimonia temporis in omnibus, & in omni vita vtendum sit, nihil ambigo. Rursus tamen interrogabo, in quo potissimum? S. In disciplinarum studiis. I. Quid causæ? S. Sapientiæ pelagus immensum atque infinitum est, quod viri ingenio, diligentia & solertia admirabiles, etiam qui supra ceterisimum annum ætatem produxerunt permetiri & enauigare nequiverunt: nedum vt illi enauigent, qui ad dimidium huius tam longæ sæ senectutis non sunt ducturi spiritum: præsertim si vitæ dimidium languore, & desidia transmittere postulauerint. I. Totum tibi assentior. Propone mihi exemplum literati alicuius, quem scias parcum fuisse temporis. S. Proponam tibi Plinium maiorem polyhistorum. I. Illum librorum helluonem, in quo scilicet fuit inexhausta legendi aviditas? S. Illum nempe ipsum. I. Narra obsecro. S. Amicus quidam cum eo in cœna accubuerat. Is cum lectorem (nam lectione etiam tum pascere consueuerat animum, vt cibo corpus) quæpiam pronuntiatâ perperam, iterare iussisset. Intellexerâsne? inquit Plinius. Cû ille annuisset. Cur igitur reuocabas? decem amplius versus hac tua interpellatione perdidimus. I. O famẽ audiendi, quàm comedẽdi multo acriorem, omnino ὄ; βελιμίαν. O auaritiã tẽporis, non parsimoniã. Ille summus vir vel momentũ nolebat amittere, & nos

hebdoma

hebdomadas non desistimus prodigere : stertimus noctes & dies, & nulli ob id mœstitiæ nos tradimus. S. Increpuit idem aliquando suum è sorore nepotem Pliniũ, quod ambularet. Poteras, inquit, has horas non perdere. Sed auctor tibi sum, vt totam epistolam quintam libri 3. perlegas, quæ & quid, quàmque multum librorum scripserit, & quanta in studiis assiduitate, & in tempore quanta parsimonia fuerit auunculus, subtiliter explanat. I. Dum robustis mihi viribus adolescit ætas, in hoc sumptu tam pretioso quã moderatissimè faciẽdo me exercebo: fugiã otium sine fruge, & improbas actiones ipso leto peius timebo, ad honestatem me equis, viris semper applicabo; ne, vbi tarda senectus per corpus serpere, & vitæ claustra resoluerè iam cœperit, tum mihi occinatur: sera in fundo parsimonia.

## ANNOTATIONES.

**P**ARSIMONIA TEMPORIS) Quàm parci temporis fuerint Lacedæmonij, exponit *Ælian.* lib. 2. cap. 5. Quod dat consilium *Lucilio Seneca* epist. 1. id nobis quoque datum arbitremur. Cum quadam tempora eripiantur nobis, quadam subducantur, quædam effluant, vt ea colligamus ac seruemus. Turpissima tamen est iactura, inquit, quæ per negligentiam fit: & si volueris attendere, magna vitæ pars elabitur malè agētib; maxima nihil agētib; tota aliud agētib;. Hætenus ille. Inter breues porrò sententias, easdẽque sapientissimas, & vt quadã annotat. docuimus, ad *Apolinẽ* auctorem relatas, etiã hæc fuit. Tempori parce, ἡρόν φείδῃ. De qua legendus *Victor.* lib. 11. cap. 19.



Mentio fit apud Cic. 3. de finib. & alios. CVM VVLGVS AVIDISS. INHIET) Quandoquidem vita, quae per vocem, anima, saepe significatur: nihil est homini neque charius, neque dulcius. Hesiodus immodicam pecunia coaceruanda studium, & amorem numeri nimis ardentem miseris mortalibus animam esse scripsit. Versus hic est. χρέματα γὰρ ψυχὴ πῆλεται δειλοῖσι βροτοῖσι. Eoædem spectant illi è comædia quæpiam veteri.

Τ' ἀργύριον ἔστιν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς.

Ὅστις δὲ μὴ ἔχει τὸ μὴδὲ κτίσαστο,

οὐτ' ἔμετὰ ζώντων, τεθνηκὼς περιπατεῖ.

Argentum & anima, & sanguis est mortalibus;

Hoc qui caret, nec sibi parauit sedulo,

Viuos hic inter mortuos circumambulat.

Notauit hanc sacram famam Flaccus quoque Sat. 1. lib. 1.

At bona pars hominum decepta cupidine falso,

Nil satis est, inquit, quia tanti quantum habeas sis.

Ubi propter rudiores quosdam illud monuerim, quod ante me etiam Muretus, cupido pro cupiditate huic scriptori semper masculino genere efferrî. DIRCÆVS ILLE CYGNVS) Huius auis cognomine honorantur Poeta, & ei sese libenter comparant propter similem videlicet in cantu suauitatem. Virgil. eclog. 9.

Vare tuum nomen, superet modò Mantua nobis,

Cantantes sublimè ferent ad sydera Cygni.

Dirce fons est agri Thebani, Pindarus Thebis natus, quem venuste Horat. Ode 2. lib. 4. quæ tota in eo ornando consumitur, Dirceum cygnum vocauit. Versus autem illi eius Poema inchoant. ἀγρῶν μὲρ ὕδατος, & quæ sequuntur. VT LV DENDO ALEAM) Libro de breuit. vita cap. 12. & 13. complures eiusmodi occupationes inanissimas enumerat Seneca, aitq; non videri otiosos interim, quorum voluptates multum habeant negotij.

*Qui verò literarum inutilium studiis detinentur, de illis nemo dubitabit, quin operose nihil agant: ut qui quaerunt quem numerum remigum Ulysses habuerit; prior scripta sit Ilias an Odysea, & an sit eiusdem auctoris, aliaque huius nota: quæ siue contineas nihil, tacitam conscientiam inuuant; siue proferas, non doctior videberis, sed molestior. Huiuscemodi quaestionum nullam ad rem utilium exempla recenset etiam Gellius lib. 14. cap. 6. Mox autem Seneca noster cap. 14. & 15. oratione grauitatis & sapientie plenissima demonstrat, qui utiliter in studiis doctrina occupetur. AB VLTIMA RERVM LINEA) Horat. epist. 16. lib. 1. Mors ultima linea rerum est. Dueta est metaphora vel à figuris geometricis, quæ lineis terminantur, vel à pictura: nam & Apelles dicebat: Nulla dies sine linea. Aliter hoc ipsum Nannius lib. Miscell. 1. Cic. ad Torannium. Cum omnium rerum mors sit extremum. Ouid. à cursoribus nomen mutuatus, metam, inquit, properamus ad vnã. QVOTIDIE PROPVS ABSIT) Quem mihi dabis, qui aliquod pretium temporis ponat? qui diem aestimet? qui intelligat se quotidie mori? In hoc enim fallimur, quod mortem prospicimus. Magna pars eius iam præterit. Quidquid ætatis retro est, mors tenet. Seneca. BREUITATEM VITÆ NOSTRÆ) Lucret. lib. 2.*

O miseras hominum mentes, ô pectora cæca.

Qualibus in tenebris vitæ, quantisque periculis

Degitur hoc æui quodcunque est?

*Sed is, quem paulo antè produxi: Non, inquit, exiguum temporis habemus, sed multum perdimus. Satis longa vita, & in maximarum rerum cõsummationem largè data est, si tota bene collocaretur. Sed ubi per luxum & negligentiam defluit, ubi nulli bonæ rei impeditur, vltima demum necessitate cogente, quã ire nõ intelleximus, transisse*

trāsisse sentimus. Sicut ample & regia opes, ubi ad malum dominum peruenerunt, momento dissipantur: at quamuis modice, si bono custodi tradita sunt, usu crescent. Ita etas nostra bene disponenti multum patet. Vita, si scias uti, longa est. Displicet Sallustio quoque hominum de breuitate vite querimonia. Sic enim bellū Iugurthinum exorditur. Falsò queritur de natura sua genus humanum, quod imbecilla, atque eui breuis, & quæ sequuntur. Theophrastus tamen nobilis philosophus, & Aristotelis successor questus est. Moriens enim naturā accusauit, quod ceruis & cornicibus diurnam, quorū id nihil interesset: hominibus, quorum id maximè interfuisset, tam exiguam vitam dedisset: quorum si etas potuisset esse longinquior, futurum fuisse, ut, omnibus perfectis artibus, omni doctrina hominum vita erudiretur. Querebatur igitur se tum, cum illa videre cœpisset, extinguere. Cic. Tuscul. 3. Obiit autem octogenarius. De spaciis humane vite longissimis permulta virorum ac mulierum exempla, si placet, lege apud Plinium lib. 7. cap. 50. EST IRREVOCABILE) Virgil. 3. Georg.

Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus.

Et libr. 10. *Æneid.* pereleganter & grauitur, quem locum etiam in dialogo tetigimus.

Stat sua cuique dies, breue & irreparabile tempus

Omnibus est vita: sed famam extendere factis

Hoc virtutis opus.

Simili planè modo Sallustius proœmio Coniurat. Quò mihi rectius esse videtur, ingenij quàm viriū opibus gloriam querere: &, quoniam vita ipsa qua fruimur, breuis est, memoriam nostri quàm maxime longam efficere. Seneca epist. 1. Nemo se iudicat quidquam debere, qui tēpus accepit, cum interim hoc unum est, quod ne gratis quidem potest reddere. QVOD MEDEAM ÆSONI) Fabula narratur, 7. Metamorph. SAPIENTIÆ

PELAGVS IMMENSVM) Istuc nō solum vniuersim, sed speciatim quoque, id est, in singulis scientiarum generibus quā verissimū reperitur. A fine ac termino cuiusque alius alio hoc propius abest, quo doctior est: longē tamen absunt etiam doctissimi, & longissimē omnium indocti, parum inquam eruditi: metas adhuc nemo flexit. Ac necessarium est, cum diuina litera testentur, librorum scribendorum nullum esse finem, nec rerū proinde inueniendarum sciendarūque finem vllum posse constitui. Nihilominus aliquem perfectissimum Theologum, Philosophum, Mathematicum, Oratorem, Poētam nuncupamus, quod eo perfectiorem non videmus. Confirmat prætere rem illud, quod ut quisque eruditissimus & sapientissimus est, ita clarissime quadam sibi, vel multa potius adhuc deesse ad sciētiam animaduertit, perspicuēque intelligit, quā altis sepulti tenebris volutentur, qui se omni ex parte immensa veritatis luce circumfusos confidentissime opinantur. PLINIUM MAIOREM) Quos & quot libros fecerit, Plinius iunior ep. 5. lib. 3. Ibidem. Quis ex istis, qui tota vita literis assideat, collatus illi, non quasi somno & inertia deditus erubescat? Alius de eodem. Omnia ille vir legit, vidit, sciuit: & in vnum volumen Græcum & Latinū contulit. OMNINOQUE BOYΔIMIAN) Βῆλιμος seu Βῆλιμια est ingens atque intolerabilis famos, siue insaturabilis edendi cupiditas. Quidam vocauerunt caninam appetentiam, de qua disserit Magius lib. 2. cap. 1. & Rhodigin. lib. 25. cap. 9. & 26. cap. 1. Vide insuper Plutarch. Symp. lib. 6. problem. 8. SERA IN FVNDQ PARSIMONIA) Hesiodium est, δὲ λὴν δ' ἐπὶ τῶν βῆμι φειδῶ. Citat Seneca epist. 1. addens: non enim minimum tantum in imo, sed pessimum remanet. Quapropter res necessaria inconsulto disperdendæ  
ac pro

*ac profundende non sunt, ac tum demum adhibenda moderatio, cum vix quidquam restat. Hoc æquè in rebus ad animum spectantibus seruare oportet, ac non expectare dum senectus adueniat, & tum primum in virtutis & eruditionis castra militatum proficisci, cum quasi in fundo sola iam sex annorum superest.*

PROGYMNASMA  
TRICESIMVMNONVM.

*Cum tempore congruendum.*

DISCIPVLI, MAGISTER.

**D**ISCIPVLI. Dimitte nos extra mœnia ire ambulatum, vt te facturum nobis recepisti. M. Non dimitto, quãuis receperim. D. Sudũ est, & ambulatio salutifera corporibus, id quod te plus millies prædicantem audiuius. M. Cœlum feruet, & iam nunc sudore manatis. Quid expectemus, si in ardentissimo sole ambuletis? non est hoc salubre, non est. D. Arboribus succedentes quiescemus, & frigus opacum captabimus: sine offensione valetudinis domum redibimus, nihil nocebit hic æstus. M. Tũ vos Hippocrateam vicistis sapientiam, si id exploratum habetis. Sed hoc dicite. Num maximo imbri foris per spatiosa camporum ambulare optaretis, si soluta sit vobis optio? D. Nihil minus. M. Cur? D. Et permolestum, & sanitati inimicum foret. M. Easdem ob causas hinc manetote. Omnia tẽpus habent. Tempus nascendi, tempus moriendi. Tẽpus plantãdi, tempus euellendi quod plãtatum est. Tempus occidẽdi, tẽpus sanãdi, & alia eodem loco multa Hebræus sapiens. Dicamus

nos, id quod verum est. Tempus studij, tempus ludi. Tempus per virentia prata, sylvas, hortos deambulandi. Tempus domi se tenendi. D. At tunc ludendi tempus venit. M. Ludere nō prohibeo. Ludite pro arbitrio: tantum hæc prius haurite auribus. Sunt quæ honestè, ac laudabiliter fiunt. Eadem parum honestè nullaque cum laude alieno tempore fiunt. Philosophari, ac de iis quæ vel ad differendum, vel ad res occultas, & ab ipsa natura inuolutas, vel ad vitæ disciplinam, vel ad religionem denique spectèt, disputare in symposio non decet. Quamquam Persas de rebus grauibus inter pocula cōsultasse legimus. Sed illi suum sibi morem habuerint. Incedat quis penula coopertus cœlo sereno, vt pluuiò, irridebitur. Tegat corpus arietinis, aut vulpinis pellibus in æstate vt in hyeme: aut veste linea, seu byssina vtatur mense Decembri, siue Ianuario, vt Iulio & Augusto, num se decorè gerere existimabitur? D. Stultè potius. M. Quamobrem? D. Quia tēporis discrimina ipse in nullo ponit discrimine. N. Atqui tales inveniuntur homines. In quorum ordinem cooptādi sunt, qui noctu agunt, quæ interdium oportet agere. Cū dormiendum esset, ipsi vigilant: cū vigilandum ipsi dormiunt. Cū requiescēdum diebus festis, ipsi opus faciunt: cū opus faciēdum diebus non festis, ipsi quiescunt, & in cauponulis latitantes perpotant vsque ad vesperam. Hi & in Deum videntur, & in naturā contumeliosi. Sunt item, qui prandent & cœnant quando voluntas fert, nulla certa hora præfinita. Hi medicorum leges despiciationi habent, seseque

seleque detrimentis non leuibus augent. D. Tamen Diogenes interrogatus qua hora prandendum foret, respondit: diues prædeat quâdo vult, pauper quando potest. M. Hoc de paupere valeat, cui nempe victus in diem quæritur: de diuite philosophicè dictum accipiatur, non medicè. Relinquatur eadem libertas manduconibus, in quos illud iactatur prouerbiū: Venter solariū. At enim ne diutius ad ludum festinantes detineam, vos in actionibus atque consuetudinibus vestris semper nitimini, vt cum tempore confectiatis. D. Nitemur, ita, nitemur.

---

### ANNOTATIONES.

**H**IPPOCRATEAM VICISTIS SAPIENTIAM) *Medicina antistes, medicorumque princeps Hippocrates in insula Coo genitus, primus medendi præcepta clarissimè condidit. Plin. lib. 26. cap. 2. Eisdem Galenus multum tribuit, eum medicis omnium bonorum fuisse auctorem scribit. Attamen huius filij stolidissimi, palamque ludibrio & contemptui omnibus vixerunt. Quæ si autem ratio, cum ex homine hominem, ex bellua nasci belluam videamus, cur è doctis viris & virtute præditis stupidi saepe, & nequam liberi existant, nondum pater. Fieri solere certè quidem pater, & exempla tam recentia quam vetusta minimè desunt. Demosthenes dixit, bonorum virorum hoc quasi fatum esse, vt ab ipsis filij nequã generentur. Lege (Iliad. prouerbio, Heroi filij noxa. OMNIA TEMPVS HABENT) Extat apud Ecclesiasten, idq; inter adagia sacra Polydorus retulit. Admonemur eo mutabilitatis & inconstantia rerum humanarū, quæ cum tempore inchoantur*  
*finiunt*

finiunturque. Ac nescio an vlla in re, quam in agricul-  
tura, omninoque in re rustica euidentius appareat,  
vnumquodque negotium, vnamquamque rem suum sibi  
tempus postulare. Atque vt etiã vtile, quidpiam facias,  
tamen merito vituperandus sis, si id alieno parumque  
idoneo tēpore facias. Vide Victor. lib. 2. ca. 16. **Q V A N -**  
**Q V A M P E R S A S D E R E B V S**) Inter epulas, vbi  
iam vino incaluisse, de rebus seriis magnisque, consulta-  
tionem Persa instituebant: quod nempe ium vigere ani-  
mum, atque ob id consiliis capiendis diiudicandisque  
aptiorem crederent. Hoc etiam Gracos factitasse memo-  
rat Plutarchus Symposiacōn lib. 7. cuius in extrema  
questione hæc sunt. Antiquissimi verò ipsum Bacchum  
tanquam nihil Mercurij egentem Eubulum (hoc est, bo-  
num consiliarium) & eius gratia noctem Euphronem,  
quasi prudentia aptam, appellarunt. **I N Q V O R V M**  
**ORDINEM COOPTANDI**) Iocose, quasi is ordo  
dignitatem habeat. Pro vocibus, admissus, electus, ad-  
scitus, receptus, assumptus, Cic. serè semper usurpare,  
cooptatus, præferim cum de senatu aut sacerdotio loqui-  
tar, obseruauit Corradus Commentar. in Brutum. **C V M**  
**VIGILANDVM, IPSI DORMIUNT**) Senec.  
epist. 122. Turpis qui alto sole semisomnis iacet, cuius vi-  
gilia medio die incipit, & adhuc multis hoc antelucā-  
num est. Sunt qui officia lucis noctisque peruertunt: nec  
antè diducant oculos hesternæ graues crapula, quam ap-  
petere nox cœpit. Lege quæ sequuntur.

Q



ADMINICULA, SEU  
NUTRIMENTA, ET IMPEDI-  
MENTA VIRTUTIS.

PROGYMNASMA  
QUADRAGESIMUM.

*Exempla & sententia prelectionibus aspersa.*

VENCESLAVS, IVO.

VENCESLAVS. Æquè singulari, gestiētīq; lætitia, vt hodie, ante ac post meridiē Magistrum docentem me attendere non memini. I. Soles tu, quod satis comperi, lætabundus ludum petere, & à doctōris ore pendere. V. Soleo equidem. Verūm hæc diecula fuit mihi, nescio quomodo multorum dierum instar, seu multis diebus gratior atque iucundior, & ad culturā animi profectō vtīlior. I. Affer in medium quid audieris, vnde in pectus tuum tanta voluptas penetrarit. V. Quæ de profanis libris explicantur, etiam hac luce explicata sunt. Sed Magistro meo hoc sollemne est. Cūm Ciceronem, Ouidium, aliūmve Latinum scriptorē interpretatur, sicubi occasionem idoneam nanciscitur, rationibus moralibus sententiis, apophthegmatis, exemplis sacris & civilibus locos, remq; propositam mirabiliter illustrat, auditorum voluntates quò vult impellit, vnde vult deducit. Virtutis splendorem & elegantiam ostendit, vt nos ad eius amorem extimulet. Flagitiorum turpitudinem & deformitatem declarat, vt nos ad eorum detestationem

tionem incendat. Id nunquā processit ipsi quā  
 hodie excellētius: cœlesti spiritu instinctus con-  
 citatusque videbatur. I. Quas, amabo, historias  
 protulit? quas sententias recitauit? fac me, si vis,  
 iucunditatis tuæ socium: nam ego quoque istius-  
 modi escarum sum auidus. V. Oblatus est locus  
 de fidelitate amicorum. Ibi nobis Damonis &  
 Pythiæ, Davidis & Ionathæ facta exposuit: ad-  
 diditque Orestis etiam & Pyladis, Nyli & Eu-  
 ryalis, Alexandri & Hephæstionis amicitiam ce-  
 lebrari, de quibus aliās se dicturum. Aristotelis  
 illa retulit: amicus est alter ego: & Amici ani-  
 ma vna in duobus corporibus. Item è sanctis li-  
 teris. Amicus fidelis protectio fortis: qui inue-  
 nit illum. inuenit thesaurum. Rursus. Amico fi-  
 deli nulla est comparatio: & non est digna pon-  
 deratio auri & argenti cōtra bonitatem fidei il-  
 lius. Dabatur opportunitas agendi de fortitudi-  
 ne, trecentorum Lacedæmoniorum virtutē, qui  
 nimirum duce Leonida in Thermopylis occu-  
 buissent, laudum prædicatione in astra tollebat.  
 In quos extat epitaphium à Simonide compo-  
 situm, & à Cicerone iisdem numeris conuersum.

Dic hospes Spartz, nos te hîc vidisse iacentes,

Dum sanctis patriæ legibus obsequimur.

Christianorum quoque exēpla non tacebat. In-  
 primis D. Laurentium in eximia commendatio-  
 ne ponebat, cui adiungebat è veteri testamento  
 Eleazarum Machabæum, qui adigi non poterat,  
 vt porcina Iudæis interdicitā aut comederet,  
 aut saltē comedere se simularet. Voluptatū fie-  
 bat mētio. Sybaritas, Tarentinos, Sardanapalos,  
 Tiberios execrabatur. Ex Horatio proferebat:

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.  
Ex Silio.

Quippe nec ira deum tantum, nec tela, nec hostes,  
Quantum sola nocet animis illapsa voluptas.  
Ebrietas tibi fida comes, tibi luxus & atris  
Circum te semper volitans infamia pennis.

Et ex Cicerone. Nihil altum, nihil magnificum  
ac diuinum suscipere possunt, qui suas omnes  
cogitationes abiecerunt in rem tam humilem,  
tamq; contemptam. Euenit vt quidpiam de ca-  
stitate & pudicitia occurreret, vbi exemplum  
Dei matris, & ex vetustioribus Iosephi Patriar-  
chæ laudatissimum facinus nobis ante oculos  
statuebat: multisq; similitudinibus illius virtu-  
tis pulchritudinem, & quasi quãdam odoris sua-  
uitatem quæ inde afflaretur demonstrabat. Ad  
extremum versiculos quosdam purissimos ac  
dulcissimos de fonte non puro & amaro ( sic e-  
nim dixit ) adiciebat; eos memoriæ mandauit.  
I. Desidero audire. V.

Vt flos in septis secretus nascitur hortis,  
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,  
Quem mulcent auræ, firmat sol, educat imber.  
Multi illum pueri, multæ optauère puellæ,  
Idem cum tenui carptus defloruit vngui,  
Nulli illum pueri, nullæ optauère puellæ.  
Sic virgo dum intacta manet, dum chara suis: sed  
Cum castum ami sit polluto corpore florem,  
Nec pueris iucunda manet, nec chara puellis.

Vereor vt dies hic satis sit, si omnia sigillatim  
narrauero, quibus ille scholas suas hodie con-  
diuerit. I. Materiam tanti oblectamenti quamuis  
iustam es adeptus, & optatus hic tibi dies datus  
est hodie. V. Optatissimus.

## ANNOTATIONES.

**H**OC dialogo patefacta est ratio, quam si tenuerint Magistri, & Pedagogi, discipulos suos quæadmodum Phoenix Achillem εντιγνας λεγων, γενικηρας τε εγωπον, oratores verborum, & actores reru, id est, literarum simul & virtutis compotes efficiunt. Tales quarerendi sunt doctores, & de iis filioru causa magis debet esse solliciti parentes, quam de re familiari. Nam bene docti, benèq; morati liberi, ea demum est tutissima & pulcherrima possessio. Leonides quidē Alexandrum puerum quibusdā vitiis imbuit, que robustū quoque, & iā maximū regem ab illa institutione puerili sunt prosecuta. Videntum ergo etiā ne in Leonidas tāquam in leones incidat inuētus. **LÆTABVNDVS LVDM PETERE**) Cernuntur nonnulli puerorum quotidie serius in ludum ventitantes, nonnulli sæpenumero absentes. Quis istos discendi cupidos? quis nō coactos discere? quis Præceptorū non molestissimos putet? quis de progressu eorū quidquā sperare audeat? **DAMONIS ET PYTHIÆ**) Dæmonem & Pythiam Pythagoreos, ferunt hoc animo inter se fuisse, ut cū eorum alteri Dionysius tyrannus diē necis destinauisset, & is qui mori addictus esset, paucos sibi dies commēdandorū suorum causa postulauisset, vas factus est alter eius sistendi: ut si ille non reuerisset ad diē, moriendū esset sibiipsi. Qui cū ad diē se recepisset, admiratus eorū fidem tyrannus, petiit, ut se in amicitia retium adscriberent. Cic. 3. Off. & Tasc. 5. De amicitia Davidis & Ionathæ 1. Reg. cap. 18. 19. 20. De Orestis & Pyladis Euripid. Oreste, & Iphigenia in Tauris. Ouid. eleg. 2. li. 3. de Pōio. De Alexātri & Hephæstionis Plutarchus in Alexādro. Q. Curti. Hic Rex cū à Parmenione quoque amaretur, sed amore quodam reuerēti &

masculo plane, sicut hunc φιλοβασιλέα, illum φιλαλέ-  
 ξανδρον appellare. ALTER EGO, ANIMA VNA  
 IN DVOBUS) Plutarchus cōmentario de amicorum  
 multi. Inuenimus binos semper amicos memoria per-  
 hibitos, Thesum & Pirithoum, Achille & Patroclum,  
 Orestem & Pyladen, Pythiā & Damonē, Epaminon-  
 dam & Pelopidā. Est enim amicus animal vnā quidem  
 degens, sed non ut in armento, aut gratulorum caterua.  
 Et quod amicus dicitur alter ipse, id nihil aliud signifi-  
 cat, quā binariā esse amicitia mensuram. Paulo post.  
 Itaque valde amare & amari inter multos locū non ha-  
 bet: sed sicut amnes in multos diuisi alucos imbecilli flu-  
 unt ac tenues: sic vehemens amor in animo si dissipetur  
 in multos, enervatur. Unde fit ut ea animalia prolem  
 suam magis ament, quā vnum tantum gignunt. (sic. si-  
 militer in Lelio. Quanta autem vis amicitia sit, ex hoc  
 intelligi maximē potest: quod ex infinita societate generis  
 humani, quā conciliauit ipsa natura, ita contracta res  
 est, & adducta in angustum, ut omnis charitas aut inter  
 duos, aut inter paucos iūgeretur. TRECENTORVM  
 LACAEMONIORVM) De hac pugna Ctesias  
 in Persicis. Multa Herodotus lib. 7. & Diodorus lib. 11.  
 qui & funebrem egregiam victoribus illis contexit: &  
 qui in castra hostium irruerint, atque ad vnum omnes  
 occubuerint quingentos, copiarum autem Xerxis nume-  
 rum decies centena millia in ipsis castris fuisse affirmat.  
 Adhuc Iustinus lib. 2. Valerius lib. 3. cap. 2. Cic. 1. Tus-  
 cul. Elianus lib. 3. cap. 25. Sunt in eisdem epigramma-  
 ta non pauca in Anthologia tertio. D. LAURENTIVM)  
 Bellē Muretus hymno in eundem omnis memorie for-  
 tissimum martyrem.

Tanto corporeis ignibus acrior

Christi ardebat amor pectore in intimo,

Sic

Sic mens tota Dei feruida spiritu  
Sensum corporis hauserat.

*Lusimus & nos aliquando tetraſtichon.*

Cratibus affixus, rapidumque in postus in ignem,  
Iam media Laurens parte crematus ait,  
Maiores magnis flammis superaddite flammis,  
Auctior est, animum quæ mihi flamma coquit.

ELEAZARVM MACHABAEVM) Duo Eleazar celebrantur, vnus, qui pro communi libertate, & nominis æternitate elephantū subiens, eum occidit, eiusque casu ipse oppressus interiit, ut est ca. 6. lib. 1. Machabeorum historia, alter sacerdos, qui porcina contra legem edere noluit. De quo lib. 2. cap. 6. In hunc, & septem fratres ab eodem Antiocho inaudito crudelitatis genere interceptos extat D. Gregorij Nazianzeni oratio. Laudauit hunc Eleazarum etiam Iosephus libro quem inscripsit *επει αυτοκρατορ & λογος*, de imperio rationis. IOSEPHI PATRIARCHAE) Est in hunc dulcissima D. Ephren oratio, qua & hoc factū mirifice exornat. Vide insuper quam idem constanti animo, quibusque verbis dominam libidine furentem à se repellat apud Theodoretum de prouidētia serm. 8. QUAMVIS IUSTAM) Quamuis valet admodū, quantumuis, valde, egregie. Virgil. 1. Georg. Ut quamuis auido parerent arua colono. Lucret. lib. 3. quia quamuis effera proles Officiis debet molliri victa parētum. Plaut. Menach. Quamuis ridiculus est, ubi uxor non adest.

## PROGYMNASMA QVADRAGESIMV' PRIMVM.

*Mansueta obiurgatio.*

PAEDAGOGVS, MARINVS, PVDENTILLVS alumni.

**P**ÆDAGOGVS. Quid vult, Narine, quòd homines adolescentiores, præcipueq; mulieres specula crebrius obtinentur? M. Nosse volunt, quàm bella, quàm munda sit facies, num bene compositum ornatumque caput, aliquàne in fronte, in malis, in naso, in toto vultu macula qua deformentur. P. AE. Probè. Ecquid tu ipse ob hanc causam ad speculum aliquando consulendum astas? M. Asto equidem: nam me facies turpata haud delectat. P. AE. Ausculta. Sicut, postquam intuitus es speculum, ac næuum aliquem, maculamue in vultu deprehendisti, abiecta cunctatione illam tollis: ita si admonitiones, reprehensiones, castigationes lenissimas parentum, Præceptorum, seniorumque admittere ad aures volueris, delicta & culpas tuas, quæ diuinam animi tui speciem infuscant, & collutulant, manifestò cognosces, vt si oculis videas, & inde ea studebis eluere. Enimuerò tu in hoc multum Pudentillo concedis M. Quì nam. P. AE. Quandounque ego, aut parentum alter te reprehendit, durius accipis quàm nos vellemus, responsas, te excusare cõtendis, lapsus agnoscere detrectas. Ille nihil istorum. Verecũdo rubore suffusus tacet, veniam petit, emendationem pollicetur. Verũmne videor, atq; vti res est dicere Pudẽtillè? P. V. Quod alios pueros ingenuos, ac liberaliter eductos facere expertus sum, hoc facio: eorumque exempla tum in hoc, tum in cæteris confector: idẽmque præstare fratrem hunc meum percipio. P. AE. Percepisti optatum? M. Etiam. P. AE. Nullo sese indicio clarius exerit naturæ bonitas in ætate qualibet, quàm cum

cum quis animo æquissimo patitur sua sibi peccata demonstrari. M. Est quando iniuste obijgor, quod nulla in me culpa hæret. P. Æ. Vitia tua tibi vitio verti nolles. Approbè noui qui sis. Quid tu consuesti Pudentille, cum admissi falsò coargueris? P. V. Modestè, & paucis nego à me factum: iureiurando me nullo deuincio. P. Æ. Cur non? P. V. Prudentiæ & æquitati reprehensorum meorum confido. P. Æ. Disce virtutem Marine. Nõne stulti sint, qui obligari sua vulnera nolint, qui morbis suis fieri medicinam prohibeant? M. Vtique. P. Æ. Nihilò his sapientiores puta, qui vitiorum suorum vlcera contingi, se seque peccatis adstrictos admoneri & castigari non sustinent. Corripe sapientem, & amabit te, est apud Ecclesiasticum. Ergo apud quem in odium & offensionè admonitor incurrit, huius sanitas desperanda est. Itane res est? M. Fateor: hucusque à me peccatum est.

---

 ANNOTATIONES.

**P**arentes, & Præceptores qui secundum illos sunt parentes proximi, ne sint vsquequaque semperque duri, immites & asperi, sed filiis ac discipulis frequentius gratiam paruorum delictorum faciant, eaque se videre dissimulent, suam sibi adolescentiam, illamq; ad offensiones nimis procliuem etatem ante oculos statuētos. Legant epist. 12. libr. 9. apud Plinium. Cum autem ad reprehensionem veniendum est, imitètur medicos, qui medicamenta acriora & amariora dulcibus succis commiscentes, voluptate illa quodammodo sibi portam & aditum ad egrotorum utilitatem aperiuunt: sic ipsi ob-



urgationum seueritatem lenitate quadam moderentur atque temperent, & aliquando habenas suorum laxent, aliquando adducant. Quod si magnitudo peccatorum nullam videatur pati indulgentiam, tamen illud contentur, ut cum iustas poenas seu verbis seu verberibus exegerint, ira celeriter deseruescat. Est & hoc in obiurgatione seruandū, ne sit facetus ac ridiculus, ne clamorosus qui obiurgat, in primisque ne eodem vitio similibusue aut grauioribus ipse laboret, ac proinde nequicquam sapiat, qui sibi non sapit. Deus enim (inquit Plutarch.) nulli magis praecepisse videtur illud: Nosce te ipsum, quam ei, qui sit alium vituperaturus. Ne si dixerit quae vult, audiat quae non vult. Idem lib. de Auditione. Salsè tamen in se iactum aliquod dictum, sed citra iniuriā, & cum facetia, ferre sine dolore & hilare, non est indignum ingenio & disciplinam experto, sed omnino liberale, & Laconicum. Addamus quod sequitur, & adolescentum reprehensorum maximè interest. Vbi castigatio vite corrigenda gratia suscepta sermone vitium acriter arguente, tanquam medicamento mordente, non audire submisso, neque pudore animum accensum vertigine corripere, & sudore perfundi, sed inuictum audire, diductisque in risum labiis, ac dissimulare omnem dolorem, planè illiberalis est signum adolescentis, & à verecundia alieni.

PROGYMNASMA  
 QVADRAGESIMVMSECVNDVM.

*Proborum familiaritas.*

PATER, FILIVS.

PATER Quid hinc tam acriter contemplaris,  
 Theodule, obtutuque haeres defixus in vno?

F.Bo

F. Botrum hunc de matre sua tam pulchrè pendentem, prægrandem illum, & vicino suo acinorum multitudine, colorèque liuidulo ex altera parte respondentè admiror. P. Quod mutuùm respiciunt, hoc vtrique ad maturitatem conducit; botrus iuxta botrum maturefcit, habet adagium. Et Poëta Satyricus. Vuaque confecta liuorem ducit ab vua. Atqui tu, vti puer fcilicet, nihil aliud quàm botrum confideras, nihil ad formandos mores hinc elicis. F. Quid elicerem? P. Cupis iam Octobrem appetere, vt maturis folibus coctum decerperem, tibiq; donarem huc racemum. Estne vt dico? F. Etiam, pater. Esitare vuas, in fumma voluptate mihi est. P. Ego te docebo, fili, quid cogitandù fit tibi, cù ita eximios, & propinquos botros in vite aspectas, quorum alterù ab altero maturitatè trahere iam affirmavi: & hinc quis fit prouerbij à me adducti sensus intelliges. F. Quid cogitabo? Quæadmodù vitia à vitiosis per conuictù, & societate, sic virtutes quoq; à studiosis per familiaritatem & cõsuetudinè discuntur. Trahit, inquam, colorè virtutis à virtute, & maturus fit ex maturo, qui se cù homine probò tũ amicitia, tum omni volùtate fcntentiaque coniunxerit. Nec tam ad valetudinè vel conseruandam, vel instaurandam cœli, regionisue salubritas & clementia, quàm ad mētis sanitatem, & ad sedatum quietumque animi statum, bonorum cõsuetudo apta atque opportuna est. Quòd si nulla bestia tam fera & truculenta cernitur, quæ diuturno cum hominibus commercio feritatem non exuat, fiatq; tractabilior, cõpète minus ad illaudatas actiones sese dabit im-

probiior aliquis, si cum bene moratis modios fa-  
lis comederit. Tu ergo, mi Theodule, ab adole-  
scentulo fuge malo, eorúmque congressioni-  
bus & vsulætare, quorum tibi virtus nota &  
perspecta fuerit. Habe cordi hæc præcepta mea,  
vt ego aliquando matérque tua ex nobis te pro-  
feminatum esse gaudere possimus.

### ANNOTATIONES.

**B**OTRUM HVNC DE MATRE SVA )  
*Plaut. Amphit. impleui cirneam. Eam ego vt ma-  
tre fuerat natum vini eduxi meri. Matrem vini ex uua  
expressi vitem nominat. Sic Virgil. 12. Aneid.*

Vt sceptrum hoc (dextra sceptrum nam fortè gerebat)  
Nunquam fronde leui fundet virgulta, nec umbras,  
Cum semel in syluis imo de stirpe recisum  
Matre caret, posuitq; comas & brachia ferro.

*Matrē sceptri lignei ipsam arborem dixit, vt 2. Georg.  
in ipso limine, cum agit de variis modis creandarum ar-  
borum. Hic plantas tenero abscindens de corpore ma-  
trum Deposuit sulcis. Stolones intelligit. Eodem lib. lo-  
quens de lauro, quæ ab radice maioris pullulat: parua  
sub ingēti matris se subiicit umbra. VVA QVE CON-  
SPENTA ) Iuuenal. satyra 2. Quem versum exponit  
doctissimus Turneb. libr. 15. cap. 17. FORMANDOS  
MORES ) Innumerabiles, etiam à rebus inanimis,  
ad morum doctrinam similitudines petuntur. Nec est  
quidquam adeo nullius pretij, quin nos aliquid mo-  
nere ac docere possit, si nos modo ea simus intelligentiæ  
perspicacitate, vt id videre queamus, quomodo  
viderunt Seneca, Plutarchus, Cic. aliique sapientif-  
simi homines, quorum libris traditum est nobis inex-  
haustum, sempérque duraturum rerum cognitione di-  
gnissi*

gnissimarum patrimonium. Eorum vestigiis hęcemus: quando etiam ille ab Hesiodo laudatur, qui parci rectè monēti, cum, quid rectum sit, per se minus intelligit.

HÆSITARE VVAS IN SVMMÀ VOLVPTATE) Non quod salubrius, sed quod sensibus iucundius est hac ætas sequitur. Attamen, ne in valetudinis damna incurrat pueri, & cuius in adolescētia permissa est licentia, id etiam senes postea committant, coercendi sunt nonnunquam. Lege quod de famula decropita, & bonis ornata moribus D. Augustinus scripsit, 9. Confess. cap. 8. quomodo Monicam & sorores eius etiam siti exardescētes nec aquam bibere siuerit, quam prudentem huius interdicti rationem attulerit. COELI REGIONISVE SALVBRTAS) Seneca verba lib. 3. de Ira hac sunt. Nec tam valetudini profuit utilis regio, & salubrius cælum, quam animis parum firmis in turba meliorum versari. Qua res quantum possit intelliges, si videris feras quoque coniectu nostro mansuescere, nullique immani bestie vim suam permanere, si hominis contubernium diu passa est. GAVERE POSSIMVS) Ex contrario, nimirum ex doloris acerbitate, quam parentes ob filiorum maleficia, improbitatem & infamiam animis accipiunt, indicare licebit, quantis ex eorum virtute & gloria solatiis mulceantur, quantisque gaudiis cumulentur. Et quoniam certum est, eos magis amare filios, quam amari à filiis, illumque amorem ardentissimum esse, colligitur eos vel supremam voluptatem ex eorum bonis, vel incredibilem ægritudinem ex eorum malis haurire: amantium enim hoc proprium est res amatorum sibi communes facere, eoque id amplius, quo amor feruet magis.

## PROGYMNASMA

QUADRAGESIMVM TERTIVM.

*A Deo actionum capienda primordia.*

POSTHYMVS, GEMELLVS.

**P**OSTHYMVS. Diuinare nequeo, cur non modo studia mea, verum etiam quidquid facere occipio, in dies singulos parum rectè sub manus succedat. Adeon' hominem esse infastum atque miserum quenquam, ut ego sum? G. Mihi è diuerso & studia mea, & quidquid auspicio quotidie satis prosperè, & ad voluntatè. Summo illi rerum parenti ac domino sit gratia. P. Quo artificio, aut qua demum ratione hanc foelicitatem consequeris? G. Nullo artificio, paucis tantum verbis. P. Cantionibus, seu carmine magico fortasse. G. Quod Diui Diuæque omnes auertant. Quali tu me ingenio arbitrare? P. Bono. G. Quid factis? P. Bonis. G. Quid religione? P. Optima. G. Quid ergo te istac audio loqui? P. Si quid per iocum dixi, nolim te id inferium conuertere. G. Ignosco. P. Quibus igitur verbis? validam profectò verborum tuorum vim esse oportet, si tantum efficiunt. G. Non te morabor. Memoria tenes nos audisse aliquando, antiquos, si quid inceperant, præfari solitos. **QVOD BONVM, FAVSTVM, FOELIX, FORTVNATVM QVE SIT: QVOD FOELICITER EVENIAT: QVOD DII BENE VERTANT.** P. Memor sum. Non te mater tua perdocuit, acturum aliquid, animum ad  
Deum

Deum conuertere, eiusque opem tacite implorare? P. Nunquam. G. Credo ipsammet non consueſſe id facere. Mei parentes conſueuerunt, & ita me inſtituerunt, cum ſæpe illud Pauli occiderent. Omnia quæcunque facitis, ſiue in verbo, ſiue in opere, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti facite. Ob hoc itaque reſtuæ feliciter non eunt: opem enim præſidiumque cœleſte non flagitas. P. Tuam pietatem imitatus in poſterum haud deſipiam. Quam adhuc malè, tam poſthac bene de me ipſe merebor. Velim tamen pro coniunctione beneuolentiæ noſtræ precatiunculam ipſam qua vteris ne me celes: hoc precarið abs te peto. G. Illa Eccleſiæ comuniſſima & cõmodiſſima eſt. *Actio- nes noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præueni, & adiuuando proſequere, vt cuncta noſtra oratio & operatio à te ſemper incipiat, & per te cepta finiatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amē.* P. Hæc valde aridet, hac vtar. G. Bene eueniat. P. Et tibi bene ſit, qui me hodie ex ærumna non modica extraxiſti.

---

 ANNOTATIONES.

**C**icero in Vatin. Omnium rerum magnarum à diis immortalibus principia ducuntur. Quæ ſententia eſt Demoſthenis epist. 1. Rurſum 2. de leg. A diis immortalibus ſunt nobis agendi capiendæ primordia. Pythag. quoque ἀλλ' ἐγχεὺ ἐπ' ἐγγυρ θεοισιν ἐπειξέμεν & τελείσαι. Finem dein, ante precatuſ Numina, opus facito. Ubi Hierocles. Videtur enim quod conamur, manui quidem non abſimile, quæ ad bona accipiendæ

pienda exporrecta sit : quod autem à Deo confertur; suppeditationi atque fonti, unde fluit bonorum largitio. Et post pauca. Qui possit præterea quispiam quod bonum est accipere Deo ipso non largiente? qui rursum cupiendilibertatem habenti, nec poscenti, Deus ipse natura liberalis donare statuatur? Ne igitur aut verbis tantum preces faceremus, sed opere etiam illas firmaremus, aut nostris solum actionibus consideremus, sed ut agendo etiam diuinum auxilium rogaremus, & tanquam formam materia preces operi adiungeremus, idque totum, ut quæ ipsi ageremus precaremur, & quæ precaremur ageremus, adiungens monuit, ut non nisi deos precati ad opus accederemus. Si prisca mortales in atra errorum caligine palpantes, sine diuina ope nihil se quidquam effecturos in agendo crediderunt, nos in tam claro ac puro veritatis lumine locati credemus? Est in episto. Basilij ad Gregorium Nazianzenum locus perillustis, propositoque nostro conuenientissimus, quem ad verbum libet adscribere. Τί ἔμ μακαριώτερον τῆς τῆν ἀγγέλων χορείαν ἐν γῆ μιμῆσθαι; εὐθὺς Ἐρχομένης ἡμέρας αἰς εὐχὰς ὀρμῶντα, καὶ ὕμνοις καὶ ᾠδαῖς γεραίρειν τὸν κτίσαντα; ἔτα ἡλίξ καθαρῶς διαλάμψαντ' ἐπ' ἐργάσιρα πέμνον, πανταχῶς αὐτῷ τῆς εὐχῆς συμπάρουσι, καὶ τοῖς ὕμνοις ὡσπερ ἄλατι παραστῆναι τὰς ἐργασίας. τὸ γὰρ ἰλαρὸν καὶ ἀλυπὸν τῆς ψυχῆς κατάστημα αἱ τῶν ὕμνων παρρηγορίαί χαρίζονται. *Quid igitur beatius, quam in terris caelestium concentum imitari? surgente die statim ad preces festinare, hymnisque & canticis Conditoti venerationem tribuere? Deinde ubi sol terras larga luce compleuerit, ad opera sese conferre, ubique adiunctis precationibus, sacrisque carminibus veluti sale quodam*

quodam actiones aspergere. Etenim hilarem & placatum animi statum hymnorum nobis solatia largiuntur. IPSAMMET NON CONSVESSE) Atat, hoc illud est, inquit Terent. Non faciunt recta filii, quoniam à parentibus fieri nulla vident. Faciunt autè & dicunt improba, quoniam à parentibus fieri vident, & dici audiunt. Vt alia mittam, unde in ipsorum ore execrationes & iuramenta? Unde tantum in iâ pusillis adhuc pueris, qui necdum verba satis integra pronunciant, in viros Religiosos & Ecclesiasticos odium? unde illa voces, quibus eos pratercuntes insectantur, Bolff Bolff, Pfaff Pfaff? Ab ancillis & seruis forsitan hanc disciplinam quoque accipiunt: sed apud bonos heros vix audet quidquam scelerata seruitia. Mali igitur corui, mala oua. PRECARIO ABSTE PETO) Precario petit, qui precando, seu precibus petit. Pleonasmus est Donat. And. Petimus precario poscimus pro imperio, postulamus iure. BENE. VENIAT) Ab us dicebatur olim, qui rectè ominabantur. Victorius lib. 9. cap. 3.

## PROGYMNASMA QVADRAGESIMVMQVARTVM.

### Temperantia in victu.

MAGISTER, SIDONIUS, AMIANUS, discipuli.

MAGISTER. Quo tanto altius in memoria vestrum omnium insideant, quæ de adhibenda cibi potusq; moderatione disserui, surgite Sidoni & Amiane, atque in medium prodeuntes, ea per quæstiones & responsiones iterate. Sidonius interroget, Amianus respondeat.

R



Si memoria alterum defecerit, ego subueniam.  
 S. Quamobrem edere ac bibere cum modo debemus, & ad mensam venire animo quieto, vt desideria naturæ satiemus? A. Quia, vt Cicero scriptum reliquit, nimio cibo ac potione distenti, mente vti rectè non possumus. Et bene Horat. sat. 2. lib. 2.

corpus onustum

Hesternis vitiis, animum quoque pergrauat vnà,  
 Atque affligit humo diuinæ particulam auræ.

Bæotios quoque idcirco tam bardos ac stupidos exitisse creditum est, quoniam se vino & dapibus nimium complerent. Hinc Platoni Italicæ & Syracusanæ mensæ in Sicilia probatæ non sunt. Possumus & testem moderati victus laudare Dei filium, qui iussit vt caueremus, ne corda nostra grauarentur crapula & ebrietate.  
 S. Sûntne coniuncta hæc duo, edacitas & stoliditas? A. Ferè: nam vt sapientes plerumque videmus minimi cibi, minimiq; potus: sic contrà fatuos plurimi. Nec est vt mirandum sit eos bestiarum, (quas natura ad pastum abiecit) morem sequi, quibus cum bestiis tanta est similitudo.  
 S. Quid Ægyptiorum sacerdotes, rerum causas & sidera accuratius contemplaturi? A. Sæpius toto biduo ac triduo nihil gustabant.  
 S. Lacedæmoniis pueris quid fiebat? A. Decimo quoque die Ephoris se sistere cogebantur. Hi, quem molliorem pinguiorémque cernebant, eum plagis onerabant. Quin etiam apud ipsos ciues dedecori magno erat obesum habere corpus.  
 S. Quæ fuit diui Augustini sententia? A. Sobrietatem ingenuarum artium procreatricem

cem & magistram, ebrietatem ingeniorum pestem esse. S. Hucusq; quid ingenio ac literis officeret intemperantia: nunc quid valetudini commodet expone. A. Nimum quantum incommodat: non enim reficiuntur vires, sed opprimuntur. Diogenes aiebat earum domorum, in quibus est alimentorum copia, multos esse mures ac feles. Similiter corpora, quae multo cibo pascerentur, etiam multos asciscere morbos. S. Quorum maxime insignia exempla in hoc vitio ventris & gutturis allata sunt? A. Duorum Imperatorum, Vitellij & Maximini. S. Qualis prior? A. Cum voluptati huic edendi & bibendi maiorem diei noctisque partem tribueret, ut epulis nouis locum faceret, vomitu onus reiciebat. S. Qualis posterior? A. Quadraginta libras carnis vno die absumebat: vini amphoram exhauriebat: adeo ybertim sudate corpore, ut in calicem sudor colligeretur. Et mandatum est literis, vno die collectum sudorem tres sextarios impleuisse. S. Quorum contra laudata est temperantia? A. Cyri maioris. S. Quid is? A. Cum ex eo hospes quaereret, quid ad conuiuium parari iuberet: panem, inquit, solum: spero enim me apud flumen cenaturum. S. Cuius insuper? A. Socratis. Cum vocasset ad cenam diuites, & Xantippen puderet modici apparatus. Bono, inquit, esto animo. Nam si quidem modesti erunt frugique, mensam haudquaquam aspernabuntur: sin autem intemperantes, nulla nobis de hisce cura fuerit. S. Ecquid tertium supeditat? A. Etiam. S. Cuius illud? A. Alexandri Magni. Huic cum Regina Cariae cibos & bellaria curiosissimo artificio apparatus subinde ostenta-

tionis cāussis mitteret: Meliores sibi esse dixit cocos nocturnum iter quo prandium, & parcitatem prandij, quo cœnam sibi suauem redderet. M. Pars est intemperantiæ, res ad epulādum exquisitas appetere. Socrates quidem hanc voluptatem nullo loco numerabat, cuius est: cibi cōdimentum esse famem, potionis sitim. S. In alteram partem qui peccant? A. Qui inedia immoderata & actiones mentis impediunt, & corporis bonam habitudinem planè corrumpunt. M. Huiusmodi hæc sæcula paucos proferunt: plena nimirum comedonibus & combibonibus. Bene & ordinatè alter vestrum quæsiuit, bene alter respondit: vtrique suum erit præmium.

### ANNOTATIONES.

**V**TI RECTE NON POSSVMVS) Corpore immoderato pastu potuq; onusto, certum est illam partem animi qua mentis & consilij est particeps, fumis illis & halitibus crassis, qui è stomacho exspirantur, & sursum in caput feruntur, ubi velut in officina vim suam maximè ratio exercet, sopiri ac plurimum hebetari: illam autem partem, qua voluptate alitur: & in qua cum bellis nobis communes existunt appetitus exultare, immodestèq; iactari. Confirmat quod diximus illud Græcorum, *παχῆα γαστήρ λεπτόν δ' ἰκτεὶ νόον*. Subtile pectus venter obesus non parit. Multa admodum, & graua detrimenta valetudinis, è gula vitio nascentia percenset Seneca ep. 95. ab eo loco: Qui postquam cœpit, nō ad tollendam, sed ad irritandam famem queri, & c. Idem pro victu vulgari & parabili aduersum ventris delicias, ep. 110. **BOEOTIOS QVOQVE IDCIRCO)** Ob edacitatem, cuius fructus sunt stupor, hebetudo, insulitas, & c.

Et c. Bæoti ab Atticis bardi, bruti, stolidi, agrestes, barbari, insu'si, suis denique nominati sunt. Et quidquid insulsum, agreste ac stultum esset, antiqui Bæoticum vocabant. Possunt tamen hæc omnia etiam cælo crasso quo utebantur accepta referenda existimari: nam ut subtile ac purum cælu ad acumen prodest: sic contra graue & expirationibus plenum ad tarditatē ingeniorum valet. Testē producimus Cic. li. de fato. Athenis tenue cælum, ex quo acutiores etiam putantur Attici: crassum Thebis, itaque pingues Thebani & valentes. Thebæ autē in Bæotia fuerunt. Producamus alterum Horat. epist. 1. lib. 2.

quod si

Iudicium subtile videndis artibus illud  
Ad libros, & ad hæc Musarum dona vocares:  
Bæotum in crasso iurares aëre natum.

His affinia sunt, quæ inuenio apud *Æmilium Probum* in Alcibiade. Omnes enim Bæoty magis firmitati corporis, quam ingenij acumini seruiunt. Et in Epaminonda. Namque illi gēti plus inest virium, quam ingenij. Nos porro de Bæoticis suis in hisce vigiliis nostris unam, Cherone natam per sepe in mediū adducimus. Sed eiusmodi suam profecto, qualem se Attica optaret peperisse, qualem seipsa Minerva gauderet fieri. Quid enim Plutarcho excogitari potest eruditius? quid fuit unquā post homines natos sapientius? HINC PLATONI ITALICÆ) De mensis Italicis, Siculis, Syracusanis nonnulla ex Platone, Athenæo, Basilio adducit Brodæus lib. 5. cap. 33. TESTEM LAUDARE) Laudare testē, pro, nominare ideo dicitur, quòd quem quis testem nominabat, unā & laudem ipsius commemorabat, ne indignus videretur, cuius testimonium audiretur. Plaut. Capt. Iouem supremum testem laudo.

PROGYMNASMA  
 QUADRAGESIMVMQVINTVM.

*Quotidiana in semetipsum inquisitio.*

*AVREOLVS, LICINIVS.*

**A**VREOLVS. Pythagoreorum more, ait apud Tullium Cato, exercendæ memoriæ gratia quid quoque die dixerim, audiuerim, egerim commemoro vesperi. Cur non etiam nos Catonem memoriæ, & sanctitate morum ornatissimos viros virtutis causâ æmulati, antequam cubiculum de nocte somni ineundi causâ ingredimur, quid vsque in vesperam legerimus, audierimus, viderimus: dicta, inquam, facta, cogitata nostra, quàm diligentissimè recognoscimus, conscientiamque nostram excutimus? ut si quas lapsiones atque culpas reperiamus, Deum precemur, quò is nobis propitius ignoscat: si quid ex virtute gestum, eidem gratias agamus, ab eoque auxilium petamus, ut in eo perseverare, & ultra semper progredi, atque rem bono atque amplo auctare perpetuo lucro possimus? Rogemus item, ut quæ bona legimus, & audiuimus, animo retinere, & iis aliquando uti: quæ verò mala, ea obliuisci & euitare liceat. L. Isto modo prorsus nobis faciendum duco. Decet id bonum virum, qui in appendice Virgiliana describitur. In qua descriptione considerationis huius capita luculenter expressa sunt. A. Versiculos illos ad vnum edidici iam pridem. Nisi quid tibi videtur secus, recitabo. L. Mihi verò nihil.

nihil. A. Omittam, quæ præcedunt de eius constantia & perfectione : quæ huic loco consentanea sunt afferam.

Non prius in dulcera declinat lumina somnum,  
 Omnia quàm longi reputauerit acta diei.  
 Quæ prætergressus? quid gestum in tempore? quid non?  
 Cur isti factò decus abfuit, aut ratio illi?  
 Quid mihi præteritum? cur hæc sententia sedit,  
 Quam melius mutare fuit? miseratus egentem  
 Cur aliquem fracta pensæ mente dolorem?  
 Quid volui, quod nolle bonum fore? vtile honesto  
 Cur malus antetuli? num dicto aut denique vultu  
 Perstrictus quisquam? cur me natura magis, quàm  
 Disciplina trahit? sic dicta & facta per omnia  
 Ingrediens, ortoque à vespere cuncta reuoluens  
 Offensas prauis, dat palmam & præmia rectis.

L. Videntur hæc copiosius explicare sententiam Græci carminis, quod Pythagoræ tribuitur: quo ille solitus sit mōnere adolescentes, vt quoties domum ingrederentur, hæc secum tria meditentur.

ἢ παρέβην? τί δ' ἔρεξα? τί μοι δεῖον δέκετέ-  
 λίσθη?

Lapsus vbi? quid feci? aut officij quid omissum est?  
 Ad tria genera lapsus humanos reuocauit. Aut enim aliter agimus quàm oportet, id est, plus minúsue: cui peccato respondet quòd in versu primum est. Aut facimus, quod prætermissum oportuit, quod secunda voce indicatur. Aut omittimus denique, quod facere debebamus: eò vltima pars carminis respicit. A. Recordor laudari à Seneca Sextium quendam, virum optimum libro 3. de Ira, qui huius rei de qua loquimur absolutum nobis exemplar esse potest. Et

quoniam liber ad manum est, legamus locum.  
**L. Legamus. A.** Exciebat hoc Sextius, ut consummato die cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum. Quod hodie malum tuum sanasti cui vitio obstitisti? quā parte melior es? Desinet ira, & erit moderatior, quā sciet sibi quotidie ad iudicem esse veniendum. Quid ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? Qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur, quam tranquillus, alius ac liber, cum aut laudatus est animus, aut admonitus, & speculator sui censorque secretus cognoscit de moribus suis? *Vt* hac potestate, & quotidie apud me causam dico. Cum sublatum e conspectu lumen est, & contigit vxor, moris iam mei conscia, totū diem mecum scrutor, facta & dicta mea remeior. Nihil mihi ipsi abscondo, nihil transco. Quare enim quidquam ex erroribus meis timeam, cum possim dicere: Vide ne istuc amplius facias, nunc tibi ignosco. **L. Pudorem** interdum incutiunt Christianis, ipsisque torporem & ignauiam exhibent, quæ de Ethnicis tam mirabilia, & supra opinionem literis sunt prodita. O curuæ in terris animæ, & cælestium inanes.

---

 III A. ANNOTATIONES.

ΠΗΠΑΡΕΒΤΝ) Dignū est admiratione inquit Hierocles, quod cum expendēda singula precipiat, quid recte, quid eorum, quæ a. cuit gestum sit, perpendendum non monuit: sed ad id quod tumoris minus haberet, memoriam traduxit: ut eorum quæ peccata sunt, iudicium faceret. Iudicem præterea adhibuit æquissimum simul atque commodissimum: conscientiam nimirum rectamque rationem, atque etiam seipsum, cuius omnium maxime

ximè pudere superius quèque voluit. *Infra.* Efficit verò studium istud, si singulis diebus excolatur, diuinam in iis imaginem, qui illud amplectuntur: dum vel additionibus, vel subtractionibus, ad virtutis decus perducit, & quantum fas est, probum hominem perficit, &c.

PVDOREM INTERDVM INCVTIVNT)  
 Hoc nulli mellius verè dictum intelligit, quàm qui antiquitatis memoriã euoluunt, in qua innumera quotidie exempla reperiunt, quæ nos à curriculo maiorum longissime discessisse clamitant. Non quomodo piè sanctèque, sed diu possumus vivere cogitamus, cum omnibus possit contingere ut bene viuant, ut diu, nulli.

## PROGYMNASMA QVADRAGESIMVMSEXTVM.

*Vitiorum peccatorumque amuleta generalia.*

PRESBYTER, SPVDÆVS, MATHESIVS, adolescentuli.

PRESBYTER. Ecquid gymnasium quotidiana itione & reditione teritis? S. An tu secus de nobis existimas? P. Amicum est pueris ludum subterfugere. M. Amicum pueris ignavis, & il-liberalibus. P. Vos ergo de illa colluie nō estis, & obitis scholam assiduè, atque cum voluptate discitis. S. Dici aliter non potest. Occupet extremos scabies. P. Sed Magistri præceptis aduersamini. M. Si aduersantur, qui sunt obediētissimi. P. Amatis literarum studia, quod perspicio. S. Quid tandem possumus amare melius? Quin illa nobis interiores medullas edunt. P. Et eruditorum gloriosum nomen appetitis. M. Fatemur



nos appetere. Si id peccare est, fatemur id quoque. P. Nunquid non multò præstat esse innocentia admirandum, quàm doctrina excellentè? S. Præstat quidem. Attamen ambo in eodem inesse nihil obstat. P. A vero sensu iudicatis; neque literæ virtuti, neque virtus literis contraria graditur via, coniurant amicè, suntque in Ecclesia Catholica iidem doctissimi, iidè sanctissimi, & cœlestium agminibus inserti cōplures. Habemus Iustinos, Hieronymos, Augustinos, Basilios, Chrysostomos, Nazianzenos, Nyssenos, Aquinates. Atque etiam hodie vbique locorum per gentes Christianas inueniuntur, qui virtutis laudem cum eruditionis præstantia coniungāt. Putatisne verò minore opera quempiam literatum in probum ac sanctum euadere? M. Literatum. Quamuis ille dicat. Non datur ad Musas currere lata via. P. Quapropter? S. Nos causam huius rei haud satis possumus euoluere. Nihilominus ita est planè, vt dixit Mathesius. P. Ego rē omnem vobis aperiam. M. Quod te etiam atque etiam oramus. P. Ad vitiositatem proni propèsi que sumus à prima pueritia vsque ad decrepitam senectutem, & cum nostris cupiditatibus prauissimis continenter bellum gerimus: nec quod volumus bonū, hoc agimus: sed quod nolumus malum id facimus. S. Agnoscimus Paulū. P. Estisne vos ad hæc diurna nocturna que prælia satis superque ab armis instructi? Num induistis tunicas adamantinas? num gestatis arcū: nū accincti gladiis fulgētibus? nū caput operti galea? M. Nihil horū apud nos, opinor. P. Opinor narras? Tum vos sapius vincimini, sapius  
vince

vincemini. S. Obarma tu nos, Pater, præbe scutum, suffice tela, & quo pacto hostē ferire, eiusque nervos enervare, & impetum retundere debeamus, doce. P. Ars omnium artium pulcherrima, maximēque salutifera, superare diabolum, cuius venenatissimis sagittis penē quouis momento appetimur. Non enim quiescit, sed tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deglutiat. M. Quomodo huius leonis immanissimi fauces atrocitatemque vitabimus? P. Non usquequaque inuicti sunt leones. Fortissimi illi bestiarum, qui que ad nullius pauebunt occursum, gallum canentem pavitantes fugiunt. Stygium leonem fugaverit vnus agnus. S. Quisnam iste agnus? P. Quis? ille qui sustulit peccata mundi. M. Iesum Christū videlicet dicis. P. Eū ipsum Mathesi: quem, quoties inimicorum sētitis machinationes & insidias, quoties, inquā, ad peccandum velut esca obiecta pisces allicimini, toties precibus sollicitate, ne in tentationē intrare vos sinat. Diuinis auxiliis indigemus ad reportandam de huiusmodi hostibus victoriam. Dominus mihi adiutor, inquit quodam hymno David, & ego despiciā inimicos meos. Et alio. Auxilium meum à Domino, & ipse euellet de laqueo pedes meos. S. Intelligimus optimè, quæ sit vis huius aduersus omnia venena mortesque antidoti. P. De vitiis & virtutib<sup>9</sup> libellos versare non est inutile ad cauenda declinandaque; flagitia. Inde quid malum, quid contrā bonum, & quāta in vtroque varietas, quæ species, quæ genera cognoscetis. Innascitur ex eiusmodi lectione in mentibus vt amor & cupido integritatis

ac sanctimoniae, sic odium & detestatio scelerum. Iam quod odit quispiam, ei se non facile contingendum & inquinandum dabit; & quod amat, cuiusque praestantiam vidit, hoc ut adipiscatur magis laborabit. Qui sese student anteire ceteros in poesi, Maronem: qui Ciceronis in sermone puritatem, ornatum, atque copiam imitari contendunt, eius scripta voluunt ac reuoluunt. Curminus, qui probati Christiani volunt effici, Christianè, hoc est pie scripta volumina frequentes legant? M. Institutiones Francisci Costeri legam, si suades. P. Ego verò suadeo. Catholicum, & pietatis studiosum adolescentem bene instituit. Quem tu Spudæ? S. Dionysium Carthusianum de 4. nouissimis cœpi legere. P. Nihil salutaris, & aduersus peccata conducibilis. M. Duas rationes accepim⁹, quas memori mente nos retenturos promittimus. Cupimus proferri plures, si supersunt. P. Cum ad nos expugnandos admoueri arietes sentimus, ad laborem aliquem frugiferum honestumque toto nos animo conuertamus. Otiosi quippe & magis tentantur, & facilius debellantur; quorum mens cum nihil habeat propositum, in quod seridè sese intendant, & in quo versetur, hæret in eo quod obiicitur; præsertim cum illud naturæ ac sensibus blanditur. Testatur id etiam Ouid. & inter remedia, quibus amationes nefandas excludi ex animo posse arbitratur, otij vitacione constituit. S. Memini.

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus,  
Extinctæque iacent, & sine luce faces.

P. Iuuabit præterea congrèdi, & consiliū petere  
à re

à religiosis perfectèq; moratis hominibus, quorum oratio ad virtutem nos accēfura, & contra vitia cautiore animosioresq; redditura est. Nā si malus euadit, qui cum malis est frequentior, cur non bonus fiat, qui ad bonos sese aggregat? Cogitemus etiam quāta sit in peccato fœditas, quā sit detestabilis & exitiosa res Deum lædere; quanta è diuerso hominis nobilitas, quanta dignitas. Imago Dei, templum Dei, Christi sanguine expiatus, regni cœlestis hæres institutus, Angelorum socius, mundi dominus sese flagitiosa aliqua actione commaculet? Hoc etiam Cicero nouit: quā indignum videlicet homine sit, voluptatibus atque appetitui sese permittere, imperiumque rationis aspernari atque abicere. Si considerare velimus, inquit, quæ sit in natura hominis excellentia & dignitas, intelligemus quā sit turpe diffluere luxuria, & delicatè ac molliter viuere; quā honestum parcè, continenter, seuerè, ac sobriè. Et alibi. Nec figura corporis, nec excellens vis ingenij humani significat, ad hanc vnam rem natum hominem, vt frueretur voluptatibus. S. Quā amans fuit iste vir honestatis & virtutis? P. Amantissimus. Perpendamus denique fructus vtriusque. Peccasti stipendia mors, luctus, & perpetuus angor, seu carnificina conscientia. Virtutis autem tranquillissima & securissima mens, lætitia constās, vita cœlitum. Cogitate præterea cum animis vestris, si quid vos per laborem rectè feceritis, labor ille citò recedet, bene factum à vobis dū viuetis nō abscedet: sed si quæ per voluptatē nequiter, voluptas citò abibit, nequiter factum illud

illud apud vos residebit. Non etiam parum valet, reputare secū quā sit brevis & incerta hęc vita: posseq; fieri, vt vel in ipso scelere obeundo ac perpetrando, vel certè ante reconciliatum nobis Deum morte fungamur, quæ ante fores astare semper videtur. Equo certè pede pauperum tabernas Regumq; turres pulsat. Quæ tum nostra est futura conditio? ô nos tū miseria scēpiterna miseros. Ignes, & tormenta inexplicabilia in mercedis loco tribuentur obis. M. Sed si quis in hac pugna victus, & ad terrā afflictus fuerit, quid ei faciendum? P. Cauendum ne abiecto clypeo sese in potestatem hosti tradat, sed vt miles magnanimus resurgat, prælium redintegret, & ad delendam ignominia huius maculam fortius pugnet. Sanctorum exempla sibi ante oculos ponat, qui, quanquam aliquādo scelera sceleribus cumulantes Deum in perniciem suam vehementissimè irritassent, non tamen salutem desperarunt, sed collectis viribus hostem obtriuuerunt, atque ad officium & in viam redierunt. S. Factum est à nobis operæpretium, cum te audiui hodie. M. Magnam tibi pro institutione tua habemus gratiam, & cum humanitatem tuam diligimus, tum rerum istarum scientiam in te admiramur. Differuisti enim ea, quæ sole hoc ipso illustriora & clariora sunt, quæq; omnes numeros virtutis continent. P. Nū quidpiam aliud me vultis? S. Vt bene sit tibi.

---

 ANNOTATIONES.

**A** MICVM EST PVERIS) *Placet pueris, delectat pueros. Horat. Ode 17. lib. 2.*

*Nec*

Nec diis amicum est, nec mihi, te prius

Obire Mecœnas, mearum

Grande decus columenque rerum.

*Sumptum à Grecis: illi enim, ἡ θεοῖς φίλον. OCCV-  
PET EXTREMVM SCABIES) Horat. ad Pi-  
sones.*

Nunc fatis est dixisse: ego mira Poëmata pango,

Occupet extremum scabies, mihi turpe relinqui est.

*Lusus fuit puerorum, in quo currètes scabiem ei preca-  
bantur, qui ultimus ad calcem perueniret. Sic Germa-  
ni pueri cursu certantes, der lekt bey m Har. TVNI-  
CAS ADAMANTINAS) Nihil adamante solidi-  
us, unde nomen quoque; quod scilicet domari fran-  
gique non possit. Horatius Ode 6. li. 1. Quis Martem tu-  
nica rectum adamantina Dignè scripserit? Homericis  
χαλκὸς ἰσχυρὸς expressit. GALLVM CANENTEM  
PAVITANTES) Quæ res terreant leonem, indicat  
Plinius libr. 8. cap. 16. Atque hoc tale, tam seuum ani-  
mal rotarum orbis circumacti, currusq; inanes, & gal-  
linacorum crista, cantusque etiam magis terrent, sed  
maximè ignes. Lucretius idem asserit libr. 4. & ratio-  
nem quoque affert huius rei.*

Quin etiam gallum, noctem explaudentibus alis

Auroram clara consuetum voce vocare

Nenuqueunt rapidi contra constare leones,

Inque tueri: ita continuò meminere fugai, &c.

*Lege lepidissimum Æsopi apologum de gallo & asino  
simul iter facientibus, & leoni occurrentibus; quo ad-  
monentur qui sibi adscribunt quod aliorum est, quæ su-  
perbia interdum pessimum sortitur euentum, ut ibidem  
miser asellus male multatus à leone interit. OTIASI  
TOLLAS) Diogenes amorem otiosorum negotium di-  
cebat. Theophrastus quoq; interrogatus quid esset amor,  
respondit: πᾶθος ψυχῆ σχολάζουσι, animi vacan-  
tis*

*is seu otiosi morbus. SI QUID VOS PER LABO-  
REM) Sententia est Musonij philosophi, quam ab eo  
mutuatus est in oratione quam dixit Numantia Ca-  
to. Auctor Gellius lib. 16. cap. 1.*

## PROGYMNASMA QUADRAGESIMVMSEPTIMVM.

### *Solitudo.*

#### EREMIVS, MONASTES.

**E**REMIVS. Salueto mi patruelis. M. Et tu sal-  
tamen solus. E. Quid agis? M. Solus sum, nec  
spicio, præter istum catulum Melitæum, & cir-  
cumuolitantes muscas aliquot, quas tu Impe-  
ratorem Domitianum Vespasiani filium æmu-  
latus, in dies certis horis, quas ille sibi idcirco  
sumens in abditū cōclauē secedebat, acuto sty-  
lo deberes configere. Tum verè solus esses, si te-  
cum ne vna musca quidem. M. Plurima rerum  
scriptores de illis Imperatoribus, vecordiæ, sto-  
lilitatis, & amentix plenissima. Honestum fanè  
orbis terrarum domino, sempiternæque memo-  
riæ commendandum facinus. Nesciebat infæ-  
lix monstrum vti otio & solitudine, quæ ofori-  
bus literarum, inertibus ac stultis, somni, cogi-  
tationumq; & inutilium & improbarum est oc-  
casio, doctis autem, industriis atque prudenti-  
bus ad præclaras, & salutares cogitationes, ad  
liberales occupationes incitamentum & adiu-  
mentum validissimum. Auocat enim sese tum à  
sensibus animus facillimè, atq; intra semetipsū

totus,

totus, sibi que præsens, quam in rem vult, potest expedite, sine vlla remora se intendere. Itaque soleo sæpe tacitus mecū volutare, quod in epistola quadam positum est à Plinio. E. Præcipio locum. Et est sanè laudāndus ob eam rem Plinius. *M.* Postquam, inquit, in Laurentino meo aut lego aliquid, aut scribo, nihil audio quod andisse, nihil dico quod dixisse pæniteat: nemo apud me quenquam sinistris sermonibus carpit, neminem ipse reprehendo, nisi tantum me, cum parum commodè scribo. Nulla spe, nullo timore sollicitor, nullis rumoribus inquietor: mecum tantum & cum libellis loquor. O egregiam & sinceram vitam, ô dulce honestumque otium, ac penè omni negotio pulchrius. O mare, ô litus, ô verum secretumque pasci op. Quàm multa inuenitis? quàm multa dictatis? E. Mihi alterius loci in mentem venit, qui est apud eundem epist. 36. lib. 9. & solitudini commendandæ satis cōuenit. Mirè enim, inquit, silentio & tenebris mens alitur. Ab iis quæ auocant abductus & liber, & mihi relictus, non oculos animo, sed animum oculis sequor, qui eadem quæ mens videat, quoties non videat alia. Aptissimus vtique secessus, aptissima ad contemplationem virtutis & sapientiæ solitudo, in qua vt doctrina auctiores, sic vita meliores euadere quimus. Proinde hanc adamasse tantopere audimus, qui apud priscos mortales celebrem eruditionis, apud Christianos eximiam sanctitatis famam ad posteros transmiserunt. Nota est ἀραχόγνωσις Antonij, Arsenij aliorumq; præterea centum millium. Sensit optimè optimus Seneca, quantum virtuti obstarent congressus & consuetudines. Illius enim sunt hæc, epist. 7. Quid



tibi vitandum præcipuè existimem quæris? turbam. Nunquam mores quos extuli refero. Aliquid ex eo quod composui turbarum, aliquid ex his quæ fugavi redit. Nemo nõ aliquid nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit. M. Si essemus omnes sapientes ac probi, nihil, credo, vel literis nostris, vel moribus officeret versari sæpe cum aliis. Quod contra est: in utroque multa multis, aliquid deest vniuersis. Nonnullos solitudo etiam ad fœdissimas, & cum flagitio implicatas actiones hortatur & inuitat. Nos non modò non audeamus agere occultè, ac sine teste quod palàm non auderemus, verùm ne cogitare quidè quidquam mali. Est enim Deus, qui quæcunque vbi-cunque nos agimus & cogitamus auditque & videt: nihil hunc testem fallit, nihil latet, is cuique merita præmia, cum dies ab omni æternitate præstitutus aduenerit, est persoluturus. Circumferimus præterea ultorè ac testem animum nostrum, qui cõsciùs se remordet, vt inquit Lucretius, quem nunquam effugiemus. Is semper nos vellicabit, & flagellabit, peccatorùmq; admonebit. Illæ sunt quas poëtæ finxerunt Eumenides. Addam M. Tullij diuinam sententiã, qua nihil quidquam religiosius ac sanctius dictum legi. Nobis persuasum esse debet, si omnes deos hominèsque celare possimus, nihil tamen avarè, nihil iniustè, nihil libidinosè, nihil incontinentè esse faciendũ. E. Hic veluti torulus est aureus in corona florea. Hoc profectò est virtutis amore, non pœnarum formidine à factis improbis semetipsum cõercere, sibiq; fræna iniicere.

## ANNOTATIONES.

**S**OLVS SVM, NEC TAMEN SOLVS) *P.* Scipionis Africani est, quod recitat, & commendat eximie principio 3. *Off. M. Tullius.* PLVRIMA RERVM SCRIPTORES) Exēpli & breuitatis causa duo tantum memorabimus. Caligula, quo sol stolidiorem pecudem non vidit, aliquando de nocte principes senatus accersiri iussit, tanquam de rebus necessariis consilium ab iis capturus: ubi conuenerunt, repente magno tibiariū & scabellorum crepitu, cum palla tunicag<sup>3</sup> talari profiliuit, ac desaltato cantico abiit. Incitato equo, cuius causa pridie Circenses, ne inquietaretur, vicinie silentium per milites indicere solebat, prater equile marmoreum, & prae sepe eburneum, praterq<sup>3</sup> purpurea tegumenta, ac monile è gemmis, domum etiam, & familiam, & suppellectilem dedit, quo lautius nomine eius inuitati, acciperentur. Consulatum quoque traditur destinasse. *Hac Suetonius de illa impurissima bellua cap. 54. & 55.* Cetera ille idem pluribus locis, & aii qui Caesarū vitas literis mandauerunt. **V E C O R D I Æ**) *Recordia* apud Terent. *And.* est animus prauus, malignus, & inhumanius, quod vitiū Graci ἀνθρώπων καὶ ἀνθρώπων vocant, cui humanitas vt contraria virtus opponitur. Aliās stultitiam, socordiam, & amentiam sonat, quod norunt omnes. **C I R C V M F E R I M V S P R Æ T E R E A**) *Gestamus* in pectore testē nostrum, vt ait Iuuenalis. Quis ita alium alius atque se quisque cōmonefacere queat? Non potest non audire se, necessario quae intus est ratiocinandi vis. Istam Deus esse voluit quae nostri curam gereret. Istam ducem atque magistrā. Cum enim in memoria tanquam in tabella, quae fecit descripta legit: tum legem in exemplari intuens, seipsam vel honore, vel infamia di-

gnā pronuntiat. **QVAS POETÆ FINXERVNT  
EV MENIDES)** Quod poëta finxerunt sceleratos ve-  
xari, & puniri à furtis, id de tormentis & cruciatibus  
conscientie M. Tullius explicat in Rosciana, his verbis.  
Nolite enim putare, quemadmodum in fabulis saepenu-  
mero videtis, eos qui aliquid impie, sceleratèque commi-  
serint, agitari & perterreri furiarum tædis ardentibus.  
Suū quemque fraus, & suus terror maximè vexat: suum  
quemque scelus agitat, amentiaque afficit: sua male co-  
gitationes conscientiaq; animi terrent. Similia sunt in  
Pisoniana. **SI OMNES DEOS HOMINES QVE)**  
Virum sapientē non peccaturū dicebat Peregrinus phi-  
losophus, etiamsi peccasse eum dii atque homines ignora-  
turi forent. Non enim poena aut infamia metu non esse  
peccandū censebat, sed iusti honestique studio & officio.  
Si qui tamen non essent tali vel ingenio vel disciplina  
prediti, ut se vi sua ac sponte facile à peccando tenerent,  
eos omnes tunc peccare proclivius existimabat, cū latere  
posse id peccatū putarent, impunitatēque ex ea latebra  
sperarent, & c. Gellius lib. 12. cap. 11. **TORVLVS EST  
AVREVS)** Torus cū carnē pulposam musculosamque  
significet, unde torosus, etiam in arboribus & plantis lo-  
cum habet: est enim materies quædam intorta, & veluti  
callū in sese cōvoluta. Et in coronis. Sic enim in illis vo-  
cantur partes seu nodi quidam eminentiores, tortiles.  
Cic. Orat. perf. Aut addit aliquos, sicut in corona toros.  
Plautus Amphit. torulū aureum dixit, pro funiculo ali-  
quo retorto, aut paruo nodo, quo Pseudamphitruo à vero  
Amphitruone discerneret, vn cordon pour chap-  
peau d'or: quod genus pilcis assuitur.

Tum meo patri autem torulus inerit aureus  
Sub petaso: id signam Amphitruoni non erit.

PROGYMNASMA  
 QVADRAGESIMVMOCTAVVM.

*Cultus, & amor Dei.*

PHILOTHEVS, THEOPHILVS.

PHILOTHEVS. Quodnam, Theophile, præcipuum ac summum oportet esse hominis Christiani studium? T. Venerari, & amare præpotentem illum huius immensi operis conditorem, gubernatorem atque dominum. P. Quibus de causis? T. Sexcentis. P. Ede aliquot. T. Cum res omnes, nosque ipsi ab eo simus fabricati, non relinquitur vlla dubitatio, quin cum nos ipsos, tum nostra vniuersa eidem debeamus. Nihil autem tam gratum acceptumque fieri æternæ illi maiestati potest, quam si nos beneficiorum memores ostendamus. Quod quidem præstamus, cum eam castè sanctèque, more maiorum colimus. Deinde, quoniam prior nos dilexit: nec possumus quidquam vel iustius vel fructuosius diligere. Deum etenim amando nos ipsos amamus: ille enim diligentes se diligit, eosque talibus bonis remunerabitur, qualia neque aspectu oculorum comprehendi, neque auribus percipi, neque vlla cogitatione adumbrari queant. Hoc denique maximum & primum illius mandatum est: toto corde, tota mente, & ex omnibus viribus Deum diligere. P. Enumera aliquas rationes, in quibus cultus, & amor erga ipsum elucet. T. Seruare mandata eius per filium nobis exposita. Nam nec hominem dicitur quis amore

prosequi, si eius voluntatem aspernatur, & imperia negligit. Nihil de eo absurdè sentire, vt lo-  
lent qui Catholicæ veritati nefarium atque im-  
pium bellum indixerunt. Hinc Cicero. Nulla  
est erga deos pietas, nisi honesta de numine deo-  
rum ac mente opinio. In omni re eius auxilium  
implorare. Eidem gratias agere in prosperis suc-  
cessibus, nec tantum pro externis, sed etiam pro  
animi bonis, vt virtute, ingenio, & doctrina. Ni-  
hil insuper loqui, quod eius honorem maesta-  
tèmq; imminuere videatur. Atque in his exem-  
pla sanctorum hominum, præsertim Martyrum,  
nos adiuuabunt, qui Dei causa quæcunq; cru-  
ciamenta, ipsamq; mortè, cuius imaginè ocu-  
lis fugimus, mentionè auribus respuimus, quam  
animis auersamur, & sola recordatione perhor-  
rescimus, constantiùmè oppetiuerunt.

---

 ANNOTATIONES.
 

---

**D**EVUS, vt sapientes tradiderunt, rerum omnium  
principium ac finis est. Quocirca illi potius quam  
nobis nati sumus. Atque illi homines demum viuere &  
anima frui vidètur, qui de Deo diuinisque rebus pie lo-  
quuntur, scribunt, sentiunt, actionesque & studia sua ad  
eundem referunt. Hic cultus longe optimus est. Cultus  
autem Dei virtutum nostrarum virtus, sine quo belluis  
nos deteriores esse necesse omnino est. Triplici porò ratio-  
ne ad Deum colendum excitamur. Lege Rhodigin. lib. 9.  
ca. 19. & 20. **SERVARE MANDATA**) Hoc signum  
amoris nostri erga se Christus futurum dixit. Qui habet  
mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Iam  
illi, qui neque seruant, neque seruari posse docent (ὁ τῆς

ἑλασφηνας) diaboli oratores Theodoreto, qui deliramentis suis oblatrant atque obstrepunt veritati, nū diligunt? Verbo quidem, non re. Alioqui mētiri D. Ioannem oportet, cuius illa vox est notissima. Qui dicit se diligere Deum, & mandata eius non custodit, mendax est. **EXEMPLA SANCTORVM)** Qui sanctorū virorum sacros ac pios libros lectitare consueverunt, satis superque norunt, quam flagrans eorum fuerit erga Deum charitas, quam non dictis modo, sed factis etiam testati sunt. Qui non legunt, iis vereor ut vna aut altera sententia in mediū adducta possim quod volo satis declarare, & ante oculos ponere. Veruntamen pro mille Augustini sententiis quin unicam recitem, tenere me nequeo. Da mihi te Deus meus, redde mihi te. En amo, & si parum est, amem validius. Non possum metiri ut sciam quantum desit mihi amoris ad id quod satis est, ut currat vita mea in amplexus tuos, nec aueriat, donec abscondas eam in abscondito vultus tui. Hoc tantum scio, quia malè mihi est præter te, non solum extra me, sed etiam in me ipso, & omnis mihi copia qua Deus meus nō est, egestas est. Confess. lib. 13. cap. 8. Meditat. cap. 18.

## PROGYMNASMA QVADRAGESIMVMNONVM.

*Seruanda erga fæminas.*

*MAGISTER, DISCIPVLI.*

**M**AGISTER. Combibistis præcepta mea, quibus præcepi vobis, quo pacto sitis erga maiores demissi, ac verecundi, erga æquales manfueti, & affabiles, erga minores humani ac

benigni. Nunc superaddam pauca, quæ obseruanda sunt erga fœminas. D. Idipsum exspectabamus vt doceres. M. Mulieres probæ ac honestæ (nam pellicibus, lupis, & iis quarum de pudicitia vno ore omnes non quidem omnia bona, sed omnia mala dicunt, nihil despicabilius: Omnis siquidem mulier fornicaria quasi sterucus in via ab omnibus prætereuntibus conculcabitur) præ cæteris reuerentia singulari dignandæ sunt. D. Cur ita verò? M. Quoniam cum ipsarum nihil sit æquè propriū, nihil adeo iis agnatum vt erubescere, nec vllæ gêmæ, vlla monilia, aurõve intertextæ vestes, nec excellens denique venustas, tantum illis ornamentum afferant, quantum pudor, cauendum adolescentibus, ne quid eiusmodi vel dicto, vel facto, vel gestu, vel alio demum quouis modo designent, quod teneram earum verecūdiam offendat. De via obuiam facti decedetis. Castè eas salutabitis, sine tumultu & immodestia alloquemini, nõ blanda atque infracta loquela, non vllis verborum fucis ac lenociniis. In ipsarū vultibus non morabimini, nec identidem eas respicietis: non quoniam sexum naturamque contemnatis, sed quoniam à periculo & flagitio abesse cupiatis: qua de re etiã est in sanctis voluminibus. Ne conspicias virginem, ne fortè scandalizeris in decore illius. Et mox. Propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hoc cõcupiscentia quasi ignis exardescit. Nec erunt frequentius, nec nisi vel necessariò, vel officij gratia conueniendæ. D. Augustinus, quanta sanctimonia & innocētia Pontifex? fœminarum nullam domum suam ingredi passus est,

est, ne germanā quidem sororē, nec patruī, aut fratris filiam. Tantum abest, vt alias admitteret, aut ipse vltro ad eas adiret, familiarēsque cum iis sermones conferret. Cuius facti sui prudentissimam rationem afferre solebat. D. Quis hoc literis commendauit? M. Posidonius Episcopus dum vitam eius describit, cap. 26. Vitanda est denique diuturnior cum iisdem congressio, præsertim solis, & fugienda quantum sine importunitate, & honestē licebit earum consuetudo, etiam si pudicē, parcē, ac duriter vitam agant. Perdifficile enim est gestare colubrum in sinu, ac non morderi: incedere per ignes suppositos cineri doloso, & minimē vstionem sentire. Nec tam facile est huiusmodi visco & laqueis implicitum sese explicare. Audite Lacretium.

Nam vitare plagas in amoris ne iaciamur

Non ita difficile est, quàm captum retibus ipsis

Exire, & validos Veneris perumpere nodos.

Habendi sunt denique in honore ex præscripto Apostoli, senes vt patres, iuuenes vt fratres, anus vt matres, iuuenulæ vt sorores, in omni castitate, nec contemnendæ viduæ, quæ veræ sunt viduæ.

### ANNOTATIONES.

**Q**VARVM DE PVDCIT. ) Mulieres prostrata pudicitia, & vulgares vocat Sueton. Quæ pudicitiam in propatulo habent. Quæ parum honestè pudicitiam habent. Sallust. Quæ meretricium facinus. Sueton. Multarum nuptiarum. Cicero. Et de matre Æschinis μεθνηγεγυρς γαμυς. Demosthenes. Victor. lib. 21. cap. 3. PELLICIVS, LVPIS) Pellicis no-



men putāt quidam à Græco *παλλακή* profluxisse, unde & Gallicum, vne louue, vne putain. Eam autem antiqui pellicem nominabant, auctore Festo, quæ uxorem habenti nuberet. Cui generi mulierum etiam pœna constituta erat à Numa Pompilio. Sunt qui velint Latinam esse vocem, a pelliciendo: quod huiusmodi fœmina virum à legitima coniuge blandiendo, ac decipiendo auocet, atque ad se traducant. Semper verò ad uxorem, nunquam ad virum refertur. Non enim dicitur Crispus, aut Caius, sed Cornelia, aut Melissa habere pellicem. Factum est tamen scortis omnibus commune. Lupa, inquit Isidorus, à rapacitate vocata, quòd ad se rapiat miseros & apprehendat. Ego existimarim ab auaritia, & bonis amatorum rapiendis, de quo toties Plautus conqueritur, seu à rapacitate sic dici meretrices. Quod insinuat idem Plautus argumento Truculenti

Vi magna seruus est ac trucibus moribus,  
Lupæ ne rapiant domini parsimoniam.

VISERE NOLEBAT) Temperare ab aspectu parum necessario fœminarum presertim quæ sunt concinna ac serena facie, docuerunt nos etiam duo potentissimi Reges. Quorum tamen in hoc illecebrarum genere, ut sciunt omnes, solutiores consueuerunt esse volūtates. Cū apud Cyrum maiorem Pantheam captiuam ut eximia forma pœditam, & vnam omnium totius Asia mulierum pulcherrimam laudaret Araspas regisq; oculis dignam affirmaret. Ob hoc ipsum, respōdit Cyrus mihi ab ea vidēda abstinendum est. Si enim nunc ad eam adiero cum vaco, fortassis deinde ad eandem ventitabo, etiā cum non vacabo. Xenophon lib. 5. de vita Cyri. Alexāder autem uxore Darij Regis à se captam, & filias eiusdem, oculis contingere noluit, ut ait Gellius: qui hoc factum

etum illius cum facto Scipionis in eodem genere, continentia videlicet comparat lib. 6. cap. 8. Iustinus tamen lib. 11. scribit semel tantum Alexandro visam, cum matrem filiasq; eius paruulas frequenter consolaretur.

## PROGYMNASMA QVINQVAGESIMVM.

*Malorum societas.*

MATER, FILII.

**M**ATER. Huc adeste filij, matrique vestrae vacuas aures adhibete. F. Præsto sumus, loquere quæ vis. M. Animaduerti ego vos cum pueris ænopolaë, qui ab hinc biennium commigravit huic viciniae, versari crebrius, eorumque familiaritate & colloquiis impendiò delectari. Sic habetote, ne utiquam placere mihi, vos cõflicari cū illis ingeiiis. F. Ne utiquã? quid ita verò, ô mater? M. Quia liberos meos iuxta claudos habitare non fero, ne ipsi quoque claudicare discant. Nolo, inquam, vos prauorum, malèque educatorum puerorū moribus inficere animos; quia salus vestra mihi, pro eo ac debet, est charissima. F. Quantum nos scimus, sunt non mali. M. Sed quantum ego scio, sunt non boni. Velle tñe assidui esse cum lippis? F. Non. M. Cū balbutientibus? F. Non. M. Cum scabiosis? F. Non. M. Cum pestilentia laborantibus? F. O Christe, ne tantum malum. M. Quare nolitis? F. Eadem ad nos corporum vitia, eadem lues, iidem morbi transfunderentur: sunt enim contagiones istæ, quæ manare solent latius. M. Sic profus animi  
labes,

labes, morbi atque pestes multò etiam facilius ab improbis hominibus in vos deriuabuntur. Si consuetudinem iunxeritis cum auaris, euadetis tenaces ac sordidi: si cum iracùdis iracundi: si cù impudicis libidinosi: si cù tumulentis ebriosi: si cum audacibus proterui: si cù loquacibus garruli. Eodè modo, ne lógum faciã, in aliis peruersitatibus. F. Quales nam ais esse pueros, quorum nobis est auersanda coniunctio? M. Parentibus parum promptè dicto obedientes sunt. Iurare assueuerunt. Ad spectacula leuissima velocius quàm ad templum currunt. Médaciloqui sunt. Obscœnis fabellis cupidius aures dât. Hisce artibus ne colite, néue imbuite ingeniũ. Propter sodales nequam grauitè multi & magni magno casu cecidere. Nec vobis illud in hoc fraudem det, quod pueri sunt. Quamplurimos ego pueros apud orcum æterna expèdere supplicia crediderim. Patris maiorúmque vestrorum moribus, quos vobis identidem cãto, viuite. Si hæc mea capeissetis imperia, multa ad vos confluent bona, & Deº bene amabit, ac tuebitur vos, charissimi filij. M. Monita tua, mater, sequemur, donec animam extremam traxerimus. Nec cõmitteremus, vt ob errata nostra tibi aliquando à nobis ægritudo oriatur. M. Quantum me diligitis, immò quantum Deum amatis, tantum illuc curatote.

---

 ANNOTATIONES.

**M**ALORVM SOCIETAS ) Si consuetudo  
& assiduitas cum morbidis corpori bene affecto  
non

non est salutaris, quoniam communicantur morbi quidam, & ad aliena corpora transfunduntur, longè profecto minus erit salutaris, immò multò amplius erit perniciosus ac pestifer vsus cum hominibus mente corruptis ac vitiosis: quando & citius attrahuntur morbi animorum, & grauiores sanatuque difficiliore sunt quàm corporum. Quid enim si quis per scabiosum scabiosus, per lippum lippus, per tabidum tabidus fiat? quid si ab eo qui pestilentia conflctatur, ipse eandem luem nactus sit? quid hæc mala ad illa animorū? Ad quæ? Ad ebrietatem, impudicitiam, iurandi execrandique morem, ad dolos malos, furta, auaritiam, superbiam. Etiam imprudentes propter assiduam consuetudinem nonnulla vitia didicerunt quidam, tanta est eius vis. Ut Platonis familiaris ipsius gibbum, Aristotelis amici eiusdem lingue hesitantiam imitabantur. Alexandri conuictores flexã cervicem, & asperitatem vocis. Idem euenire in animo statuendū est. Quid inter morbos animi & affectus intersit, docet Seneca, ep. 65. **CONFLICTARI CVM ILLIS INGENIIS**) Terent. And. Nam qui cū ingenis conflctatur eiusmodi, Neque commouetur animus in ea re tamen. Donatus exponit, atteritur, illud addens: conflctatio est tactus corporum inuicē & collisio. Magis verbi huius vim aperient illa Cicer. conflctari molestis; & quod ait lib. de Leg. Non eadem superstitione, qua catere gentes conflctantur. Et Cornif. lib. 4. Homines multis & magnis incommodis conflctantur, propter immensam pecunie cupiditatem. His aliisque locis à me prætermisissis, conflctari valet, agitari, vexari, iactari, affligi, concuti, perturbari. Ingenium autē, est cum pro natura habitu quodammodo, & pro homine toto ponitur, ut & hic locus Terentij probat, & ille Adelph. Dicit id rescitum iri credit, tanisper cauet;

si sperat fore clam, rursus ad ingenium redit. In parte meliorem, ut cum dixit Plinius in epist. Scio quem animum, quod horter ingenium. Et cum dicimus, in Italia esse elegantissima ingenia. Notandū illud Cornif. lib. 2. sin inuerecundum animi ingenium possidet. Sic Cic. Catull, Plaut. Lucret. dixerunt, mens animi. IUXTA CLAVDOS HABITARE) Si iuxta claudum habitaris, subclaudicare discis. Prouerbiū est, quo à cōgressibus conuicliūque malorum deterremur. Hoc pueris praecepit diligenter Plutarchus lib. iam millies nominato, in quo & Pythagoreum symbolum: Ne gusta quibus nigra est cauda, sic interpretatur: significat non cōsuescendū cum hominibus ob malitiam nigris. QVAMPLVRIMOS EGO PVEROS) Quoniam uena peioris omne nefas in hoc aeuum nostrum irrupit, ut i. Metamorph. canit Ouid. verēque dici de saeculo nostro potest: Terra malos homines nūc educat atque pusillos, credibile est pueros frequentes deuolui ad inferos. Habet hodie locum querela Fabij. Utinam ( inquit cap. 2. lib. 1. ) liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus. Infantiam statim deliciis soluimus. Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, neruos omnes & mētis & corporis frangit, &c. Mirum porrò in iureiurādo, balphemis, & diris iaculandis eos quantumuis paruos, & penē adhuc maternis vberibus inhiantes tam exercitatos esse. Rem horrificā recenset in dialogis de quodā huiuscemodi puero D. Gregorius, cui diabolus exerationes funditanti animam extorsit, sedenti in paterno gremio. ME DILIGITIS, DEVM AMATIS) Vis maior inest in verbo amare, quam diligere, quod lenius est. Hoc ex adscriptis ē Cicerone locis perspicuum faciemus. Epist. 14. lib. 9. Quis erat qui paruret ad amorem, quem erga te habebam, posse aliquid accedere?

dere? Tantum accessit, ut mihi nunc demum amare videar, antea dilexisse. Epist. 47. lib. 13. Ut scires, cum non à me diligì solum, verum etiã amari. Epist. 1. ad Brutum. Clodius Trib. pleb. def. valde me diligit: vel ut equatiorè pop. dicam, valde me amat. Vide insuper ad Att. epist. 19. lib. 14. Terent. item tanquam diuersa posuit Eunucho. Non pol quo quenquam plus amem, aut plus diligam, eò feci.

PROGYMNASMA  
QUINQVAGESIMVMPRIMVM.

*Minutiora peccata.*

*NUTRICVLA, ALVMNVS.*

**N**UTRICVLA. Dies Veneris est. Num tu, Basiliole, institutionibus Christianæ fidei dedisti operam in gymnasio? A. Quorsum hoc, mea nutritrix, quorsum? N. Velim non ignorare, qua in parte illius libelli discenda occupêre. A. In capite verfor, quod de peccatis inscribitur: illud explicari cœptum est à didascalo. N. Odistine peccata? A. Et quidem supra modum. N. O egregiam & præclaram virtutis indolem: gaudeo immortaliter. Quasi à facie colubri fuge illa. Dentes leonis dentes eius, interficientes animas hominum. sed quæ peccata sic detestaris? A. Superbiam, auaritiam, luxuriam, iram, gulam, inuidiam, acediam, quæ capitalia, mortifera, seu lethalia dici mos obtinuit. N. Nō alia insuper? A. Etiam homicidium, sacrilegium, idololatriam, hæresim, vsuram, periurium, proditorem, & istis magnitudine æqualia, quæ in præ-  
sentia

sentia nō occurrunt. N. Hæc, & infinita quæ reliquisti, grauiissima, sempiternisq; sæculorū ætatibus apud inferos luēda sunt. At tu, fili, leuiora ista fortasse cōtemnis, nec odisti. A. Quæ? N. Citra sitim bibere, delicatioribus, epulis vētriculum distendere, parentibus nummulos, sodalibus globulos aut ligulas furari, comparare se & præferre ingenio condiscipulis, loqui quantū & quando libet, affirmare falsa, inficiari vera, libenter agere cum mulieribus non cognatis, lædentem vicissim lædere, inuitum sæpius per annum, & oscitantem de noxis confiteri, tempus otio conterere, & id genus alia. A. Non amo ne ista quidem: & magister seridō nos hortatus est, vt vitaremus parua, si vellemus maiora effugere: nam ex illis ista generari. Scintilla, inquit, quantilla res est? & tamē neglecta fit ignis, qui domos, syluas, ciuitates depascitur. Qui modica spernit paulatim decidet. Et rursus Ouidius.

Principiis obsta, seridō medicina paratur.

Cum mala per longas conualuere moras.

N. Obtempera igitur cohortationibus istis, nec modo in iis, quæ aduersus Deum, verū etiam, quæ contra homines, contraque morum commoditatem committuntur caue pusilla, ne grādiora & robustiora fiant, quæ aliquando, etiā si maximè contendas, propter inueteratam cōsuetudinem deserere non queas; vt mane faciem & manus non abluere, vestimenta non purgare à pulueribus, nō salutare obuios, cachinnum tollere, respondere impatientius, ingredi aut nimium tardè, aut nimium festinè, non gratificari cuiquæ in rebus facilibus, & huiusmodi plura, quæ

quæ te non fugiunt summa spe & animi, & ingenij præditum adolescentulum.

ANNOTATIONES.

**S**Copus progymnasmatum est, ut in moribus tam civilibus, quam Christianis lenia, & parva deuitare conemur, ne ipsorum contemptio atque neglectus ad maiora & grauiora sensim nos deducat. Solent enim neglecta incendia sumere vires, ut ait Horatius epist. 18. lib. 1. Nemo repente fuit turpissimus, inquit Iuuenalis. Nec in moribus duntaxat singulorum hoc præceptum obseruatum est utilissimum, sed ciuitatum quoque, & imperiorum maximorum institutis. Hinc Sallustius Rempub. Romanam paulatim immutatam, & ex pulcherrima flagitiosissimam factam conqueritur, & quomodo facta sit, disertissime docet. Linius similiter in præfat. Labente deinde paulatim disciplina, velut dissidentes primo mores sequatur animi: deinde ut magis magisque lapsi sint: tum ire cœperint precipites, donec ad hæc tempora, quibus nec vitia nostra, nec remedia pati possumus peruentum est. Nec debemus hoc officium docende virtutis alienum à muliebri sexu existimare, ut pueros inquam erudiant, nutrices præsertim atque matres. Pulchrum est enim, ut iisdem animorum quoque alimenta de suis animis suppeditent, quorum corpora de suis corporibus aluerunt. Chrysippus quidem nutrices, si fieri posset sapientes optauit: certe, quantum res pateretur, optimas eligi voluit. Quintil. lib. 1. cap. 1. In tragædiis tanquam consiliarias, & magistras induci eas videmus. Norunt præterea studiosi, quem honorè Caieta nutrici suæ Æneas habuerit. Tu quoque littoribus nostris, &c. ut nobis etiam nostras omni obseruantia colendas, ac veluti germanas matres tractandas arbitremur. Addamus hoc



quasi quoddam corollarium, Plauto etiam nutrices dici matres, sed matres quæ mammam dant: & illas alias, matres quæ pepererunt. Versus subiiciã ex Menachimis.

Ei sunt nati filij duo gemini,

Ita forma simili pueri, vti mater sua

Non internosse posset, quæ mammam dabat

Neque adeo mater ipsa, quæ illos pepererat.

## PROGYMNASMA QUINQVAGESIMVM SECVNDVM.

### Libelli scurriles.

SEMNOPHILVS, PHILOLESCHVVS  
pueri, MAGISTER.

SEMNOPHILVS. O facinus animaduertendum. P. Ah, sile. S. Non sileo. P. Per tuam misericordiam oro, ne indica. S. Surdus sum. Præceptor, iste apud se habet Marcolfum. M. Hem, Marcolfum? Illúmne iocularum libellum? S. Reuera illum ipsum. M. O te leuissimum, & plenum ineptæ curiositatis puerum. Non solum hoc nugarum domi tuæ legis, sed etiam in gymnasium tecum portare, & in hoc virtutis ac sapientiæ, non leuitatis & inanitatis officina legere audes? P. Nihil continet mali. M. Parum hoc tibi patrocinator: nihil continet mali, si nihil continet boni. Porrige protinus. P. En. M. Aspiciate hunc, pro Rudimentis, pro Catechismo suo voluit Marcolfum. P. Animi gratia tantum lego. A. Audio. Tu in schola legis quædam animi gratia? an huc ventitamus tanquam ad visendos saltatorum choros, aut equestres ludos, aut cõgressus athleticos animi gratia? Habes de hac turba alios?

allos? P. Non habeo. M. Attamen nosti præterea quosdā. P. Noui. M. Scilicet. P. *Eulēspiegel, Schimpff und Ernst, Fortunati VVunschhuelin, Rollwagen, &c.* M. Euoluisti tu hæc figmenta? P. Bonam partem singulorum. M. Cum fructu profectò tempus collocasti. Quod potissimum inde emolumentū excepisti? P. Nescio. M. Si tu nescis, iuxta tecum nescio. P. Nisi tamen sæpissime risi, & quidem effusè. M. O libros non libros, quorum vnica laus, excitare solutissimos risus. Vellem tamen hos solum excitarent, non etiam ad alia incitarēt. Accipite animis quæ dicam. Cuicumque vestrū similes libelli sunt, si alieni, restituat quāprimum; si proprij, ad me afferat, aut in ignem infœlicibus vstulandos lignis coniiciat. Nam si quem eos lectitare cognouero, is vapulabit liberaliter. Multa in iis ioca, sæpe frigida, agrestia, insulsa, turpia. Amatorijs narrationibus redundant, Ecclesiæ cærimonias, sacerdotes, monachos, Deo dicatas virgines, sacramenta, fidem denique Catholicam petulantissimè irritent, animi partes maiores à virtute detorquent, & ad omnem leuitatē impudentiamq; duces sunt. Scio extare in Germania nostra alios libellos, quorum ficta sunt argumēta, quorum scopus ac finis utilis & honestus est, in quibus nihil ineptum, friuolum, maledicum ac sordidum, eos legere non veto. Tamen vti bellaria eduntur in conuiujs: nec id in hac ætate, in qua vos estis, verum in maturiore, quæ consilia scriptorū videre, vnamquamque rem suis ponderibus examinare, ficta à veris, honesta à turpibus, grauia à scurrilibus, vtilia à damnosis secernere potest.

Tales sunt fabulæ poëtarū plurimæ. Tales ipsi-  
met poetæ, vt Homerus, & Virgilius, in quorum  
poematis plura excogitata quàm vera, & tamen  
grauitatis ac sapientiæ refertissima. Tales deni-  
que aliquot apud Latinos & Græcos prudenter  
& ingeniosè excogitatæ historiæ. Libros ab hoc  
Marcolfi discipulo nominatos, eorumque affi-  
nes puto à viris grauibus, & honestatis amanti-  
bus legi nō solere. Quanto minus legendis sunt  
pueris, nisi in perniciem suam faciles esse velint?  
Nam eorum ingenia cerea ac tenera cum sint,  
paullo momento vt in bonum, sic in vitiosum  
habitum formari consueuerunt.

---

### ANNOTATIONES.

**Q**uid tandem caussa est, cur, cum aliquid honestè  
grauiter, eruditè aut scriptum legimus, aut verò  
dictum audimus, non ita firmiter animis retineamus, vt  
ineptissimas fabulas, narrationes ridiculas, parum pudic-  
cas, sermones denique nullius frugis? Horū obliuisci non  
possumus, post annum vicesimum & tricesimum, per o-  
mniam vitam recordamur. Et, si quando est opportuni-  
tas, non est finis commemorandi: tanta suppetit beni-  
gnitas. Quin etiam ad illa præclara & bona legenda o-  
zium pene nullum inuenire possumus, ad ista verò sem-  
per aliquid datur subsœcini temporis. Quæ, inquam, hu-  
ius rei caussa est? quæ corrupta & peruersa natura no-  
stra, & sensus hominis ad deteriora quàm ad meliora  
promiores ab adolescentia sua. Lysimachus dux inter Ge-  
tas siti cruciatus, cum exercitu sese hostibus dedit ob-  
haustum frigida. Cum bibisset, Dy boni, inquit, quàm  
breuis voluptatis gratia quantam felicitatè amisisti? Sic

nos propter modicam, & impuram, aut certè puerilè, & inanem prorsus voluptatem, quam in scurrilibus libellis queritamus, thesaurum ingentem, immò thesauros, tempus videlicet, & mètis integritatem atque innocentiam amittere non dubitamus. NISI TAMEN SÆPIS-SIME RISI) Nisi, valere sed, innumeris penè locis è (Cicerone, Terentio, Plauto, Gellio, Plinio productis ostendit) Aldus Manut. Pauli F. scholius in Ingurtham Sallustij. INFOELICIBVS VSTVLANDA LIGNIS) Catull. epigram. 34. Infœlicia ligna vocat, quæ essent vstura annales Volusij, quos eodem carmine mirabiliter poëta contemnit: vstura, inquam, adeo ineptum & malum librum pessimi poëta. Cicer. item pro Milone eadem appellatione vsus est, ob ministerium longè vilissimum, quod subire debuerint, vstionem scilicet latronis ac parricide P. Clodij. Tu P. Clodij cruentum cadauer eiecisti domo: tu in publicum eiecisti: tu spoliatum imaginibus, exsequiis, pompa, laudatione infœlicissimis lignis semiustulatum nocturnis canibus dilaniandum reliquisti. Apud Lium lib. 1. in historia M. Horatij, qui sua manu sororè interfecerat, in illo: Arbori infœlici suspendito, alia quadã notatione hoc verbum capitur. Ideo nempe infœlici, quod fortissimum virum, patriæ liberatorem à se pendentem deberet sustinere. Sic infœlicia ligna dicemus, è quibus ad libros hereticorum incendèdos rogi componitur. PLVRA EXCOGITATA QVAM VERA) Vocabulo ποικίλη, vnde poëtica, tam fingendæ quàm faciendæ subiecta est significatio, desiniturque poëtica, ars qua numerosa oratione ad docèdum vita vsu actiones hominum imitatur. Fictio porro magis, quàm carmen poëtam facit, cuius magis est proprium imitari, in quo inest fictio, & quod sine fictione fieri non potest: immò, quod ipsum totum sapius est fictio. Itaque Plutar-

chus de aud. poet. Sacrificia quadam nouimus choris & tibiis carentia, poësin fabularum & figmentorum expertem non nouimus. Nam Empedoclis & Parmenidis versus, Theriaca Nicandri, & sententia Theognidis orationes sunt, ut pedestris humilitatem incessus effugerent, granditatem & mensuram à poëtica pro vehiculo mutuata. Neque igitur Lucretium, neque Manilium in poëtis numeraret Plutarchus. Verùm de his agere, prescius & enucleatius, non est huius loci.

PROGYMNASMA  
QUINQUAGESIMVM TERTIVM.

Otium.

RATVS, NEPOTIANVS.

**A**RATVS. Quid agit Nepotianus? N. Otiũ.  
A. Mallem te nihil agere, quàm otiosum esse: id enim aliquanto remotius est à malo. N. Dulce est otio frui. A. Dulcéne etiam animo & corpore vitari? N. Quid hic narrat? A. Veritatem scilicet. N. Iucundum est vacare laboribus. A. Quin tu ergo illis vacas, & hac iucunditate perfrueris? Cur ista desidia tua spem ad summa perueniendi deseris? N. Carere laboribus iucundum esse dico, ne quid ambiguitatis in verbo relinquitur. A. An tibi iucundum esse potest, hebetari intelligentiam, imminui & carpi memoriam, mentē tuam, sicut ferrum quod non excetetur, occupari situ & rubigine, lāguere & marcescere, ac dissolui mēbra omnia, & quodammodo putrescere & fœtere, vt aquas, quę nunquam mouētur? N. Tale nihil sentio. A. Nisi ad frugem applicas animum, nisi abs te semoues otium, &  
hęc

hæc incommoda sensurus es, & alia præterea  
incommodiora. Tuæ cogitationes non erunt ni-  
si de somno, de ventre, & iis quæ sub ventre  
sunt. In morbos & in flagitia delabêris. In desi-  
deriis enim est omnis otiosus: nō bonis utique,  
sed improbis desideriis: & multa mala docuit  
otiositas. Nec non verè & acutè Ennius,

Otio qui nescit uti, plus negotij habet

Quàm cum est negotium in negotio.

Nam cui quod agat institutum, nullo negotio

Id agit: studet ibi, mentem atque animum delectat suum.

Otioso otio animus nescit quid velit.

Adhæc eris omnium hominum naturarumque  
dissimilis. N. Meliora Christe. Quid ita tandem?

A. Naturæ omnes agunt aliquid. N. Quomodo?

A. Cæli rapida conuersione circum terram assiduò  
voluuntur, nec ad punctum temporis consistunt. N. Certè. A. Elementa sese vicissim agitant,  
& ad corpora efficienda congregantur: ac

ne sint sterilia, pariunt, terra fruges, aqua pisces,  
aër niues, grandines, imbres. N. Res mira. A. Pe-

cudes aut attōdent gramina, aut pallentes ruminant  
herbas. Volucres per æthereos campos di-

uagantur, cantuque genus humanum demulcent. Pisces patriis in vndis  
luditant, sursum ac

deorsum, huc illuc natant. Vermiculi reptant,  
formicæ & apiculæ operibus suis distinentur.

N. Quid deinde? A. Deinde nolo te quidquam  
interloqui. N. Tacebo vt statua. A. Hominum

alij imperant, alij imperata exsequuntur. Tu,  
& tui similes tantum numerus eritis, & fruges

consumere nati? prorsus, inquam, fruges consumere  
nati. Nam, vt Menander ait, homo otiosus

quàm febricitans longè infœlicior: bis enim

tantum comedit inutiliter. Quid nunc? quid est? quin respondes quid factururus sis? N. Ego aggrediar ad laborem, quando videbitur. Tu mihi fac desinas exhibere negotium: istis que dictis phaleratis supersedeas. A. O telluris inutile pondus. Si equi & boues loquerentur, te vita indignum clamitarent: quoniam viuere tibi est edere & bibere. Nec dorso tuo vt asini, nec carnibus tuis vt bouis, nec lacte tuo vt vaccæ, nec caseis tuis vt capræ, nec pelle tua vt vulpis, nec lana tua vt ouis, nec vigilantia tua vt canis, nec fecunditate tua vt serophæ, nec pullis tuis vt gallinæ, nec plumis tuis vt anseris, nec cātibus tuis vt merule, nec pennis tuis, vt phasianis vti possumus.

#### ANNOTATIONES.

**D**RACO qui leges dedit Atheniensibus, tanto tempore dilexit otiosos, vt capite puniendos sanxerit. Sed ad vituperationem huius mali quamuis afferi possint multa, & impleri trecenta pagina, tamen illud (ic. 2. de nat. Deor. in presens sufficiat. *M*ihi enim, inquit, qui nihil agit, esse omnino non videtur. **N**IHIL AGERES, QVAM OTIOSVS) Plinius ep. 9. lib. 1. Satius est enim, vt Attilius noster eruditissime simul & facetissime dixit, otiosum esse, quàm nihil agere. Id est, vacare omni munere & occupatione potius, quàm agendo nihil proficere. Nos hunc ipsum locum respeximus, volumusque melius esse aliquid agere, quàm nihil proficere, quàm penitus cessare, & inter viuos tanquam mortuum obambulare. **V**T AQUAS QVAE NVNQVAM MOVENTVR) Ouid. de remed. amoris.

Cernis vt ignauum corrumpant otia corpus,  
Et vitium capiant ni moucantur aquæ.

PER

PER ÆTHEREOS CAMPOS) Mare Plautus  
 Neptunios campos dixit Trinum. Puto me eandem vo-  
 cem de cœli spatii legisse. Veruntamen nihil affirmo.  
 Equor cœli, ut maris & terra dici probat in Catull.  
 Muretus. FORMICÆ ET APICVLÆ) Mira  
 sunt, quæ de utraque bestiola literis magni auctores pro-  
 diderunt. Utraque symbolum industrie & laboris est.  
 Ad formicam quidem à Sapiente piger mittitur, tan-  
 quam videlicet ad magistram. VIVERE TIBI  
 EST EDERE) Socrates aiebat se idcirco edere ut  
 viueret, non ideo viuere ut ederet. Alij sententiam sic  
 conformarunt. Esse oportet ut viuas, non, viuere ut edas.  
 FOECVNDITATE TVA VT SCROPHÆ)  
 Cic. 2. denat. De or. Sus verò quid habet præter escã? cui  
 quidem, ne putresceret, animam pro sale datã dicit esse  
 Chrysippus. Qua pecude, quod erat ad vescendum ho-  
 minibus apta, nihil genuit natura fecũdus. De otio vi-  
 tando & hoc subiiciam propter adolescentes. Gymno-  
 sophista apud Indos, mensa constrata, priusquam ciba-  
 ria apponerentur: discipulos adolescentes è diuersis lo-  
 cis officiisque ad dapem conuenientes interrogabant,  
 quid boni ab exordio lucis vsque in illam horam fecis-  
 sent. Cum quisque suum factum commemoraret, qui  
 nihil dicere de se poterat, impransus exire, & aliquid  
 operis faceis iubebatur.

## PROGYMNASMA

QVINQVAGESIMVM QVARTVM.

ΦΙΛΑΤΙΑ, seu cæcus amor sui

ΛΑΜΠΑΔΙΣCVS, PHILOMETRIVS.

**L**AMPADISCVS. Quod in ré amborum fu-  
 turum est olim, cum yberioré doctrinæ mel-



sem collegerimus, id tibi narrare meditor Philometri. P. Deus te adiutet, narra, do operam sedulam quamdiu vis, & dabo quando volueris: narrationes vtilis optatæ mihi sunt & charæ. L. Adolescentiorem hominem sibi de literis suis etiam atque etiam placentem plaudentemque, & præ se parui pendentem alios, audiui cum reprehenderet vir æui maturus, probus, & sapiens, quicū patri meo magnus fuit vltus. P. Vbi is vir degit? L. Ciuis est meus, tibi parum cognitus. P. Quod scientiæ genus colit? L. Omne genus artium studiorumque tractauit, in philosophia tamen plus olei consumpsit. P. Ordire. L. Longior fuit oratio, summam quandam ex me accipies. P. Vt vis. L. O adolescens, inquit, quāto melior, Deoque & hominibus gratior est modesta ignorantia, quā superba sciētia? Noli tute tibi verba dare. Noli te in fraudē induere. Qui se sapientē credit, longe à sapientia distat, & hoc longius, quo minus quantum distet intelligit. Summum discendi incitamentum est putare semper se parum scire, multa ignorare. Quod isti admiratores sui facere prætermittunt, ac proinde vltra procedere non ita curant, quoniam se ad metas aut peruenisse omnino, aut propemodum peruenisse existimant, bene consulentibus aduersantur, admonentibus repugnant, aliis non credunt, suas opiniones pro oraculis suspiciunt. Sic aditum sibi ad augusta illa sapientiæ templa intercludunt. Nulla hac, vt virtutis & rectè factorum, sic literarum est maior capitaliorq; pestis. Hæc caussa est, quamobrem in quouis genere disciplinarum perpauci excellant; amor sui  
nempe,

nempe, & falsa doctrinæ persuasio, qua se complures deludunt. Nō cum iis quos superauimus, sed cum his, quibus adhuc minores indoctioresque sumus, nos comparemus; vt qui curriculo puluerem Olympicum colligunt, non sequentes, quos superauerunt, sed antecedentes respiciunt, quos superent. Ita si agere instituerimus, non tollemus spiritus. Videbimus enim longissimo interuallo abesse nos ab illorum præstantia, quos omnis est admirata & admirabitur posteritas. Poëta es? quid tu ad Virgilium? quid ad Horatium? Orator? quid ad Ciceronem, quid ad Demosthenem? Mathematicus? quid ad Euclidem, quid ad Archimedem? Iuriscōsultus? quid ad Scæuolas, quid ad Papinianos? Philosophus? quid ad Aristotelem, quid ad Platonem? Theologus? quid ad Thomam Aquinatem, quid ad Augustinum? Si quis in oppidulo aut municipio cum primum dignitatis locum obtineat inter pauperes, infimæque classis homines, idcirco se circumspiceret, ac sese in suis ipse oculis ferret, in magnam autem, & nobilissimis opulentissimisque ciuibus refertam ciuitatem aliquādo ingrederetur, vbi se videret vix cum postremis posse conferri, nōne is vela summitteret? nōne ab arrogancia desisteret? Eadem ratione inter indoctos esse doctum, & inter pueros virū, inter pumiliones lōgum, inter cacos videntem non est singulare. Reputa item quanta sit scientiarum amplitudo, quā incredibilia spatia, quanta in vnaquaque rerum & inuentarum, & adhuc inueniendarum immensitas, ac nequaquam fatuum fuisse puta, qui se nihil scire testatus

tus est, cum tam multa sciret, ut omnis philosophiæ fons, & philosophorum pater habeatur. Hæc memini, & ista præcipua capita reprehensionis illius fuerunt. P. Philosophica, & plena utilitatis oratio. Quid adolescens? mutauit mentem? L. Non æquè ut à principio Thraſonicè confidèterque verba ferebat. Verùm quasi nobis hæc dixerit, ita accipiamus. P. Non insipienter moris: nos enim adhuc homines sumus.

---

### ANNOTATIONES.

**N**ON solum manifesta ostentatio, sed etiam tectior & obscurior summet commendatio displicet auditibus. Hinc Plinius de oratione quadam sua ep. 8. lib. 1. onerabit hoc modestiam nostram, etiamsi stilus ipse pressus demissusq; fuerit, propterea quod cogimur, cum de munificentia parentum nostrorum, tum de nostra disputare. Anceps hic & lubricus locus est, etiã cum illi necessitas lenocinetur. Etenim si aliena quoque laudes parum æquis auribus accipi solent, quàm difficile est obtinere, ne molesta videatur oratio de se aut de suis differētis? Nam cum ipsi honestati, tum aliquanto magis gloriæ eius prædicationiq; inuidemus: atq; ea demum rectè facta minus detorqueamus & carpimus, qua in obscuritate & silentio reponuntur. In ead. epist. I] verò qui benefacta sua verbis adornant, non ideo prædicare quia fecerint: sed ut prædicarent fecisse creduntur. Sic quod magnificum referente alio fuisse ipso qui gesserit recensente vanescit. Quintil. li. 11. cap. 1. pulchre causam affert, quare odio quodam incitemur in eos, qui se iactant, faueamus autem iis qui se ipsi deprimunt. Habet enim mens nostra sublime quiddam & erectum, & impatiens  
superio

superioris. Ideoque abiectos aut summittentes se libenter  
 alleuamus, quia hoc facere tanquam maiores videmur:  
 & quoties discessu amulatio, succedit humanitas. At  
 qui se supra modum extollit, premere ac despiciere cre-  
 ditur, nec se tam maiorem, quam minores ceteros facere.  
 Hac aduersus ostentatores & περιουλοδους genera-  
 tim. Contra φιλαυτίας litteratorum satis in progymnas-  
 mate disputatum est. CURRICULO PVLVE-  
 REM OLYMPICVM) Quod scribit Horat. Sat.  
 1. libro 1. de auaro, non solere ipsum cum tenuioribus se  
 conferre, ut cum à se videri iam copius superatos, rei  
 exaggeranda & amplificanda modum faciat, sed cum  
 ditioribus, ut ita semper congerere pergat: sicut qui in  
 ludis olympicis postquam è carceribus dimissa sunt qua-  
 drige, qui secundo aut tercio loco currunt, non respiciunt  
 quos praterierint, sed eos qui antecedunt, quibus conan-  
 tur pares esse, ac deinde priores; hoc totum non inepte ad  
 literatos accommodabitur, & tanquam preceptum ali-  
 quod ipsis proponetur. Versus sunt hi.

Vt cum carceribus missos rapit vngula currus,  
 Instat equis auriga suos vincentibus, illum  
 Præteritum temnens extremos inter euntem.

PRIMVM DIGNITATIS LOCVM) Digni-  
 tas est alicuius honesta, & cultu, & honore, & verecun-  
 dia digna auctoritas. Cic. 2. de Inuent. THRASO-  
 NICE, CONFIDENTERQVE) A confidentia  
 & iactatione omnes gloriosi vocantur Thrasones. Vide  
 quid ille miles de se in Eunuchò prædicet apud Teren-  
 tium, & Pyrgopolinices apud Plautum in Milite glo-  
 rioso. Item ille in Truculento Stratophanes. Fideus por-  
 rò & fidentia in laude ponuntur: confidens & confiden-  
 tia mala consuetudine loquendi sunt in vitio, ait Cic. 3.  
 Tuscul. Itaque Terent. Phorm. Est parasitus quidem  
 Phor

*Phormio*, homo confidens, quod di omnes illum perdant. Exponit Donat. improbus, audax, temerarius.

VERECUNDIA ET  
EIVS EXTREMA.

PROGYMNASMA  
QVINQVAGESIMVM QVINTVM.

*Natura verecundia.*

ÆDESIMVS, MISADOXVS.

ÆDESIMVS. Ne tibi istuc tam nouum atque insolitum appareat Misadoxe, quod asserui non esse vnam de virtutibus verecundiã. M. Quî tandem non appareat, cum tam multis, & à tam multis doctis indoctisq; pariter commendetur? Æ. Laudantur & aliæ res, placentque hominibus communiter, quas si cõtinuò virtutes numerare velimus, augendi sint nobis Philosophorum commentarij, quibus de virtutibus explicatum est. Et illorum peculiare munus ducitur, disputando quærare ac decernere quid in virtutibus sit, quid non sit. M. Quid ergo tu verecundiam esse statuis? Æ. Perturbationem seu affectionem quandam, siue permotionem animi, non firmum ac stabilem habitum. M. Hoc tu rationibus probes necesse est. Æ. Nihil proliuius. M. Accommodo aures. Æ. Vti metus, qui in asperis formidolosisque rebus cernitur, ita nascitur & existit verecũdia, & est illius species quædam

quædam. Nam quemadmodum qui mortem instantem, aut aliquod magnum vicinumque malum metuunt, solent expallescere: sic qui ob rem aliquam pudendam verecundia seu pudore afficiuntur, erubescunt. Ex quo manifestum est, utrumque ad corpus quodammodo pertinere; & quomodo metum seu timorem, sic etiam pudorem esse motum animi turbidum duntaxat, non autem constantem habitum, cuius non ita, velut perturbationum, proprium est mutatione corporis indicari. M. Vnum ex altero clarescit, & res accendunt lumina rebus, ut est apud Lucretium. Æ. Quid quod verecundia etiam decet pueros, & in his inuenitur, quibus tamen virtutes veræ seu propriè appellatæ haud conueniunt? Nam ut arborem teneram agricola fructiferam vocare non solet, priusquam fructum tulerit: spem bonam de ea tantum interea concipit: sic tu puerum & adolescentem ex verecundia, quæ futuræ virtutis ac probitatis expectatio & spes est, non ex virtute iam adeptæ bonum appellabis. M. Verecundari pueros, & eximias congeri laudes in adolescentulos verecundos nemo est qui nesciat. Sed quoniam hoc natura potius quam ratione iudicioque contingit, à testare faterique cogor, non esse in ipsis cum virtute coniunctum, ob inhonestum aliquid rubore perfundi. In adultis porro, etsi id antea concessi, nihilominus, si paterere, libèter calculum reducerem, ac virtutem esse affirmarem. Æ. Appellemus virtutem, dum intelligamus nos in eo vulgi, non philosophorum, in primisque Peripateticorum tenere consuetudinem. M. Hoc mihi

mihi si permittas, æquiore animo te auscultabo.  
 Æ. Alio qui verè affectionem omni laude dignā,  
 virtuti affinem, ei que copulatam, semiuirtutem,  
 seu inchoatā virtutem, ex honesti desiderio, &  
 infamiæ metu progenitam (quæ quidem virtu-  
 tis proprietates, & quasi quædam incitamenta  
 ad eam, & calcaria videntur) nominare possis.  
 M. Arripio quod das, arrepturus etiam plura si  
 dederis. Sic enim capior verecūdia, sic recreor,  
 sic delector, vt satis explicare nequeam. Nec mi-  
 rum, odi enim dedecus mirabiliter. Æ. Mearum  
 partiū es. Quin & in hac perturbatione tria il-  
 la videre licet, quæ in germanis virtutibus. M.  
 Quomodo? Æ. Est in illis medium seu mediocri-  
 tas, sunt extrema duo, quorum vnum in defe-  
 ctione, alterum in exuperantia consistit, & hæc  
 sunt vitia. Liberalitas est moderata pecuniarum  
 largitio, cui repugnat tenacitas, quæ parum aut  
 nihil, & profusio, quæ plus æquo largitur. Simi-  
 liter verecundiæ contraria est impudentia, qua  
 fit, vt minus quā oportet, aut nihil omnino nos  
 pudeat; & quam Græci vocant *δυσωπία*, immo-  
 dica scilicet ac vitiosa verecundia, de qua Plu-  
 tarchi habemus syntagma. M. Exspecto iam de-  
 finitionē verecundiæ: etsi non difficilè ex dictis  
 abs te colligitur. Æ. Est molestia quædā, & per-  
 turbatio animi, orta ex malis, quæ dedecus &  
 ignominiam inurere videantur: iis que aut præ-  
 sentibus, aut præteritis, aut futuris. M. Quis eā  
 his verbis definiuit? Æ. Magister accuratissimus  
 Aristoteles in secundo de arte dicendi. M. Hinc  
 patet ad omnia tempora pertinere verecundiā,  
 quod mihi velim explanes. Æ. Ad præses quidē,  
 vt si

vt si quis in furto deprehendatur, erubescet. Ad præteritum, vt si quis cum animo suo recorderetur, se aliqua impura libidine fuisse aliquando contaminatum: aut si cuiquam turpe quiddam hoc illóue loco, heri, nudius tertius, ante mensem & annos perpetratum obiiciatur. Ad futurum, vt si puella regia homini plebeio se audiat vxorem commissum iri, quemadmodum Electram Agaménonis Euripides colono locatam esse fingit. M. Ad hanc finitionem intelligendam amplius nihil requiro.

## ANNO TATIONES.

**I**LLO RV M PECVLIARE MVNV S) Philosophia enim in tres partes distributa est, in natura obscuritatem, in differendi subtilitatem, in vitam atque mores. 1. de Orat. & 1. Acad. quest. Et in 2. Tuscul. Ut enim si Grammaticam se professus quispiam barbaramente loquatur: aut si absurde canat is, qui se haberi velit musicum, hoc turpius sit, quod in eo ipso peccet, cuius proficitur scientiã: sic philosophus in ratione vite peccans, hoc turpius est quod in officio, cuius magister esse vult, labitur, artẽq; vite professus, delinquit in vita. **P**ERTVRBATIONEM, SEV AFFECTI ONEM) In Categoria Qualitatis Aristoteles tertium genus (plura enim sunt) patibiles qualitates & passiones constituit. Et cum habitum dicat esse quiddam permanens ac diuturnum, quòdque nisi magna mutatione facta à morbo, vel aliquo eiusmodi à subiecto amoueri non possit, vt scientia & virtutes, quæ ab iis sunt quæ facile & citò corriguntur passiones vocat, vt si quis molestia affectus irascatur: talis enim dicitur quidpiam passus esse. **C**ALCVLV M REDVCEREM) Reducit calculum, qui consilium,



factum, sententiam mutat. Sumptum à ratiocinatoribus. Omnia porro hæc, ad calculos vocare, reuocare, mouere calculos, ponere in utraque parte calculos, accedere, decedere, detrahere calculum ut μεταφορικῶς, ita παρομιανῶς efferuntur. VNUM IN DEFECTIONE, ALTERVM IN) Excessū & defectū Latinas esse voces concedens Victorius, negat iis rectè ab Aristotelis interpretibus conuersa ὑπερβολῆς & ἑλλείψεως, qua verba frequentia sunt apud Peripateticos. Melius Ciceronem reddidisse per nimium & parum. *Vi. Off.* Nunquam enim iratus qui accedet ad pœnā, mediocritatem illam tenebit, qua est inter nimium & parum: qua placet Peripateticis. Et in *X. Philipp.* Esi in illius viri consiliis atque factis nihil, nec nimium nec parum fuit unquam, & c. lib. 19. cap. 9. ELECTRAM AGAMEMNONIS) Subaudi filiā. Talia sunt, Deiphobe Glauci de Sibylla. Ajax Telamonis. Hectoris Andromache, ubi subintelligitur, vxor. Oeconomiam Euripideam huius fabula non probant eruditi: Sophocleam probant: nam & illius nominis tragediam reliquit.

PROGYMNASMA  
QUINQVAGESIMVMSEXTVM.

*Laus verecundia.*

I I D E M.

**A**DESIMVS. Quanquam verecūdia, id quod ostendimus, non est è sanctissimo splendissimoque virtutum concilio, quibus vnis non solum maximè, sed etiam maxima laus & admiratio debetur, est tamen laudatione dignissima. M. Etsi hac de re nihil dubitauerim, scrupulum tamen

tamen quo moueor mihi eximito. *Æ.* Quis hic scrupulus? *M.* Ob motus animi, seu perturbationes aliquis nec laude quenquam, nec vituperatione afficiendum putauerit. Atqui verecundia motus est, siue affectus. *Æ.* Vniuersè seu generatim consideratæ affectiones nec reprehensionem habent, nec laudem aliquam. Nihilominus quædam certo modo sese habentes, & quatenus indicia atque argumenta, seu imagines virtutum vitiorumq; sunt, vel laudari, vel vituperari consueuerunt. *M.* Responsum breuissimè & rectissimè. *Æ.* Hęc igitur, cuius ex omnibus animantibus solus homo est particeps, certissima est bonæ indolis nuntia. Vnde Cato magis sibi placere iuuenes aiebat qui rubescerent, quàm qui pallescerent: quod nimirum egregiam indolem rubor arguat, non autem pallor. Et Seneca, recta ingenia, inquit, debilitat verecundia, praua confirmat audacia. Bonæ indolis, inquam, bonæq; spei nuntia est minimè dubia. Nutriendus pudor (est apud eundem philosophum, quem admiratione quadam eius sapientiæ commotus libenter verborum meorum testem adduco, & in eius chartis aurea quædam dicta, vt floriferis in saltibus apes libenter depascor) qui quamdiu durauerit in animo, aliquis bonæ spei locus erit. Huic consentaneū est illud Plauti nostri in Bacchidibus. Nā ego illum periisse duco, cui quidem perii pudor. *M.* Testatissima & cognitissima dicit. Sed te interpellare parcā. *Æ.* Verecundia in moribus est tanquam gēma rutilans, pudicitiae comes, naturæ commendatio, famæ custos, virtutis fundamētum, honestatis nota, innocentiae testis,

ornamentum vitæ, rerum decentium honestarumq; procreatrix & alumna, omnis turpitudinis inimica. Huius color est pulcherrimus, ut accepimus interrogatam respōdisse filiam Aristotelis Pythiadem. Est quippe virtutis color, ut confirmabat Diogenes, cum verecundo rubore perfusum adolescentem intueretur. Et profectò nihil fieri potest pudibundo adolescente amabilius. In quo quidem ætatis gradu, in adolescentia inquã, magis se prodit hic affectus: propterea quod & tenera est frons ituenum pudoris sedes, & calor aliquanto maior, qui sese cū sanguine in faciē spargit, quoties erubescunt. Præterea in corporibus naturaliter venustis ac decoris nescio quomodo magis decora, magisque pulchrè est verecundia, & veluti ars probati artificis, in materia cōmodiore ac meliore perfectius eminet atque elucet. M. Ciceronē ne omiseris. Æ. In Partit. extremis. Custos virtutum omnium, dedecus fugiens, laudemq; maximè consequens verecundia, inquit. M. Dictum Ciceronianè, hoc est, breuiter, eleganter & grauiter. Æ. De laudibus pudoris ad necessitudinem rei dictum est, opinor, satis. M. Non quidem mihi. At enim in tuo sum arbitrio, sequar quo me cunque duces.

---

 ANNOTATIONES.

**N**EC LAVDE QVENQVAM, NEC VITUPERATIONE) *Quod enim inuitis ac repugnãtibus accidit, quis id simpliciter aut commendat si bonum, aut reprehendat si malum videatur? Voluntate & iudicio omnia metienda sunt, quorum utrumque in huiusmodi*

iuscemodi subitis permotionibus deest. Moderari ergo  
 iisdem in nostra situm est potestate: non sentire, & tan-  
 quam illa cæli pars, qua soli vicina est, sereno semper se-  
 datoque animo viuere, hoc non est. Quod verò dictū est,  
 nolentes nos erubescere, confirmat Seneca epist. 11. Qui-  
 busdam etiam constantissimis in conspectu populi sudor  
 erumpit, non aliter quàm fatigatis & estuantibus solet:  
 quibusdam tremunt genua dicturis: quorundam dentes  
 colliduntur, &c. Inter hac & ruborem esse scio, qui gra-  
 uissimis quoque viris subitus offunditur. Lege reliqua.  
 CVM SANGVINE INFACIEM) Aristoteles in  
 problematis causam querens, cur quos pudet rubescant,  
 & qui timent pallefcant, cum tamen sint vicini simi-  
 lesque affectus: est enim species timoris pudor, respondet.  
 Quia pudicitium sanguis ex corde in omnes partes corpo-  
 ris diffunditur, unde fit, ut quasi supernatet: timentibus  
 autem ad cor confluit, aliàsque partes destituit. Unde ut  
 ibi ruborem, ita hic pallorē sequi necesse est. Veruntamen  
 tantum dixit quid accideret: sed cur accideret, cur, in-  
 quam, sanguis pudore diffundatur, metu contrahatur,  
 nondum dixit. Gellius lib. 19. cap. 6. De refugiente in me-  
 tu sanguine aliquid affert præterea Macrobius lib. 7.  
 cap. 11. de diffusionem autem eiusdem in pudore non plus  
 quàm Aristoteles, & Gellius, nisi hoc tantum. Dicunt  
 Physici, inquit, quod natura pudore tacta ita sanguinem  
 ante se pro velamento tendat. Ut videmus quemque  
 erubescentem manum sibi ante faciem frequenter op-  
 ponere.

PROGYMNASMA  
 QVINQVAGESIMVMSEPTIMVM.

*Adolescentiæ propriam esse verecundiam.*

I I D E M.

**A**DESIMVS. Magno in errore pleriq; versantur, qui nobis hoc loco est coarguendus. Arbitrantur enim cuiusque ætatis pudorem esse. M. Hem, ergo non est? putavi id ego quoque vsque ad hoc tempus, nec desistam à sententia, nisi disputatio tua penitissimè eã ex animo meo deleuerit. Æ. Deo auspice delebitur. M. Cui nam ergo ætati minus congruit? Æ. Virili, & senectuti. M. Senes igitur poterūt esse parte inuerecundi. Æ. Malè ratiocinaris, non hoc dico. M. Quid igitur dicis? quorum est? Æ. Adolescentum seu iuuenum, sicut virorum constantia & grauitas. M. Si verbo & affirmatione sola hoc probas, sola negatione id refello. Tu me auctoritate, vti Ciceronem Plato, non franges. Æ. En tibi rationem. In omni re consensus omnium gentium lex naturæ putanda est. M. Ita quidem M. Tullius, & rectè. Æ. Et hac ille consensione, vt scis, ad docendam animorum immortalitatem vtitur. Cur nos eodem consensu in re minore non vtamur? M. Vtere. Æ. Omnium mentes hæc imbuunt opinio, pueros & adolescentes oportere verecundos esse. M. Etiam viros oportere, etiam senes. Æ. Aliter est. M. Cur aliter? Æ. Cognosces. Ecquid laudamus adolescentes, si erubuerint? M. Certè. Teneo quid apud Terentium Menedemus de  
 adoles

adolescente filio pronuntiet. Erubuit, salua res est. Quibus verbis bonam sibi de eo spem pollicetur, quia rubore perfusus sit. *Æ.* Nunquid etiam laudamus viros atque senes? *M.* Hoc dicere vix ausim, & me tam citò depulsum esse de sententia pudet. *Æ.* Pudendum verò, si in ea peristeres. *M.* Quare non iis similiter laudem impertimus? *Æ.* Quia nihil ab iis committendum censemus, cuius caussa verecundari debeant. Iam si ego quippiam te facientem videam, nec propterea te commendem, argumento erit, id tibi reuera honorificum non esse. Ideo autem non esse, quod tuarum partium propriè non sit. *M.* Plus desidero, nondum enim planissimè intelligo, qua de caussa iuuentutis propria sit, non illa quidem virtus, sed quasi virtus, seu virtutum propinqua & soror verecundia, & quamobrem ita existimemus. *Æ.* Quod iuuentus magis perturbationum diuersarum tempestatibus agitur ac circumfertur. Cui ætatis freta primitus insinuantur, vt est apud Lucretium. In qua summa consilij leuitas, mira animorum inconstantia & effrænatio, ira, superbia, temeritas, libido, luxus, vt in verba paucissima conferam, ad omnem licentiam improbitatemque non parua procliuitas. Accedat orationi meæ testis Horatius.

Imberbis iuuenis tandem custode remoto  
 Gaudet, equis, canibusque & aprici gramine campi:  
 Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,  
 Vtilium tardus prouisor, prodigus æris,  
 Sublimis, cupidusque & amata relinquere pernix.

Cum itaque certum sit, cæcis cupiditatibus adolescentes trāsuerfos rapi solere, à gubernatrice

verecundia prohibentur, quo minus easdem expleant, & ad virtutis calcem, sicubi deflexerint, reuocantur. M. Quid autē est, quod Plato (quem ego auctorem vehementer sequor, cum tu in Aristotelis verba iurasse videare, quem legere non ita curā mihi est) in Protagora scriptum reliquit, Iouem dum metueret humano generi, ne periret, misisse Mercurium, qui pudorem & iustitiam ad homines adduceret, vt nimirum essent ciuitatum ornamenta, sanctęque inter ciues amicitia conciliatrices, quę illos arctissimo nexu ac fœdere copularent. Paullō pōst cum interrogasset Mercurius, deberētne illas vniuersim omnibus distribuere, an ita, quemadmodum artes essent distributę. Omnibus, inquit Iupiter, omnes illarū participes sunt. Legem verō meo nomine perfer, vt qui pudoris & iustitię capax minimē esse poterit, velut ciuitatis tæterrima lues & pestis è medio tollatur. Velim refutes hunc doctorem. Tu ais adolescentibus tantum conuenire, Plato omnibus. *Æ.* Primū, nō quidquid apud Platonē dicitur, hoc ex ipsius Platonis aut Socratis mēte dicitur. Differit autem hæc in eo dialogo Protagoras. Deinde aio, conuenire quidē singulis, at non omni ætati, & aliquando capi nomen verecundię pro quauis mali formidine, vitiatione flagitij, & cupiditate honesti: seu, non pro repentina illa cōmōtione, qua quis subitō perturbatur, quam etiam à viro probò alienam esse vult Aristoteles, sed pro inharēti quadam in animo affectiōe, quę à turpium rerum actiōe nos deterret, nec aliam turpitudinem, nisi quę virtuti est contraria, reformidat.

Potest

Potest denique ita in omnem ætatem conuenire, quoniam sunt nonnulli annis senes, moribus & ingenio pueri; quos præ pudore sibi à sceleribus temperare, quàm illo solutos in flagitia ruere melius est. M. Tibi quidem persuasisti, Aristoteli non esse contrarium Platonem, mihi sanè quidem persuadere videris voluisse. Æ. Integrum tibi est sentire quod lubet, probabilia coniectura sequor: ultra enim quo progrediamur in doctrina morali, non habemus. M. Pertinax nūquam ero, tibi que si quoquomodo probabis mihi ea quæ dices, non cunctabundus assentiar.

## ANNOTATIONES.

**V**TI CICERONEM PLATO ) Ut enim rationem Plato nullam afferret ( vide quid homini iribuam ) ipsa auctoritate me frangeret. Tot autè rationes attulit, ut velle cæteris, sibi certè persuasisse videatur. 1. Tuscul. Ostendimus alio loco prolatis testimoniis, quanti hunc philosophum Cicero faceret, volumine primo, ubi de φιλοσοφῆς μένους Tullionis disputauimus.

**I**VVENTVS MAGIS PERTVRBATIONVM ) Natura vult ut ratio, quæ diuina est, imperet brute parti, quæ ex ipso corpore ortum habet: ideòque in illud demersa & cōtēperata similis eius sit, corporèis que referta affectibus, qui quidè pro modo & mutatione corporis & concitiores vel læguidiores fiunt. Et hæc causa est, cur adolescentum cupiditates celeres, feroces, ac rabida sint, copia sanguinis nimirum: in senibus autem, quia principium concupiscentiæ circa iecur restinctum est ac debilitatum, magis viget ratio. Hæc Plutarchus de virtute morali. IN DOCTRINA MORALI )



Exquisitam ac subtilem rationem tradenda morum disciplina haud esse accommodatam scribit lib. 1. ad Nicomachum Aristoteles. Nam cum ea philosophia pars de honestis & iustis factis, de bonis ac malis, de fugiendis expetendisque rebus agat, haec autem non certa ac definita, sed incerta, variisque mutationibus subiecta sint, ut non natura, sed opinionibus & institutis constare videantur, quis de talibus firmis argumentationibus, & nullo penitus cum errore permittis se disputaturum confidat? Quamobrem eodem in loco eruditi hominis proprium esse affirmat, in vnaquaque doctrina illud exquisitum exquirere ac postulare, quod in ea reperitur. Qui secus facit, illum perinde facere atque si à mathematico probabiles rationes, ab oratore demonstrationes exigat.

## PROGYMNASMA

QUINQVAGESIMVM OCTAVVM.

*Quae res verecundiam pariant.*

I I D E M.

**M**ISADOXVS. Quae esset natura verecundiae, quibus quantisque laudibus celebraretur, & in quam aetatem praecipue conueniret, perspicua me & disertam oratione docuisti. Quaero nunc abs te, quae sint ea, ex quibus illa gignitur: ita sciemus nos, qui iuueniles annos nondum transcendimus, quae fugienda nobis sint, ne in ruborem cōiciamur. Quod tamen si pulchrum, nihilominus committere ut erubescendum sit, turpissimum existimo. Non enim pudendo, sed non faciendo id quod non decet impudētia nomen effugere debemus, ait Cicero. Æ. Nulla est in  
 si

signis atq; singularis turpitudine, nisi quæ ab animi prauitate aliqua profluxerit. Illas igitur prauitates imprimis vitare moneo, si ignominiam, quæ turpitudinis pedisequa est, effugere concupiscitis. M. Vitabimus, si recensueris, tuoque more singula illustraueris. Æ. An tu cæses decorum esse, deserere aciem aut præsidium, abiicere clypeum, & fuga salutem quærere? M. Apud Lacedæmonios quidem probro summo dabatur. Hinc virago illa Poëtarum versibus tam decantata, quæ inermem conspicata redeuntem à pugna filium, hasta eum trāsfixit vt degenerem. Æ. Apud nos etiā eadem res insigni est infamia. Sed ex quo tandem vitio manat hæc actio? M. Quis non videt? ex timiditate & animi molli-  
 tia, quæ eicienda est. Æ. Caueant ergo timiditatem verecundi; ne, impendente periculo, ipsi se in pedes quantum queāt. Et hoc in vno quodam genere dictum, ad alia similia accommodetur, quomodo ea quæ sequentur. Caueant item iniustitiā, vnde nascitur nō reddere depositum. M. Sempérne reddendum? Æ. Pro me Cicero respondebit in Officiis. Honestæ enim quædam temporibus commutantur fiuntque contraria, vt reddere gladium furioso. Hoc relinquendum est prudentiæ, quæ talibus moderatur. M. Duo vitia commemorasti, cætera, & quidem cōplura exspecto. Æ. Non proferam omnia, nam ex iis quæ dixero, quæ sit aliorū ratio per te animaduertes. M. Optimè tibi iācta sunt fundamenta, alacriter ædifica. Æ. Afficiunt etiā pudore, quæ ex intemperantia proficiscuntur, vt sunt ventri, & Veneri esse deditum. Item quæ ex auaritia &

illibe

illiberalitate, vt lucrū facere, aut ex pusillis ab-  
 iectisq̄ue rebus, aut ex turpibus, aut ex iis, vnde  
 fieri non posse videatur. Nec copia sua alicuius  
 tenuitatem subleuare, aut parcius eidem sub-  
 uenire, taléque auxilium petere à tenuioribus,  
 & quibus minus est rei familiaris. Quo de con-  
 queritur apud Terētiū seruus. Quàm iniquè cō-  
 paratum est, inquit, ij qui minus habēt, vt sem-  
 per addant aliquid ditioribus? Et mutuam cape-  
 re pecuniam, cum quis à te petiturus videtur; &  
 petere, cum aliquem repetiturum, aut repetere  
 cum eum à te petiturum suspicaris, laudareque  
 aliquid, vt illud petere iudicaris. Mos est quip-  
 pe ingenuis ac liberalibus viris, cum persentiūt  
 aliquem re quapiam, cuius ipsi sint domini, val-  
 de affici, vltro eam donare. M. Aceruasti exem-  
 pla, quibus vnum quoddam vitium declarares.  
 Veruntamen hanc ipsam declarationem vt de-  
 clares rogo. Æ. Sic faciam. Legistīne quid Vespasianus Augustus fecerit? Quidnam? Æ. Ex lo-  
 tio vectigal sibi pendere volebat: quod Tito eius  
 filio Imperatori lōgè omnium Imperatorum hu-  
 manissimo summo pudori fuit, qui & patrē hor-  
 tabatur, ne ex tam sordida re quæstum faceret.  
 Auari item, vel pauperes & mendicos suis bo-  
 nis qualibuscūque exuunt, & si possent, à mor-  
 tuis tributum exigerent. Nec, quamuis cognatus  
 fuerit, vel mediocri seu pecunia, seu rerum  
 ad victum pertinentium auxilio, eius egestatem  
 consolantur. Simulāt sese egere, similes Gellio  
 illi apud Martialem, qui in ædificando semper  
 erat occupatus, quò petētibus nummos amicis  
 facilius denegare posset, quia videlicet magnos  
 ipse.

ipse in ædificatione sumptus toleraret. Est autē nimis perfrieta frōs eorum, qui cum apud amicū aspexerint quod ipsis placeat, mirificè illud, & coram laudare non cessant, seque eius percupidos demonstrant; ob quod Verrem Cicero accusat. M. Pauca scelera nominari posse arbitror, quibus nō se nobilitauerit hic Prætor inclytus. Æ. Pauca. Ab ingenuo item procul abest assentatio, cuius est in os laudare, & bona quæ laudē merentur præter modum extollere, mala verò quasi inducere & oblinere, ac nō modò cum ridente ridere, sed etiam cum plorante plorare, & maiorem quendam animi dolorem ostendere, quam ille ipse ostendat, cuius est calamitas. Est insuper plenum opprobrij, non posse eos labores perferre, quos vel grādiore natu, vel qui delicatam & deliciis refertam vitam agitāt, vel qui in aliquo amplitudinis gradu locati, vel denique viribus imbecilliores, & idcirco laborum impatiētiores sunt, perferunt. M. Pigritiam dānas ( si rectè mentem tuam interpretor ) quæ est metus laboris. Æ. Rem loqueris. Et cum magnanimi sit, velle potius dare, quàm accipere beneficium, oportet eos qui sapè ab eodem beneficium accipiunt esse minuti animi, parumq; prudentis. Est præterea vt æquè turpe, sic æquè humilis abiectiq; animi signum, exprobrare cuiuspiam beneficia, quæ obliuisci debet qui contulit, meminisse qui accepit. M. Profectò omnes, etiam serui, indignamur, cum quis sua nobis merita obicit.

Sed mihi hoc molestum est. nam isthæc commemoratio  
Quasi exprobratio est immemoris beneficij,

ait So

ait Sofia apud Terentium. *Æ.* Deforme est item de seipso prædicare, & cum irrisione audiētium imitari militem gloriosum. *M.* Thraſonem videlicet Terētianum, & Pyrgopolinicē Plantinum. *Æ.* At enim si vituperādi & infames sūt, qui sua iactant, quid illi, qui aliena pro suis venditant? arrogantissimum genus hominum. Quæcunque demum à vitiis manantia, & notæ etiam vitiorum, & quæ cum vitiis cognationem aliquam habent, existimationem lædunt, & cogunt erubescere. Reperitur quispiam in lustro inter mulieres parum honestas potitans, turpis actio & verecūdia digna. Loquitur verbis parum tectis, videtur animo parum casto. Interrumpit orationem grandæui, aut ei non assurgit: hoc non quidem vitium, nec nota vitij, attamen quasi vitium, seu vitio simile est. Neque verò duntaxat vitio deinctum, verum etiam ab honestis rebus vacuum esse dedecus conciliat: ab iis nempe, quarum sint participes aut omnes, vt si omnes nobiles studia literarum colerent, turpe esset nobili refugere à literis; aut omnes similes, qui sunt, inquam, eiusdem gentis, ciuitatis, ætatis, familiæ, & qui æquo iure viuunt, hi, scilicet, aut saltē plurimi horum. Atque hæc eo turpiora, & magis probrosa erunt, si nostra culpa accessisse putabūtur. Sic namque ab animi vitio processisse intelligentur, in quo turpitudinis maiores partes constituimus. Plura afferre de hoc capite supersedebo, ne tibi molestus sim. *M.* Molestus: Si summa iucunditas est vocanda molestia. Sed cum ostenderis quæ parerent verecundiæ, consentaneum est vt nunc doceas, apud quos pariant,

pariant, seu quos vereamur. Æ. Aggrediamur ad hoc ipsum.

## ANNOTATIONES.

**H**ÆC, & alia pleraque verocundia ex Aristotelis fontibus, ex Rhetoricis, inquam, & Ethicis, item ex Plutarcho, quantum quoque modo visum est, ut Cicero ex Stoicorum. NISI QUÆ AB ANIMI PRAVITATE) Hoc quanquam ita est, tamen quā multi sunt, qui non miseros se se arbitrentur, si pedibus aut manibus capti, quā si aut ebriosi, aut libidinosi sint? Non ita, qui dixit (numeros memini, si verba tenerem; sed præferam Latinum versiculum)

Animo valente corpus ægrotet licet.

**HINC VIRAGO ILLA)** Hac de re Græcum epigramma recitabimus, incerto auctore, nostramque conuersionem apponemus.

γυμνὸν ἰδῆσα λάκαινα παλίντροπον ἐκ πολέμοιο

Παῖδ' ἔδρ' εἰς πάτραν ὠκὺν ἰέντα πόδα,

Ἀντ' ἰν' αἰξασα, δι' ἠΰματ' ἠλάσε λόγχην.

Ἀρρενα ῥηξάμενη φλόγγον ἐπὶ κταμένο.

Ἀλλότριον σπάρτας ἔπερ γέν', ἔρρε πῶθ' ἄδαν,

Ἐρρ' ἐπ' αἰψέυσω πατρίδα, καὶ γενέτας.

Abſque armis reducem natum Spartana virago

Ad patriam celeri vidit adesse gradu.

Inſiluit, telumque furens trans pectus adigit,

Hæc super exanimem fortia verba loquens.

Sub terram Sparte fallum genus, inquit, abito;

Itò mentitus & patriam & proavos.

**VESPASIANVS AVGVSTVS)** Mira Suetonius de huius Imperatoris πλεονεξία & auaritia. Inter illa & hoc. Procuratorū rapaciſſimos ad ampliora officia promouebat de industria, quò locupletiores mox

condem

condemnaret. Quibus propterea dicebatur uti pro spon-  
giis, quod quasi & siccos madefaceret, & humentes ex-  
primeret. cap. 16.

PROGYMNASMA  
QVINQVAGESIMVMNONVM.  
*Quosnam vereamur.*

I I D E M.

**Æ**DESIMVS. Qui verecundia commouen-  
tur aliud nihil timent, nisi vt ne in existi-  
mationis suæ, & bonæ famæ iacturam incurrât;  
non sanè, ne aut pecunias amittât, aut in re alia  
damno maectentur: quanquam fermè accidit, vt  
præter opprobrium seu ignominiam etiam ali-  
quod cuiuspiam rei detrimentum consequatur.  
Verùm id homo verecundus non tanti æstimat,  
vt diximus, cui studio est tueri famam ac nomen  
suū, nō quidē apud omnes, sed apud illos, qui de  
se existimare iudicarēq; sincerè possint. Huius-  
modi sunt quorum rationē ducimus, quos pro-  
inde vereri, & propter quos erubescere sole-  
mus. M. Sūntne hi vnus, an plurium gene-  
rum? Æ. Plurium. M. Cedd. Æ. Primùm qui nos  
admirantur, propter bonum videlicet aliquod  
honore prosequendum. Deinde quos nos ob eā-  
dem causam admiramur. Tum à quibus coli nos  
volumus. Postremò quibuscum de honore con-  
certamus. Ac denique quorum opinionem non  
contemnimus. A quibus insuper aliquid impe-  
trare, quod sit in ipsorum potestate, ardēter cu-  
pimus. Conuentus item publici, seu multitudo  
& conspe

& conspectus hominum pudorem incutit, seu cum peccauimus, seu cum peccaturos nos timeamus; quàm plurimos enim offensionis nostræ testes & cōscios intuemur, vt Demosthenes, Theophrastus, Cicero timore nimio expalluerunt, atque idcirco in cōcione dicturi obmutuerunt. Confitetur etiam L. Crassus i. de Orat. se exalbescere in principiis dicendi solere, & tota mente, atque omnibus artibus contremiscere. Adolescentulus verò, inquit, sic in initio accusationis exanimatus sum, vt hoc summum beneficium Q. Max. debuerim, quod continuò consilium dimiserit. simul ac me fractum, & debilitatum metu viderit. Hinc nox pudore dicitur vacare, quia noctu neminem videmus, & videmur à nemine. M.

Nox & amor, vinumque nihil moderabile suadent,  
Illa pudore vacat, Liber amorque metu.

Quosnam præter hos? Æ. Qui iisdem culpis obnoxij non sunt. Contra, eiusdem improbitatis amentiaque; socij inter se non erubescunt. Ebrius apud vinolentum, latro apud latronem, fœnerator apud fœneratoré. Ad hæc qui seueri, & ad tribuendam peccantibus veniam haudquaquam faciles sunt: propterea scilicet, quòd ipsimet ea non perpetrât, quæ si perpetrarent, in aliis non damnarent, nec enim fur furi nõ libenter ignoscit, neque illi suum crimen obiectat. Cauemus itè ab iis, quos delicta nostra enūciaturos suspicamur, quæ occulta esse, & ignorari optam<sup>9</sup>: malumus enim aliquãdo boni haberi quã esse; multoque magis timemus hominũ, quàm Dei amicitia excidere. M. Qui facilè enuntiant? Æ. Iniuria



læsi, maledici, derisores. M. Quos adhuc veremur? Æ. A quibus nihil vnquam frustra petiuimus: istis enim videmur admirationi esse. Et eos qui tum primum à nobis petunt aliquid, quos apparet bene de nobis sentire, nosq; probos & officiosos existimare. Atq; ideo denegare quidpiam nos iis pudet, ne mox in aliam de nobis & contrariam opinionem veniant. Ad extremum, veremur non modo viros graues, verum etiam eos, qui ad ipsos facta nostra perferre possunt: vt sunt illorum serui & amici: hos colimus hilariterque excipimus dominorum gratia, quorum fauorem & beneuolentiam aucupamur. Atque hic etiam receptui cano. M. Hic tuus labor me locupletauit opibus & pulchris, & nulli fortunæ dominationi subiectis.

---

A N N O T A T I O N E S.

**P** R I M V M Q V I N O S ) *Ciceronis morem hunc esse notauit Manut. in ep. 14. lib. 15. vt cum de duabus rebus agit, usurpet Primum, Deinde. Cū de tribus, Primum, Deinde, Postremo. Cum de quatuor, tertio loco Tum inserat.* D E M O S T H E N E S, T H E O P H R A S T V S, C I C E R O ) *Demosthenes quidē legatus apud Philippum Regem Macedonum, Theophrastus apud populum Atheniensem. Cicero pro Milone dicturus in foro. Vide Crinit. li. 5. ca. 3. De pudore autē oratorio lege qua à Crasso & Antonio differuntur i. de Orat. quorum hic duas eiusdem causas profert in medium.* H O M I N V M Q V A M D E I A M I C I T I A ) *Non tam stultie faceremus, si mentem auocaremus aliquando à sensibus, & ad eterna vel supplicia propter scelera perferenda, vel premia propter virtutem capienda transferremus.*

P R O

PROGYMNASMA  
SEXAGESIMVM.

*Impudentia.*

*ARETÆVS, AEDVMENVS.*

**A**RETÆVS. Sicut virtutes morum suos, & quidem innumeros laudatores inuenerunt, ita quoque vitia non paucos vituperatores. Ac proinde quantum illorum voces ad amplexandam honestatem, cuius parēs & effectrix est virtus, tantum istorum oratio ad detestandam turpitudinem, cuius est mater vitiositas, excitare & commouere nos debet. Æ. Nec tantillum à tua sententia meum discrepabit vnquam iudicium. Quod autem vitium maximè iubes me execrari, & omni ope fugere? A. Impudentiam, Græcis ἀναίσχυρσίαν. Æ. Quibus eam verbis definires? A. Quibus Aristoteles. Est, inquit, contemptio quædam, & firmitas animi aduersus ea mala, quæ pudorem incutiunt. Contemptus est honoris videlicet ac famæ, ignominiaque ac dedecoris voluntaria deliberataque patientia. Seu effrænata licentia ad turpitudinem: quo, per Deum immortalem, quid omni verborum acrimonia & contumelia dignius? quid detestabilius? quid bonæ spei supersit in tali homine, qui iam frontē, faciem, os perfricuit: hoc est, omnem à se verecundiam remouit, longissimeque proiecit? Qui est ore ferreo, effrons denique: nam hæc singula contra impudētes valere quis nescit? qui etiam canibus comparantur, quadrupedibus (vt

odori,

norunt omnes) inuerecundis. Æ. Currentem me, quod aiūt: fuit enim mihi semper odio hæc peruerfitas, vt incredibili amori ingenuus pudor. A. Satis odiffe non potes istum inter homines omnium morborum grauiffimum, vt Euripides, istamque ad omnem turpitudinem ducem maximam, vt Xenophon appellauit. Per quam decorum vitæque honestas, & modus omnis despicitur, & ad quælibet vitia ( quandoquidem non timentur ) via panditur. Æ. Cum cernamus iisdem nonnunquam sese cupiditatibus atque delictis deuincire pudoris amantes, quibus inuerecundos, crediderit quispiam nihil inter hosce homines interesse. A. Crediderit, sed auius à vera longè ratione vagabitur, vt ait Lucretius. Tantum inter utrosque differt, quantum dici vix potest. Æ. Tu hanc differentiam explicato. A. Cum delinquant, aut deliquerunt pudentes, capiūt animo dolorem, & molestia idcirco afficiuntur: at impudentes molestiarum securi, lætantur etiam. Et illi facillimè perturbantur, cum obiciuntur non ea solùm, quæ verè sunt turpia, sed etiam, quæ turpitudinis speciem ac faciem quandam gerunt ( quanquam hoc magis vitiosi quàm iusti pudoris est indicium ) isti omni metu vacantes ac liberi feruntur audacter in facinus. Nam cum semel verecundiæ septa finesque transilierint, oportet eos bene ac nauiter esse impudentes. Æ. Probè distinxisti, ita est. A. Quid ad famam inhonestius amoribus meretriciis? tamen impudens alienæ pudicitia vitium addere, & aliis quoque facem præferre ad libidinem nõ verebitur. Quid avaritia sordidius & probro

probrosius? tamen impudens abradet pecuniam vndecunq; poterit. Quid assentatione fœdus? tamen impudens palpo percutere, & adulari potentibus nō cessabit. Ingluuius & crapula quantum habent infamiæ? at illa infamia inuerecundum ingenium nihil conturbat. Quam est turpis & plena dedecoris ostētatio? ille tamen se ostentare, ac palam dilaudare non intermittet. Quidquid animo collibitū fuerit, seu honestum seu inhonestum sit, eò se dabit. Et cum camelos glutiat, nūquam profectò culices excolabit. *Æ.* Quid hoc tibi significat? *A.* Cū facta ipsa turpia non reformidet, signa & indicia eorundē multò minus reformidauerit. Si audet sese adulterio polluere, non erubescet in verbis impudicis. *Æ.* Qui hoc negat, idem neget lucere meridie. Atque idem iungat vulpes, & mulgeat hircos.

## ANNO TATIONES.

**S**PECIEM AC FACIEM QUANDAM) *Faciem non tantum esse id, quod Graci  $\omega\gamma\epsilon\omicron\omega\nu\epsilon\pi$ , os scilicet, oculos & genas, sed ea quoque voce formam omnem, & modum & facturam quandam corporis totius indicari, dicique in rebus etiam aliis demonstrat Gellius lib. 13. cap. 28. Cic. 1. Off. Formam quidem ipsam Marce filii, & tanquam faciem honesti vides. FACIEM PRÆFERRE AB LIBIDINEM) Cic. 1. Catil. Cui tu adolescentulo, quem corruptelarū illecebris irretiisses, non aut ad audaciā ferrum, aut ad libidinem faciem prastulisti? Dicerem vnde natum esset hoc loquendi genus, ex quo scilicet more, nisi id satis per se appareret. IUNGAT VULPES) Virgil. eclog. 3.*

Qui Bauium non odit, amet tua carmina Mæui,  
 Atque idem iungat vulpes, & mulgeat hircos.  
 Duo prouerbia sunt, quibus est locus in rebus aperte ab-  
 surdis. Nam quid absurdius quam vulpes ad currum  
 iungere, aut ab hircis lac petere? quod utrumque recusat  
 harum animantium natura. Demonactes cum videret  
 duos philosophos aequè indoctos litigantes, & alterum  
 proponentem questiones ineptas atque ridiculas, alterum  
 nihil ad institutum respondentem. O amici, inquit, an  
 non alter horum vobis hircum mulgere, alter cribrum  
 videtur supponere? Utrumque frustra laborare & ab-  
 surdum esse significabat.

## PROGYMNASMA

SEXAGESIMVMPRIMVM.

*Immodica verecundia.*

I I D E M.

**A**R ETÆVS. Agamus etiam internos, quan-  
 do sumus otiosi, de pudore non probabili,  
 qui verecundiæ, quæ μεσότης seu mediocritas est,  
 perinde vt alterum extremum, impudentia scili-  
 cet aduersatur. Æ. Id ipsum abs te rogatur<sup>9</sup> eram:  
 bene habet quod me anteuertisti. Ast ego auditoris  
 & discipuli, quã disputatoris partes malo obti-  
 nere. Mea enim doctrina exigua, & potius insci-  
 tia est, si cum tua sapientia conferatur. A. Nimis  
 sūmisse ac modestè de te, nimis gloriosè & elatè  
 de me. Quod igitur in quibusdam herbis spon-  
 te sua è terra nascentibus, idem quoque in affe-  
 ctionibus vsu venire statuendum est. Æ. Quò tu  
 ire contendis, eò iam præuolat cogitatio mea.

A. Ete

A. Etenim vt illæ non solùm agrestes planè, atque inutiles sunt, verum etiam bonis ac frugiferis perniciosæ, & inimicæ: & quemadmodum coloni nō ideo agrum esse malum seu macrum, quin potius pinguem ac fertilem iudicant, cum tales herbas effundat: sic affectus nonnulli cum per se bonitatis nihil habeant, & malorum quorundam caussa sint, nihilominus tanquam germina & symbola sunt mentis bene constitutæ, quæ à ratione culturam possit accipere. Huiusmodi est pudor vitiosus, Græcis *δυσωπία*. *Æ.* Istud vocabulum enucleari velim: nimis enim leuiter Græcas literas attigi, cuius me inertia pœnitebit, quoad mors mihi vitales animæ nodos è corpore soluet. A. Enucleabo, faciamque vt huius motionis naturam clarius perspicias. Iuncta est vox ex particula *δύς*, & *ωπ*. Hæc oculum seu aspectum, illa autem aliàs quidem difficultatem, hoc loco non solùm difficultatem, sed, vt ita dicam, impossibilitatem significat. Nam *δυσωπία* non tantum est difficultas præ pudore in eius vultum intuendi, qui aliquid abs te petat, sed in eò ponitur quod est, non posse quidpiam à se petentem contra aspicere, qui sit immodicè verecundus. Itaque circuitio hæc, seu periphrasis, ad huius vocabuli notionem, originem atque vim ostendendā necessaria est: quæ minimè animum subeunt, cum hæc vox Græca, seu vitiosus, seu immodicus, seu immoderatus pudor, seu vitiosa, immodica, stupida verecundia, vt vulgò, redditur. Aristoteles immodicè pudentes in Ethicis *καταπληγας* nominavit: qui scilicet ad omnia trepidant, & præ pu-

dore velut attoniti, perculsi, consternati & obstupefacti sunt. Æ. Disertè & apertè Græci nominis vim explanasti, in quo inest magna quædam ἐμφασις. Nec inuenusta fuit illa, à qua disputationem exordiri voluisti comparatio. Nihil occurrit quod aut interrogē, aut opponam: nec fortasse deinceps occurret. A. Vtriusque faciendi libera tibi potestas datur. Æ. Noui humanitatem, & inclinatum ad me erudiendum voluntatem tuam. A. Quomodo porrò impudentes continenter nimiumq; fixè aspiciendo animum pertinacem ac rigidū; sic stolidè verecundi nimium deiiciendo vultu satis mollem ac muliebrem præ se ferunt, suumque morbum excusantes, nō dubitant eum pudoris nomine cohonestare: in quo quidem ab impudentibus superantur. Non est temperans, ô boni viri, qui nihil edit aut bibit, quamuis intemperantissimus sit, qui commessatur & vomit. Eodem modo non est verecundus, qui neminem intueri, neminem audet affari: quamuis sit lôgè inuerecundissimus, qui vtrumuis semper, & vbiuis, & apud quosuis audet. Quamobrem & quod δ ἀνάισχυνη, & quod δ καταπληξ committunt vituperandum est: permiscenda autem & temperanda hæc duo, quò & à perpetuo intuitu propteruitas, & à nimia modestia mollities imbecillitasque tollatur. Æ. Verumenimuerò, cum ista δυσωπία sit velut herba noxia in segete, vt dixisti, facile poterit euelli. A. Non etiā ad hoc valet allata similitudo. Negotiosum est isti malo curationem ad mouere: tenera est siquidem & delicata pars animi, quæ superuacaneo pudore concutitur & quassatur.

quassatur. Æ. Esto quamuis tenera, quid tum postea? A. Agricolæ arbuta, syluestriâque germina exurunt, & radicitus extirpât, vitem aut oleâ putaturi cautè manum applicant, formidantes ne quid sanum resecent. Ita medici cultoresque animorum philosophi, cum iram, libidinem, inuidiam, cæterâsque huiusmodi pestes veluti stirpes inutiles eximere volunt, possunt vulnus altum dare ferrôque & igni sæuire, si non satis prudentes atque cauti sint. Sed cû ab isto de quo agimus vitio adolescentum animos deterrere, seu cum pudorem istum non ingenuum amputare instituunt, curandum illis, ne simul ingenuum amputent, eosque audaces præfractosque efficiant. Æ. Tamen inuenietur aliqua abs te medicina, vti spero. A. Inuenietur, tecumque communicabitur, si prius quæ incommoda seu detrimenta hinc inuehantur considerauerimus.

## ANNOTATIONES.

**Q**VÆ ΜΕΣΟΤΗΤΕΣ, SÛV ΜΕΔΙΟ-  
CRΙΤΑΤΕΣ) Aristoteles 2. de Moribus, postquam docuit virtutis vim omnem in mediocritate versari, esseque μεσότηα, subiicit, etiam in quibusdam affectionibus, ut verecundia & nemesis, seu indignatione (has enim exempli loco ponit) qua nimirum habitus atque virtutes non sunt, mediocritates cerni: ut intelligamus in ipsis haud secus quàm in virtute laudari illud medium, in quo ipso consistere traditur à Peripateticis. Ex quo patet, non aliter atque in virtutibus extrema duo in istis permotionibus & affectibus inueniri, quorû unû cum defectione, alterû cum exuperatione cõ-



iunctum sit. Cum igitur verecundia ipsa sit medium, impudentia erit tanquam in fortitudine timiditas, & in liberalitate tenacitas, in defectu scilicet: *δυσωμία* autem, seu vitiosus pudor velut audacia, & effusio, quoniam non infra, sed supra modum fertur. Explicauit ista Aristoteles vocabulis, quae Grammatici concreta vocant, sic nēpe. Atque etiam in perturbationibus istisque rebus quae ad perturbationes pertinent, mediocritates insunt. Verecundia enim non est illa quidem virtus, veruntamen laudatur is, qui verecundus est. His enim in rebus alius est medius is, quem modo diximus, alius qui modum superat, tanquam obstupescens, atque animo percussus, qui in omni re verecundatur. Qui autem modum deserit, quemque nihil omnino pudet, impudens, medius autem ille pudens, ac verecundus dicitur. **IN QVIBVS DAM HERBIS SPONTE SVA**) Olitori interroganti, cur nam, quas ipse herbas & olera sereret, quantumvis curarentur diligentissime, tardius tamen crescerent, quae autem sponte nascerentur, ea sine ullis laboribus nostris celeriter incrementa caperent, quid *Aesopus*, quamque festiue responderit, *Planud.* in eius vita. **GRÆCIS ΔΥΣΩΜΙΑ**) De verecundia *Quintil.* lib. 12. cap. 5. Inuitus me hercule dico, inquit, quoniam & aliter accipi potest. Ipsam verecundiam vitium quidem, sed amabile, & quae virtutes facillime generet. Ibidem de vitiosa verecundia his verbis. Verecundia est timor quidam reducens animum ab iis quae facienda sunt: unde confusio & cepti pœnitentia, & subitum silentium. Quis porro dubitet vitium adscribere affectum propter quem facere honeste pudet? Sed de his in ipso dialogo hoc, & sequenti pluribus disputatum est. **EVM PV DORIS NOMINE COHONESTARE**) Ita mos est hominibus, sed mos improbus. *Seneca* epist. 45.

Vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt. Temeritas sub titulo fortitudinis placet, moderatio vocatur ignavia, pro cauto timidus accipitur. Sic apud Sallust. in Coniurat. Catil. Hic mihi quisquam mansuetudinem, & misericordiam nominat? Iam pridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus. Quia bona aliena largiri liberalitas, malarum rerum audacia fortitudo vocatur: eò respub. in extremo sita est. Cicer. quoque in Partit. Vitia imitantur virtutes. Nam & malitia prudentiam, & temperantiam immanitas in voluptatibus aspernandis, & c. Plutarch. lib. quo querit, grauiore sine sint morbi animorum an corporum. Febrim nemo vocat sanitatem, neque tamen quisquam appellat bonam habitudinem, neque podagram pedum velocitatem, neque pallorem nominat ruborem: at iracundia multi fortitudinis nomen imponunt, amorem turpem amicitia nomine palliant, inuidiam amulationis, timiditatem diligentie. CULTORESQUE ANIMORVM PHILOSOPHI) Duplex est mors, una omnibus notissima, cum videlicet animus vinculis corporis aut naturali dissolutione digreditur, aut vi illata decedit, ut loquitur Arnob. lib. 1. Altera, cum idem animus à corporis commercio seuocatur, voluptatumque illecebras continens, affectibus sese turbidis prorsus liberat. De hoc genere mortis in Phedone locutus est Plato, cuius sententiam sic explanauit Cic. Tuscul. 1. Tota enim philosophorum vita, ut ait idem, commentatio mortis est. Nã quid aliud agimus, cum à voluptate, id est, à corpore, cum à re familiari, que est ministra & famula corporis, cum à Repub. cum à negotio omni seuocamus animum? Quid, inquam, tum agimus, nisi animum ad seipsum auocamus, secum esse cogimus, maximeque a corpore abducimus? Secernere autem à corpore animum, nihil quidquam

quidquam aliud est, quàm emori discere. Explanat eãdem copiosè Macrob. in som. Scip. lib. 1. cap. 13. Hinc puto intelligi satis, quamobrem cultores animorum philosophi à nobis dicti sint; quoniam in docenda hac morte, quæ ad animum pertinet, quæq; illum verè viuum, florentem ac frugiferum reddit, occupantur.

## PROGYMNASMA

SEXAGESIMVMSECVDVM.

*Damna, quorum auctor vitiosus pudor.*

I I D E M.

**A**RETÆVS. Intempestiua hæc verecundia ab eruditis scriptorib<sup>9</sup> in eo potissimè collocatur, cum quis trepidat & percellitur animo in omnibus, nullam petitionem à se repellere, nihil recusare, nunquam contradicere potest: ne scilicet vt durus, inhumanus, & inexorabilis per ora traducatur. Hic paùor, difficile narratu est, quàm multa inconsultò & dicendo & faciendo peccare homines compellat, & quàm ingentem aditum fenestràmq; cupiditatibus ac facinoribus multis aperiat. Æ. Vt miserum est inde lædi, vnde laudem & còmodum exspectabas? A. Certè miserum. Pudor moderatus custos est pudicitia; immoderatus eiusdem aliquãdo corruptor ac proditor, & dum veretur blandientibus, rogitantibusque, & omnia pollicentibus repugnare, ipse expugnatur, intemperantiæ que seruitutem turpissimam seruit. Æ. In adolescentiam & mulieres hæc dicis, vt opinor. A. In eos cum primis: nihilominus etiam in viros, quos, est quãdo pudo

pudoris pudet. *Æ.* Quinam? *A.* Quia mutuam dant, à quibus se data recepturos parum sperant. Quia fidem suam interponunt, pro quibus minime vellent. Quia concedunt annos, quibus nec triduum concedendum putant. Sed audi mirabiliora. Memorant quosdam historię veteres, qui cum venena sibi misceri, necemque parari suspicarentur, præ stulto & nimio isto ac pernicioso pudore sibi cauere non sunt ausi. *Æ.* Heu, cadit in quenquam tantum scelus? Quisquam se aut tam insipienter diligere, aut tam grauitè odisse potest? *A.* Exempla Dionis, Antipatri, Herculis, Alexandri & Barthes filij apud Plutarchum libello *περί δυσωπίας* tu ipse leges, vbi volueris. *Æ.* In hoc ordine numerandos duco quos audiui, cum essent Catholici, factos ebrios iusu- randum dedisse sodalibus, ac ducibus Lutheranis, sese comites ipsis in castra aduersus Ecclesiam Catholicam ituros. Res iureiurando sancita est, inquebant, seruanda est fides. At hi magnoperè à vero, longèque errasse videntur, malèque Ciceronem legerant, qui promissis eiusmodi non esse standum, quæ plus nocent promissori, quam prosint ei cui sunt promissa prudenter monet. Quis autem non intelligit, scientem ac volentem afferre interitum defensoribus veritatis, cum scelere mortifero copulatum esse? præ pudore igitur pacta iniqua rescindendi, animas suas isti quodammodo interficiunt. *A.* Bellè tibi conclusa est ratio. Possim etiam ostendere, quàm impudenter in eroganda, collocandaque pecunia versentur, quam sæpè conferunt in indignos: timent enim ne præparci, aut ne-

scio

scio cuius rei obliti existimentur, & ita opprobrium vitare moliuntur. Quomodo item, cum in afflicta valetudine non audent quem norunt peritissimū accersere medicū, ne vel familiarib<sup>9</sup> vel medico familiari displiceāt. Cū filiis eos magistros præficiunt, nō qui sunt valde idonei, sed qui id ab ipsis enixè cōtēderūt, aut quos alij cōmendarūt. Cum in iudicio non disertissimos, & rerum forensium quàm scientissimōs, sed amicū aliquem, aut amici nepotem causam agere suā, & litem perorare sinunt. Ac reliquas quidem libidines vbi ad rem collatę fuerint pœnitudo sequitur, hīc ipsis factis conglutinata est. Æ. Nempe quia nec dat, nec accipit, nec fert opem, nec obsequitur, nec laudat, nec vituperat, nec promittit demum aliquid ὁ καταπληξ, quin mox illum redarguat, & fodicet animus. Ecquid satis assequor tuum sensum? A. Satis. Discruciantur, inquam, dum exercent vitiositatem suam, cū si rectè facerent lætarentur potius: nam honesta facta gaudium, turpia dolor comitatur. Quid verò mali, vnum non posse omnia? si non potes omnia, cur promittis tamen omnia? si qua in potestate nostra, & viribus æqua fuerint, si cum honestate consenserint, in iis operam officiūque nostrum aliis non pudore impulsi, sed spōte præstemus. Æ. Nam hoc ipsum ita instum est, quod rectè fit, si est voluntarium, inquit Cicero. A. Fit præterea in pudore vitioso, quod in cæteris illaudatis affectibus fieri experimur. Nam ut ibi sequuntur, quæ per illos effugere laboramus: ut ambitionem ignominia, voluptates dolor, mollitiem labor, immodestum vincēdi studium

stium vinci ac superari: sic immodicè pudètes, à quibus sibi cauebant, in ea ipsa dedecora incur-  
runt. E. Dum vitant stulti vitia, in eòtraria cur-  
runt. A. Petit quispiam à me iniustū aliquid, ego  
præ verecundia non recuso: alius, ad quem in-  
iuria pertinet, me in ius vocat. Promisi pecuniā  
quam non habebā: exigit à me cui promisi, mē-  
dacij redarguor. Et cætera ad eundem modum.

## ANNO TATIONES.

**P**ER ORA TRADVCATVR) *Ne vulgi fa-  
bula fiat, ut Tibullus ait. Ne perueniat in ora vulgi,  
ut Catullus. Nam hoc non modo in factis honestis, sed  
etiam inhonestis dici potest, ut Poëta ille dixit: perinde  
vti apud Græcos περιβόητος ἔσται. Vide plura apud  
Victorium lib. 8. cap. 10. FENESTRAM QVE CV-  
PID. AC FACIN. MULTIS APERIAT)* Terent. *Heaut. Huius quantam fenestram ad nequitiam  
patefeceris? In partem deteriorem scilicet valebit hoc  
proverbium, & significabit occasionem ad improbitatē,  
ac veluti ansam porrigere. Sed in bonam quoque illa,  
aperire iannam, fores pro rei alicuius initium præbere,  
& veluti aditum patefacere, qualiscunque ea sit. VN-  
DE LAVDEM, ET COMMODYM)* Augustū  
Imp. dicere solitum scripsit Tranquillus cap. 25. *Mini-  
ma commoda non minimo sectantes discrimine, similes  
hamo aureo piscantibus, cuius abrupti damnum nulla  
captura pensari possit. Sic isti ineptè malèque verecun-  
di, ne apud unum sint in offensa, ne putentur inhumani,  
& inurbani, pudorem & innocentiam à se repellunt.  
Dolet & plorat cassita Æsopi, se, cum nec aurum sur-  
ripuerit cuiquam, nec argentum, nec rem aliam pretio-  
sam, ob unum & paruum tritici granum laqueo captā*  
vita

vita spoliari. *QVÆ PLVS NOCERE PROMISSORI*) De promissis hæc præcepta accepimus. i. Off. à M. Tullio, quo loco de iustitia seruanda disputat. Si quod promissum & conuentum, vel ei cui promissum sit; vel ei qui promiserit sit inutile si efficiatur, ne præstemus. Huc adhibet quod de Neptuno & Theseo super interitu Hippolyti in fabulis est. Multo minus si plus tibi promissa noceant, quàm illi profint cui promiseris, contra officium erit, maius antepone re minori. Constituisti te alicui aduocatum in rem presentem venturum, interim grauius egrotare silius incipit: magis ille discedat ab officio qui se destitutum queretur, quàm tu, si, quod dixisti, non feceris. Quid saltatrici puella, & impie Herodiadi caput Baptistæ amputatum proderat? At Herodi, ò Deum immortalem, quantum id nocuit? Sed propter insurandum & simul discumbentes rex egregius noluit puellam contristare. Hem pudorem necessarium. Alterum præceptum hoc est, nos illis promissis, quæ coacti metu, aut decepti dolo promiserimus non teneri. Addendum tamen, nisi sacramentum intercesserit, resq; mala & cum peccato aut cum incòmodo maximo coniuncta non fuerit. *NON QUI SVNT VALDE IDONEI*) Si rudibus indoctisq; doctoribus commissi fuerint, dimidio stultiores redibunt, quàm accesserunt, eruntque postea dedocendi prius quod malè didicerint, quàm doceantur quod eos rectè discere oportuerat.

## PROGYMNASMA

SEXAGESIMVM TERTIVM.

Duplex curatio huius vitij.

IIDEM.

**Æ**DVMENVS. Manifestissimè cognoui, quæ, qualia, quàmque multa damna impor

portet vitiosa verecundia. Quanquam enim tu pauciora percensuisti, ego tamen ex his reliqua coniicio. Nunc quod medicamentum istis ægrotis salutiferum credas, audire studeo magnoperè. A. Ratio & exercitatio medicinam afferre debent hoc morbo implicitis. Æ. Fufius ista quæso. A. Docendus est, quem hic stupor opprefsit, quémque velut captiuum coërcet hæc infania, se affectu nocenti, ac propterea inhonesto præpediri: nihil quippe idem honestum quod noxium. Quantum porro noceat, satis ex antegressa disputatione perspectum est. Et illa incommoda cum exemplis inculcanda & obtrudenda sunt huiuscemodi hominibus. Æ. Nihil dubitauerim, quin hæc ratio apud eos momentum ac pondus habitura sit, quandoquidem vnusquisque suorum incommodorum (vbi ea intellexerit) est osor maximus. A. Perutile quoque fuerit, non pauca illustrium proborumque virorum dicta & responsa mandasse memoriæ, quæ instantibus nobis, & ad indecoras actiones vrgentibus obiciamus. Exempli causa. Phocion Antipatro: non potes simul amico vti & adulate. D. Petrus, oportet, inquit, Deo magis obedire quam hominibus. Locus hic perâplus est, & innumera supeditabunt responsa in omni petitionum iniquarum varietate, si quis vel modicè antiquitatem, & sacros item Christianorum annales euoluerit. Æ. Recordor nonnullorum, quæ subiicerem, si docendi magis quam discendi partes ab initio suscepissem. Nunc, cur ego & ineptus sim, & in mare aquam? A. An tu me omnium sæculorum memoriam gestare censes in pectore? Multa



quidem ego audiui, multa vidi, multa legi, at non multa memini Aedumene. Quare licet oblitum moneas, si vti ignorantē docere me non vis. Æ. Persequere cœpta, mecum de isto conuenire nihil potes. A. Etiam per exercitationem à vitioso pudore nos vindicabimus. Æ. Nimirum? A. A paruis, vulgaribus ac minutis capiendum est principium, in quibus nimirum difficile non sit rectis aliquē oculis cōtra intueri, & flagitantibus ne gare, ne desit quod maiora petentibus respondeamus. In cœna fatis cum biberis, adhuc propinat tibi aliquis nec paruum calicem; nihil inepto pudori concede, excusa te & recusa. aut summo ore attinge. Prouocat te quis ad lusum aleæ: quamuis scias te petatum iri dicteris, ne lude. Si vocere timidus idcirco, responde: fateor me timidum, in his quæ honestatis sunt aliena. Incidisti in loquacem: qui te complexus retinet: sermonem tuum absolue, & veniã præfatus discede. Eiusmodi recusationes in minoribus adhibitæ, ad maiora nos condocerunt, atque ad repellendum deponendumque inutilem pudorem preparant. Sic Diogenes obābulans in Ceramicò à statuis flagitabat stipem. Id cum alij mirarentur, ego, inquit, in hoc me exerceo, vt assuescam æquo animo frustrari postulatis. Æ. Quid cum interdum laudant alij, quod nobis non videtur laudandū? Vt in conuiuio citharæcedus indoctè canit, aut in theatro scenicus actor sinistrè suas partes agit, plaudunt alij & commendant. Quid ego faciam, ne cogar erubescere? A. Audi cum silentio, ne laudaueris supra quàm tibi videatur. Si hoc non potes in alienis, quid

quid cum amicus inconcinnè & illepidè scriptam orationem, si carmen inconditū tibi ostenderit? Ululabis cum lupis, & cum reliquis adulatoribus laudabis, quod laudem non meretur. Quod si non potes non laudare vitiosa, idque in paruis rebus, dic mihi, quomodo in magno ac serio negotio offendentem audebis reprehendere? quomodo Remp. aut Imperium nō rectè administrantem admonebis? Æ. Quàm commune ac latè patens malum, arridere ridentibus, laudare cum laudantibus, & cum reprehendentibus reprehendere quæ in animo aut non ita probes, aut non ita improbes? A. Hoc ideo, quod latissimè regnat, & multorū est pudor vitiosus, quem nos, si sapiamus, omni studio contentioneque fugiamus. Æ. Fugiamus.

## ANNOTATIONES.

**O**PORTET DEO MAGIS OBEDIRE)  
*Pericles, cum amicus quispiam eum rogasset, ut in causa sua falsum iuraret: oportet, inquit, me amicis commodare, sed usque ad aras: olim quippe iurantes manum aram tangebant. Monemur, ne propter hominem Deum offendendum, & salutem nostram prodendam putemus. Quantum verò, & quibus in rebus declinatio concedatur ab officio animorum causa, differit Gellius li. 1. ca. 3.*

L V S V S.

PROGYMNASMA  
 SEXAGESIMVMQVARTVM.

**P**ATUM. De re lusoria, mi nepos, complura sciscitatus es, utpote hæc. Vtrum esset ludo utendum. Quomodo esset ludendum. Quis tenendus in ludendo modus. Quanam putarem esse officia ludentium. Qui ludi aduersandi. Quæ genera honestorum lusuum. Nunquid hæc ipsa, & tot capita fuerunt, quæ mihi ad respondendum proposuisti, an vitio ingrauescentis ætatis aliquid mihi excidit? est enim obliuiosa senectus. N. Nihil fanè, ista sex petebam, ut mihi explanares, iterùmque peto, mi Patruæ. Fac ut quomodo aliàs non rarò, ita hodie quoque doctior abs te discedam. De tuis innumerabilibus in me officiis hoc erit gratissimum. P. Ingenuo prorsus, prudentiq; & honestatis studioso adolescente digna est petitio tua. Quare, tametsi aliud habebam in manibus quod agerem, tamen commoditates, quas ex mea dissertatione adepturum te confidis, meis quantiscunque occupationibus nõ inuitus anteponom. N. Meus animus vicissim erga te is erit semper, quem tu iure postulaueris, & quem esse decet: nec in omni vita mihi tam erit res vlla proposita, quàm ut laborum in me tuorum metere possis fructum. P. Noui indolem tuam, scio ingenium. Ad rem ergo propius. Cum ex duabus differentibus naturis compactus homo concretusque sit, ex animo, inquam, & corpore, quorum illum cum cælestibus, hoc commune cum belluis habemus, si quis secum reputare contemplarique velit, qualis

lis vtraque effecta, quibus instrumentis & virtutibus a sapientissimo artifice instructa & condecorata sit, non aliter profectò iudicabit, quam non ad exigua quædam sed magna: non ad leuitatem, sed grauitatem: non ad otium, sed ad laborem: non ad ludicras, sed ad serias excellentiæque suæ pares actiones genus humanum esse procreatum. Etenim si tam nobiles animantes ad edendum, bibendum, ad iocandum, ludendumq; tantummodo, neque ad alium quendam eumque nobilissimum finem ille rerum opifex condidisset, meritò frustra generati videremur. Deus autem temerè nihil facit. N. Dictis tuis vehementer affinia sunt, quæ apud Nasonem Metamorphoseon lib. 1. extant de dignitate hominis. Tamet si vates ille fabulis de Chao & Prometheo veritatem inquinauit. P. Illos versus innuis.

Sanctius his animal, mentisque capacius altæ  
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset.  
Natus homo est. *& quæ sequuntur.*

Hos verò potissimum,

Os homini sublime dedit, cælumque videre  
Iulsi, & erectos ad sidera tollere vultus.

N. Reuera hos ipsos. Ac miror equidem memoriam tuam: nihil quippe recito ex poëta, oratore, historico Græcum Latinumue, quin tu locum & auctorem scias, ipsa verba denique. P. Non æque fidelis est amplius, vt fuit abhinc annis decem, & quindecim. Nam cum illa ex animi partibus infimissima sit, tum primo in eam senectus incurrit, & memoriola vacillare *περὸντικώ-  
ρερον* est, ait ad Att. Cic. Cæterum cum ita generati simus, quemadmodum dixi, tamen in per-

petuis atque continentibus corporis animique laboribus ac functionibus versari haud possumus, defatigamur, exhaurimur, frangimur. Neque enim credo è lapidibus Deucalionæis, nec (quod Euander de veteribus Latij incolis apud Maronem narrat) è truncis & duro robore extitimus. Mens item ex adamante confecta nobis non est: suam ipsa quoque lassitudinem persentit. Insuper hoc æui quod degimus permultis molestiis cinctum, variis incommodis malisque circumseptum, ac permistum est. Nec extat (vt ex Euripide conuertit Tullius) mortalium quisquam, quem non attingat dolor. Quare nisi interdum remitteremus, & oblectaremus animum, corpusque reficeremus, & instauraremus, durare qui tandem possemus? plus virium post relaxationem afferimus, & acriore viuacioreque impetu ad intermissa reuertimur. N. Tibi penitus nemo refragabitur: Haud quidquam immoderatum diuturnum, nedum sempiternum. Et verè Ouidius.

Otia corpus alunt, animus quoque pascitur illis:

Immodicus contra carpit vtrumque labor.

P. Ipsa rerum parens & conseruatrice natura vicissitudinem quietis & laboris ad salubritatem corporum, & remissionem vigoremque animorum inuenit, quæ noctem diei, suauitatem somni vigiliae succedere voluit.

Tempus erat quo prima quies mortalibus ægris

Incipit, & diuum dono gratissima serpit.

Agri quoque, quamuis fructuosissimi, nisi alterna quiete & vacatione ad fruges feliciter effendas reparentur, languent, vimque omnem paucis annis amittunt. Auiculas etiam ad habitandum,

tandum, propagandamque stirpem sibi similem  
nidos videmus fingere atque construere, easdem  
postquam aliquid effecerint, leuandi laboris caus-  
sa passim ac liberè solutas opere volitare per au-  
ras. Simillimè item animi nostri studiorum exer-  
citationibus, cæterisque molitionibus, suis de-  
fessi, pusillum laxamenti sibi dare, & cura posi-  
ta, ac sollicitudine laborum omni relicta gesti-  
re, & quodammodo volitare debent. At qui la-  
xamentum nullum melius, nulla quies expecta-  
tior, nullum otium optabilius, nec animo cor-  
porique conducibilius, quàm ubi ad probabile  
aliquod ludendi genus cum sociis æqualibusq;  
descenditur. N. Quapropter tadem? P. Ibi in pri-  
mis summa voluntatum concordia, ibi amicitia,  
ibi sermones hilaritatibus ac salibus redundan-  
tes, tæpe stiui risus, frustrationes miræ, incredi-  
bilis fortunæ varietas, præmiorum dulces appeti-  
tus. Quæ omnia quantam pariant delectatio-  
nem, quis tam hebes, quis tam crasso sub cælo  
natus, qui non animaduertat? N. Attamen illud  
dabis nihilominus, in ludo sæpius cõcitari iur-  
gia, existere inuidiam, & aliquando lutores in se-  
se mutuis plagis debacchari. P. Hominibus libe-  
ralibus istæc indecora sunt, de quib' postea dis-  
feremus. N. Cũ necessariũ videatur dare se non-  
nunquam iocis & lusibus, nescio quomodo seos  
in hominibus auctoritate eminentibus, & sapientia  
conspicuis vix satis probare possum. Quam-  
obrem tu me doceas oportet, hos eorum persona  
non esse indignos. P. Quid audio? indignos: ni-  
hil (nisi aberrem à ianua) erit quoquam alienum  
atque indignum, quod cõmuni naturæ con-

ueniens & congruum iudicatur. At tu fort assis exempla desideras, quo magis ad credendum ducare. N. Hoc est, & vt elicerem ea abs te, qui me pungebat scrupulum hunc meum detexi. P. Recensebo nostratia primum, deinde externa & ea antiqua. Habet enim vt in ætatib<sup>9</sup> auctoritatem senectus, sic in exemplis antiquitas, ait Cicero. N. Recense. P. Ioannem Euangelistam ferunt senio iam oppressum, aliquando visum à viatore sedentem in loco solo, & cum perdice lusitantes. Viator cum cerneret caniciem, & viri sanctimoniam non ignoraret, mirari, ac irridere etiam, velut otio tempus terentem. Cum porrò humeris arcum suspensum portaret, age, inquit B. Ioannes, intende arcum: intendit. Debilitabitur, & inutilis reddetur. Excepit Evangelista: Sic nos, nisi ieiuniis, precationibus, aliisque nostris laboribus quietem & iucunditatem interponamus, perseverare in instituto nequimus. An similitudo hæc ad refutationem idonea non est? N. Immò etiam, & irrisorem probè refellit. P. D. Lucas animum lassum pingēdis imaginibus recreabat. Possē recentiora producere, sed malo vetera. N. Habes in promptu Romana? P. Habeo. De Augusto Sueton. cap. 83. Animi laxandi causa modo piscabatur hamo, modo talis, aut oscillatis, nucibusq; ludebat cum pueris, quos facie & garrulitate amabiles vndique conquirebat. De focero suo M. Scæuola L. Crassus apud Ciceronem toties se audisse commemorat, cum is narraret Lælium, qui sapiens est cognominatus, semper ferè cum Scipione rusticatum, eosq; incredibiliter reperuascere solitos,

solitos, cum rus ex vrbe tāquam è vinculis euolauissent. Non audeo, inquit, de talibus viris dicere, sed tamen ita solet narrare Scæuola, conchas eos, & vmbilicos ad Caietam, & ad Laurentum legere consueuisse, & ad omnem animi remissionem ludūque descendere. De amobus item Horatius.

Quin vbi se à vulgo, & scena, in secreta remōrant  
Virtus Scipiadae, & mitis sapiētia Læli:  
Nugari cum illo, & discincti ludere, donec  
Decoqueretur olus, soliti.

M. Cato, quā grauis, quā magna opinione vir: ille optimus orator, optim<sup>9</sup> senator, optimus Imperator cum vernis, id est, seruorum paruis liberis iocabatur. Ad Græcos trāseo. Cum pueris & seruitiis suis luisse scribitur Archytas Tarentinus. Heraclitus Ephesius, is qui assiduo flebat, astragalus seu talis quī potuit ludere? Lussit tamen, quod literis extat. Hoc Democritum semper ridentem decuisset. Socrates philosophorum pater ab Alcibiade aliquando cum Lāprocle etiamnum pusillo puero ludens inuentus est. Agesilaus Lacedæmoniorum Rex cum filio paruo equitauit in arundine. Cum verò à prætereunte rideretur, ipse renidens; heus tu, inquit, file nunc quidem, factus verò ipsemet quoque pater, enuncia istuc patribus, quod aspexisti. Hercules qui orbem terrarum fama nominis sui impleuit, quanquam monstris debellandis, & certaminibus duris atque magnis obcundis esset intentissimus, nihilominus relaxabat animum, sapiūsque cum puerulis ludebat. Quin Euripides ipsum ita loquentē introducit.



Παίζω, μεταβολὰς γὰρ πόνων ἀὲ φιλῶ.

Ludo, nãmque laborum amo vicissitudinem.

N. Haud pauca percensuisti exempla, quibus confirmasti, quod argumentis antè persuaseras: nunc ad alterum caput sermonem transfer.

### ANNOTATIONES.

**M**INEPOS) Propriè & absolute qui ex filio filiaue natus est. Alioqui addendum, ex fratre, ex sorore. Nepos meus ex fratre, &c. Nepos item sunt nequam dissolutique homines, qui suas facultates profundunt, & abliguriunt. Cic. pro Quint. Quis tam perditus ac profusus nepos, non adesa iam, sed abundante etiam pecunia. Dicti autem nõ à nepa serpente, que deuorat omnes fœtus suos præter unũ, sed ex eo, quod pueri patre mortuo in auorum tutelam venientes tales ferme euadunt, propter eorum indulgentiam. Inducimus autem adolescentem & senem: illum ut discipulum, hunc ut magistrum. Nam ut adolescẽtibz bona indole præditis sapientes senes delectãtur, leuiõrg, fit eorũ senectus, qui à iuuetute colũtur & diligũtur: sic adolescentes, senũ præceptis gaudent, quibus ad virtutum studia ducuntur. Cicer. in Catone. EX ANIMI PARTIBVS INFIRMISSIMA) Plin. libro 7. capit. 24. Nec aliud est æquẽ fragile in homine, morborum & casus iniurias atque etiam metus sentiens, aliãs particulatim, aliãs vniuersa. Ictus lapide oblitus est literas tantum. Ex præalto tecto lapsus, matris & affiniũ, propinquorũque cœpit obliuionem. Alius egrotus, seruorũ etiam: sui vero nominis Messala Coruinus orator. E LAPIDIBVS, QVOS VACVVM) Inde λαῖς à λᾶ & lapis dictos volunt, quasi lapidum genus. Virgil.

gil. 1. Georg.

Deucalion vacuum lapides iactavit in orbem:  
Vnde homines nati, durum genus.

Vide Ouid. 1. *Metamorph.* RERVM PARENS  
ET CONSERVATRIX NATVRA ) *Lucretius* epitheton, creatrix, frequenter natura tribuit. Rerū  
natura creatrix. Et est, ubi omniparentem vocat. *Cice-  
ro* matrem rerum omnium, & communem parentem.  
AVTOSCILLATIS ) *Varia* est lectio huius verbi,  
de qua, & simul quodnam hoc ludi genus fuerit, *Turn.*  
lib. 3. cap. 18. *Brod.* lib. 4. cap. 7. *Torrent.* in caput 83.  
apud *Suet.* in *Aug.* ILLE OPTIMVS ORA-  
TOR, OPTIMVS SENATOR ) *Plin.* lib. 7. cap.  
27. Addit, quater & quadragies causam dixisse: nec  
quenquam sepius postulatum, & semper absolutum. *Ab*  
*P. Crassus Mutianus* quinque habuit rerum bonarum  
maxima & precipua; quod esset ditissimus, quod nobi-  
lissimus, quod eloquentissimus, quod iurisconsultissimus,  
quod Pontifex Maximus. *Gell.* lib. 1. cap. 13. De bonis  
& fœlicitate duorum *Metellorum* *Plin.* lib. 7. cap. 43. &  
44. & ARCHYTAS TARENTINVS ) De  
*Hercule, Socrate, Agesilao, Archyta* qui cum pueris  
lustrarūt, *Ælian.* lib. 12. cap. 15. IS QUI ASSIDVO  
FIEBAT ) *Seneca* lib. de *Trāquillitate animi*, cap. 15.  
comparans horum philosophorum, *Heracliti* inquam, &  
*Democriti* inter se facta, sic scribit. In hoc itaque flectē-  
di sumus, ut omnia vulgi vitia non inuisa nobis, sed ri-  
dicula videantur: & *Democritum* potius imitemur,  
quā *Heraclitum*. Hic enim quoties in publicum pro-  
cesserat, flebat; ille ridebat. Huic omnia quæ agimus,  
miseria: illi ineptie videbantur. Eleuanda ergo omnia  
& facili animo ferenda. Humanius est deridere vitam,  
quā deplorare. Adhuc, quod de humano quoque ge-  
nere

nere melius meretur qui ridet illud, quam qui luget. Ille spei bonæ aliquid relinquit: hic autem stultè deslet, quæ corrigi posse desperat: & vniuersa contemptus, maioris animi est qui risum non tenet, quàm qui lacrymas: quando leuissimum affectum animi mouet, & nihil magnum, nihil seuerum, nec serium quidem ex tanto apparatu putat.

PROGYMNASMA  
SEXAGESIMVMQVINTVM.

*Tempus, & modus ludendi.*

*IIDEM.*

**P**ATRVS. Modestix ac temperatix munus antiquissimum est, coercere moderarique voluptatis appetitum. Quo fit, vt in eius explanatione, cum officia traduntur, de ludo etiam & ioco præcipiendum videatur (siquidem voluptates sunt) quando illis vti fas sit, & quatenus. N. Perlubens de vtroque te disputatem auscultauero, tua enim oratione nihil eruditius, nihil etiam, (nec id auribus do) limatius atque facundius. P. Ludo perinde vti conuenit vt medicina, vt somno, vt quietibus cæteris. N. Strictim tu quidem & summatim. Sed explica quod inuoluisti, amabo te, mi Parrue. P. Quis appetit quietem, & cuiam ea dulcis est? N. Ei opinor, qui multum laborauit. P. Quis somno suauissimè fruitur? N. Cui lassitudo omnia membra tenet, cuique medullam perbibit, qui Planti sermo est. Tunc enim verè fessos sopor irrigat artus. P. Medicinam porrò qui expetunt? sanine, an mor

an morbum vel habentes iam, vel metuentes? N. Et qui ægrotant, & qui se ægrotaturos timent, accersunt medicos. P. Sic ludus iocusq; tum est haud aspernandus, cum grauib; seriisq; rebus, officiôque nostro satisfecerimus; quam rem fatigatio animi & corporis consequitur, quibus succurrendum est, velut medicaminibus, velut somno, velut quietibus aliis. N. Teneo quando ludendum: de modo seu mensura quæro. P. Inter ludendum immoderato impetu motuque animi turbulento abstinendum est; vt scilicet ne nimis omnia profundamus, elatiq; voluptate in turpitudinem aliquam delabamur; in lites, in inimicitias, in vulnera, in cædes etiam. Nam quia nec pueris quoties volunt ludendi potestatem, nec quoduis ludendi genus concedimus, sed id, quod ab honestate non recedat, oportet profectò in adolescentum quoque, nò virorum ac senum iocis ludisq; duntaxat ingenuitatis, modestiæ, honestatis lumen elucere. N. Non igitur eos commendares, qui frequenter totòque pectore ad lusum incumbunt. P. Quis id quidem possit? qui crebrò ludit, non indiget ludo, quoniam causam ludendi non habet, de qua supra diximus, & voluptatem tantummodo cõsectatur, quod *ἐπίστροφ* est. Qui autem se profundit & immodestus est, modum ac limitem transit, & vterque fit intemperans. Illud antiquum; ne quid nimis, hic quoque seruandum est. N. Iam, si placet, de officiis ludentium age, nam hoc deinceps sequitur, vt puto. P. Est quæadmodum putas, sequitur.

## ANNOTATIONES.

**L** VDO PERINDE VTI) *Præcipit ita Cic. 1. Offic. ubi agit de temperantia. Nos locum vberius aliquanto ut tractaremus, annisi sumus. Res quidẽ videtur haud ita magni momenti de ludo præcipere; veruntamen non parũ etiam in isto genere peccari potest, quod cum ex hisce paucis progymnasmatibus nostris, usq; breuissimis aliquantum animaduerti vel à rudioribus poterit, tum illi facillimè iudicabunt, qui in omni morum commoditate & elegantia perdiscenda tempus ac studium posuerunt. Quin autem crebrius ludendum sit pueris, quàm natu maioribus nemo dubitat, & ignoscendum etiam magis illi etati propter infirmitatem consilij, quàm adulta. Horatius ad Pison.*

Reddere qui voces iam scit puer, & pede certo  
Signat humum, gessit paribus colludere, & iram  
Colligit, ac ponit temerè, & mutatur in horas.

**Q**UIS SOMNO SVAVISSIME) *Perfugium videtur omnium laborum & sollicitudinum somnus: at ex eo ipso plurimæ curæ, metusque nascuntur. Cicero, 2. de Diuin.*

## PROGYMNASMA

SEXAGESIMVM SEXTVM.

*Officialudentium.*

I I D E M.

**P**ATRVS. Quæ dicturus sum, eorum aut pleraque, aut omnia à paucis obseruari autumo. N. Credo equidem, nec vana fides, & ideo ipforum lusus laude carent. P. Qui pertinaciam adhibet, qui fraudibus lusores circumueniunt,

rixan

rixantur, mentiuntur, illi ad imponendas vicissim graues iniurias sese armare quodammodo, extimularéque videntur: nemo siquidem fallaciis, dolis, conuiciis, contumacia secú agi vult, & longè præstat vinci, quàm vincere huiusmodi artibus. Sicuti Socrates affirmabat, meliores esse qui acciperent, quàm qui facerent iniuriam. Et Plutarch. Non tantum egregium est scire vincere, sed etiam posse vinci pulchrum est, vbi victoria est damnosa. N. Pueri, in quibus existere solet insatiabilis victoriæ cupiditas, ægrè deuitât hæc vitia, & difficillimè sibi temperant, quin alternatim decipiant, aliquid inter se litigij cōtrahant, vanitatem orationis adiungant, & ira exuperante (quam comprimere propter animū, qui eos regit infirmum, non possunt) vnguibus in faciem inuolent. P. Quædam officij præcepta debent ac possunt tradi quamuis pueris, quæ si non seruent, virgarum pœnis subiiciantur. N. Expertæ virtutis remedium hoc est, pellendisque puerorum morbis efficax. P. Qui ludicrorū certaminum arbiter & iudex deligetur, ei sententiam ferenti aduersari ac reclamare non oportet. Si quādo cum sodalibus imperitiis ludum susceperimus, eosque propemodum semper vincere possimus, cogitatō cedemus illis nonnunquam triumphum, vt se quoque nonnihil profecisse cum putauerint, fiant alacres, & nos alacroires reddant. N. Id obseruauī cum coæuis meis puer sæpius, & nunc cum adolescentibus adolefcens obseruo. P. Optimum est. N. Tamen quo quisque imperitior est, hoc illi amplius à ludo refugiendum existimo.

Ludere

Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,  
 Indoctusque pilæ, disciue, trochiue, quiescit,  
 Ne spissæ risum tollant impuæ coronæ.

P. Immo enim uero tanto magis ludat, quoniam nisi usu & exercitatione peritia non acquiritur. Ille tantum ludere vereatur, qui nihil didicit. N. Responsione tua sum contentus. P. Ingennum est, magis animi, quàm lucelli causa ludere: quod cum quæritur, difficile est tueri modestiam. Lucrum nunquam satiat; atque adeo plus est in ea appetitione frangenda negotij. N. Nô ergo laudas, cû pecunia in ludo deponitur, quam victor sibi tollat. P. Non laudo. Quod si pueri nummulos deponant, multandos verberibus pronuntio. N. Quamobrem verberibus? P. Nam cum ij defecerint, parentibus furâtur denuo, vt sumptus in ludum suppetât. Nuces, globuli, & similia sint pro quibus certent. Non errant, qui indolem puerorum in ludo perspicisci scripserunt. Ego verò etiâ viros inde cognoscio, & commendatione prosequendos, qui semetipsos continere norunt, & quidquid illiberale est, remis ac velis fugiunt. N. Fortior est qui se, quàm qui fortissima vincit. P. Optarem adesse ludis puerorum pædagogos, magistros, aut maiores natu, quos reuereri & metuere cogerentur: vt proinde nihil parum decens, nihil petulans & pœna expiandum committerent. Illud item à quibusdam rectè præcipitur, vt dum ludunt, Latinè loquantur, certa in eum animaduersione decreta, qui vulgari sermone usus fuerit. Hanc ad rem conducet plurimum, si Præceptores vocabula simplicia, & loquendi rationes

ac phrasas, ad quodque ludi genus pertinentes  
ipsis explicauerint & dictauerint. N. Nusquam  
æquè barbarè inquinatèque loquentes audio  
pueros nostros, quàm inter ludendum: vt non  
tam imperandus illis, quàm vetàdus sit Latinus  
sermo. Vtilius enim tacere omnino, quàm adedò  
fœdè garrere dicam, an grunire? P. Quid mirum?  
nemini sollicitudini est, vt propriè ac Romanè  
loquantur. N. Video in multis admonendos ac  
docendos ipsos doctores. P. Caci cecos ducunt.  
N. Aliane restant officia? P. Etiam, restant quæ-  
dam. N. Eia, adiunge. P. Vt ludas cum notis. Ete-  
nim cum ignotis ludere, nec iucundum est, nec  
tutū. N. Vti affirmas, sic est omnino. P. Sint item  
collusores belli, humani ac probi, cum quibus  
periculum non sit ne litiges: ne aut illi tibi, aut  
tu illis dicas, quod altius in pectus descendat:  
qui que deuotionibus, blasphemis, & obscœnis  
dictis abstineant, ne quid cõtationis ad te per-  
ueniat. Ipsum præterea ludi genus tibi, colluso-  
ribus spectato ribusque sit cognitum, vt ex om-  
ni parte voluptas capiatur. Nec nulla spõsione,  
nec magna ludito. Illud fatuū est; hoc sollicitat  
& perturbat animum ludentis, & si victus fuerit,  
magnopere excruciat. N. Nescio quomodo mœ-  
rori est vel nuces, vel ligulas paucas ludèdo per-  
didisse, nedum vitulam, quæ bis venit ad mul-  
strā, binos alit vbere fœtus. P. Postremo tamdiu  
ludes, donec animum ad grauiora & seria repa-  
ratum sentias. Nō enim ad ludum & iocum, sed  
ad seueritatem potius, & ad quædam studia gra-  
uiora atque maiora facti sumus, vt præclare di-  
ctum est à Cicerone. N. Relinquitur iam (vt erat



propositum) quartum quæsitum, qui lusus minimè exercendi. P. Commemini.

### ANNOTATIONES.

**Q**uo distinctius omnia explicarētur, meliusq; memoria tenerentur, cum potuissem hoc progymnasma cum superiore parum longo connectere, separavi tamen. Id quod alias ob eandem causam à me factum studiosi intelligant. Nec in verbis autē, nec in rebus quidquam est annotatione magnopere dignum. Habent non minus Magistri quā pueri quod ex hoc dialogo discant.

**INSTABILIS VICTORIÆ CVPIDITAS)**  
*In pueris, inquit Cic. 5. de finib. ut in speculis natura cernitur. Quanta studia decertantium sunt? quanta ipsa certamina? ut illi efferuntur latitia cum vicerint? ut pudet victos? ut se accusari nolunt? quā cupiunt laudari? quos illi labores non perferunt, ut equalium principes sint? &c. ADESSE LVDIS PVERORVM PAED. MAGIST.) Cic. 1. Off. cum de adolescentum officiis agit. Atque etiam cum relaxare animos, & dare se incunditati volent, caueant intemperantiam, meminerint verecundia: quod erit facilius, si eiusmodi quoque rebus maiores natu interesse velint. Ergo tum hac, de qua diximus, tum alia quoque de causa, ut vult Cic. senioris adolescentum lusibus interesse conuenit.*

## PROGYMNASMA

SEXAGESIMVMSEPTIMVM.

*Lusus auersandi.*

I I D E M.

**P**ATRVS. Verecundum ac liberaliter educatum adolescentem ab illis lusibus refugere oportet

oportere, quibus infamiæ nota iniusta est, ex antegressis disputationibus disci potuisse opinor. N. A. quibus istis? P. Alearum siue tesserarum, & chartularum pictarum. Latrunculorum ludum (vulgò scachorum) inuenio damnari ac reiici à nonnullis, quanquam vsitatissimus est, placetque multis, de quo Hieronymus Vidas poeta eruditus & elegans libellum fecit. Nihil aiunt habere iucunditatis, constare quidem ingenio, sed ideo literatis minus idoneum, quod mentem studiis iam defatigatâ, magis cessatione recreare, quàm nouo meditationis labore grauare oporteat, & tempus, quo nihil sit pretiosius, ea ludi vanitate ineptè consumi: esse inuentum hominum nimis inertium, & ab otiosissimis frequentari. Hæc illi dicunt. N. Quod tuum est iudicium? P. Ego rem in medio relinquo: caret certè ignominia, & principibus etiam viris non improbatur. N. De alea velim aliquanto vberius disseras. P. Aleæ ludus à Palamede Nauplij filio, apud Troiam in castris ad militum otium oblectandum excogitatus putatur. Quidam hunc Palamedem latrunculorum auctorem prodiderunt. Plato scribit Theut præscum quendam Deum talos & aleas inuenisse. Herodotus autem libr. 1. Lydiis hoc inuentum tribuit. Interdictum olim huncce ludum Romæ fuisse indicat Horatius.

ludere doctior

Seu Græco iubeas trocho,

Seu malis vetita legibus alea.

Ulpianus quidem lib. Pandect. X. titulo de aleationibus, eiusmodi Prætoris edictum producit. *Prætor ait: si quis eum, apud quem alea lusum esse dico-*

*tur, verberauerit, damnatum ei dederit, sine quid eo tempore domo eius subtractum est, indicium non dabo. In eum qui alea ludenda causa vim intulerit, uti que res erit, animaduertam: Illud, Vim inferre, Paulus Iureconsultus sic interpretatur. Cogere ad lusum vel ab initio, vel victi dum retinent. Sapientibus & literatis viris semper odio fuit hic ludus. Plato adolescentem aleam ludentem videns cum increparet, & ille: ob rem tam parua me obiurgas? At consuetudo non est res parua, subiecit Plato. Nolebat vir singularis in consuetudinem veniri ea in re, quam iudicabat vitiosissimam. Nunquamne audisti illud: Optimus aleator est nequissimus? Et illud: Quanto melius, tanto peius? N. Millies. P. Cum impudicis & ventri deditis coniungit aleones Catullus, ut ex societate hominum præstantiam perspicias.*

*Quis hoc potest videre? quis potest pati,  
Nisi impudicus, & vorax, & aleo?*

*Et Næuius apud Festum: Pessimorum pessime, audax, ganeo, lucro, aleo. Cicero item 3. Off. Cum mendacibus, furacibus, ebriosis aleatores nominat. O genus lusorum nobilissimum. Quid talibus audacius, quid impudentius, quid in Deum atque homines execrationibus iaculandis exercitatus? Domitianus Imperator, quoties occupationibus se relaxasset, ludebat tesseris. Usque adeo cætera iucunditates illi sordebant. Nero immanis illa bellua, in singula puncta, nescio quot aureorum millia constituisse dicitur. O aleam pretiosam, verèque auream & argenteam. Fuge, mi fili, hoc turpissimum genus ludendi, si quidem*

quidem ex re consultas tua. N. Et fugi, & fugiam quasi pestem quandam. Qui præter hos vitandi sunt? P. Sortium ac diuinationum, quibus lethalis noxæ piaculo homines obstringuntur: homines inquam malefrugi, quos illa recreant. N. Nō possum quin exclamem. Facile hīc plus mali est, quàm illic boni. P. Funambulos, gesticulatores, dnellatores, moriones in ordinem aleonum referre licet. N. Superest vltimum caput. P. Id cum absoluero, nihil amplius debueo. N. Nihil fanè.

## A N N O T A T I O N E S .

**M**ENTEM STUDIIS IAM DEFATIGATAM) *Qui sic ludunt, ij ludo quem ad remittendum, non ad intendendum animum inuentum constat, abuti videntur. Nec tamen postulamus, vt omni prorsus agitatione mentis curaque vacent ludentes, tanquam si cauli bestiolaque inter se lustrarent. Vehementiorem cogitationem attentionemque altiore prohibemus: vbi videlicet, qui se ad ludum dederunt, alium astantem fabulari, aliosque interim colloqui non patiuntur, ne ipsorum distraherentur animi, & ipsi, veluti si mathematicis figuris & numeris occuparentur, defixi cogitationibus perpetuo silent.* **A L E A L V D V S**) *Pro instituto nostro dicta sunt multa satis in aleam. Qui plura cupit, legat cap. 4. lib. 2. apud Iunium, in quo etiam multa de talorum iactu. Ad quoduis periculum significandum, vox alea usurpatur. Hinc aleam iacere eos dicimus, qui periculo se committunt. Iurecos. emere aleam dicuntur, qui incerte rei futurae spem emunt, vt captum piscium, auium, &c. Aleatores etiam, qui sese quocunque ludendi genere fortune varietati audent committere: & ita pecunias,*

*tempus, aliquando vitam quoque amittere. DOMITIANVS IMPERATOR) Afferat aliquis etiam mustas stilo præacuto configere honestum esse, quoniam id egregius hic Imperator factitabat, ut supra in dialogo quodam retulimus. Lufit & Cato aleam, & Augustus, & Claudius Imp. qui teste Sueton. cap. 33. etiam librum de hac arte edidit. Item Artaxerxes, ut refert Plutarchus. Theodoricus autem Gothorum rex cum in alea vinceret, indulgentissimus erat. Quare ea tempora ad promerendas gratias domestici captabant: sicut cum Vespasianus in balneum iret.*

P R O G Y M N A S M A  
SEXAGESIMVMOCTAVVM.

*Genera lufuum.*

I I D E M.

**P**A T R V V S. De pilæ ludo disseramus primum. N. Hoc mirificè capior. P. Delectati sunt eo Alexander Macedo, Iulius Cæsar, Augustus, M. Antonius, Alexander, Seuerus, Domitianus, omnes potentissimi Imperatores, multiq̄ue philosophi, & illustres viri, in quibus etiam Scæuola Iurisconsultus ille antiquus nominatur. Comendatus à quamplurimis doctissimisq̄ue scriptoribus, & olim à senatu Romano approbatus est. Galenus librum de eodem composuit, in quo ut animo & corpori vehementer idoneum comendat. Lib. 2. τὸ γὰρ ὑγιᾶς inter celeres exercitationes reponit. In hoc non modica voluptate mens afficitur, ingenium & animaduersio excitatur,

tatur, coprus æqualiter exercetur, oculi, caput, manus, pedes cum celeritate dexteritateque moventur: vt in eo lusu etiam palæstræ artificium appareat, quod affirmat in primo de Orat. M. Tullius. Vox ipsa dilatatis arteriis clarior efficitur, & melior. Sunt autem huius genera complura, de quibus dicere non est huius loci nec temporis. N. In posterum ero longè studiosior pilæ, postquam tu eam tantis laudibus ornasti. P. De calculis, siue latronum, latrunculorumue lusu Martialis in apophoretis.

Insidiosorum si ludis bella latronum,  
Gemmaus ille tibi miles & hostis erit.

Vocitatur hoc nomine, quod antiquitus latrones dicti sunt conductitij milites, à τὸ τῆ λατρεῖν quod est inferuire, quia nimirum in bellis seruibant mercede. Varro tamen dictos eos à latere vult, quasi laterones, vt qui circum latera erant regi, atque ad latera ferrum habebant. Ab eo que, inquit, veteres poëtæ nonnunquam milites appellant latrones, aut, vt postea subdit, quod latent ad insidias faciendas. Est in ludis etiam equitatio, piscatio, aucupium, deambulationi uncia, pictura. Hoc postremo genere qui videntur, meminerit pingere quæ aspicientem prouocant, & alliciunt ad honestatem, non ad dedecus atque flagitium, sicut illi pseudeunucho apud Terentium contigit. Suauissimus item est lusus Musicus, cum duo, tres, quatuor aut plures in eundem locum coeuntes, vel vocibus, vel fistulis, vel fidibus, vel his omnibus permistis simul concinunt. Quæ autem canentur verba & sententiæ, honesta sint, non amatoria, aut scurri-

lia (vt ex iis quæ Madrigali vocantur quàm plurima) nec omnis doctrinæ expertia. N. Non ipsis modo canentibus, verùm audientibus quoque iucunda est musica, & qui canunt, & quibus canitur, vtriq; summa voluptate fruuntur. Ecquid etiam festiua & faceta colloquia in recreationibus numeras? P. Quidui? sed in his sermonibus ad hilarandos animos inductis tenendum est Ciceronis præceptum. H. Quodnam? P. Duplex omnino est iocandi genus, inquit in 1. lib. Off. vnum illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum: alterum elegans, vrbatum, ingeniosum, facetum: quo genere non modo Plautus noster & Atticorũ antiqua comœdia, sed etiam philosophorum Socraticorum libri referti sunt, multaque multorum facetè dicta. Facilis igitur est distinctio ingenui, & illiberalis ioci. Alter est, si tempore sit, ac remisso animo, libero dignus: alter ne homine quidem, si rerum turpitudini verborum adhibeatur obscœnitas. N. Ludum attulisti quem nõ quiuis possit ludere, quia doctorum ingeniosorumque hominum. P. Non inficior. N. Qui sunt præterea? P. Ludere etiam consueuimus orbiculis ligneis, aut æneis, super longa & angusta mensa. N. Hic ego dux milesque, bonus. P. Et tridiculis, seu globis æneis in crates quasdam super mensam impellendis ludimus. N. Et hoc noui. P. Sphæras quoque ligneas per annulum ferreum impellimus. N. Et istuc. P. Puerorum planè sunt, globulorum, nucum, turbinis, trochi, par impar, ite epostracismus. Turbinis lusum venustissimis versibus Latinorum poetarum signifer in 7. Æneidos describit, cum  
 furorem

furorẽ Amatæ Regiæ depingit.

Tum verò infœlix ingentibus excita monstis,  
Immensum sine more furit lymphata per urbem.  
Ceu quondam torto volitans sub verberẽ turbo,  
Quem pueri magno in gyro vacua attia circum  
Intenti ludo exercent: ille actus habena,  
Curuatis fertur spaciis, stupet in scia turba,  
Impubesq̃ue manus mirata volubile buxum,  
Dant animos plagæ, &c.

Tibullus quoque lib. 1. eleg. 5. hac vsus est similitudine.

Namque agor vt per plana citus sola verberẽ turbo,  
Quem celer assueta versat ab arte puer.

N. Quid est epostracismus? P. Quo testulam aut lapillum tenuẽ, & latum super fluminis æquor humo tenus inclinati dstringimus, & saltus quos edit priusquam desidat, numeramus. Ille victor euadit, cuius lapillus plures saltus saltauerit. N. Iam recordor; neque hic mihi inusitatus fuit. P. Deditus fuisti admodum lusibus; nunc tanto studio æquum est te ad literas incubere. N. Non patiar quidquam in me desiderari. Deus faciat, vt tibi pro tuis in me benefactis pretium aliquando possim reddere.

#### ANNOTATIONES.

**D**E ludo calculorum, siue latrunculorum, talorum, tesserarum, alca, pile, aliisque nonnullis, quibus frequentius Romani & extera nationes vterentur, legendus Alex. ab Alex. libr. 3. cap. 21. cum annotationibus Tiraguelli. NON EST HVIVS LOCI) Solebant lustrare pile paullo ante balneum, vel dum hypocausta & sudationes calefierent. Vide Turneb. cap. 4.



lib.6. Ubi & illa explanantur, datatim ludere, dutores, factores. Item raptim, expulsim ludere, & suram dare. AD DEDECVS ATQVE FLAGITIVM) Propert. lib.2. eleg. 6.

Quæ manus obscenas depinxit prima tabellas,  
Et posuit casta turpia visa domo,  
Illa puellarum ingenuos corrumpit ocellos,  
Nequitixque sææ noluit esse rudes.

PVERORVM PLANE SVNT) Enumeramus aliquot genera lusuum puerilium, quibus adde quod olim exerceri solitum tradit Rhodigin. lib.18. cap.9. cum videlicet pueri ficus, aut vuarum acinos in sublimi iactabant, eosque ore parente excipiebant. Et quod apud Italos musca caca vocatur, nec Germanis ignotum, de quo Victor. lib.15. cap.16. Cetera enumerare nihil attinet: non enim docemus ludere, sed honestè ac incundè quomodo ludèdum sit præcipimus. EPOSTRACISMVS) Hunc lusum describunt Iulius Pollux, & Minutius Felix in dialogo qui Octavius inscribitur, & octavius Arnoby liber falso existimatur.

## PROGYMNASMA SEXAGESIMVMNONVM.

*Colloquium festiuum.*

BENIGNVS, SEVERVS, IVLIVS,  
APOLLONIVS.

**B**ENIGNVS. Deãbulare nunc propter spurcissimam tempestatem ineptum atque insanum esset. Ob eandem causam in sphæristerio pila palmaria, aut globis per annulum ferreum ludere non datur. Nos verò luctatores, pugiles, saltatores, palæstritæ non sumus. Neque cursu  
saltem

saltem contendere possumus, cum stadium desit. Quo igitur ludo, o sodales, potissimum hoc tempus traducemus? S. Cantu musico. En tibi quatuor cantores, qui numerus ad plenam communemque symphoniam sufficit. Ecce Orlandinas cantiones. I. Ego raucesco, non aduertistis? & iam pridem non cecini quidquam. A. Miser, vix libaui musicen, sæpe hæreo & erro. Cithæredus ille rudis apud Æsopum exëplo me suo terret. Nam cum in domo camerata, & calce illita sæpius caneret, sibi que placeret admodum, iudicauit se quoque in theatrum prodire cum artificio suo posse; quo progressus cū malè caneret, à populo lapidibus appetitus & fugatus est. Idem metuo ne mihi indocto ac rudi inter vos vestri que similes eueniat; domi meæ ipse mihi canto & placeo. B. Symphonia discors si paullum summo discessit, vergit ad imum, ait Flaccus. Quare mauult non cani quàm discordi concëtu, & voce insuauis, qualis raucorum est: ne aures cum non delectentur, radantur etiam. Existimo autem Iulium imitari velle Indum sagittarium, qui etiam per annulum longius distantem sagittam mittebat; tam excellebat in suo artificio. Hic cum fuisset ab Alexandro Magno captus in bello, iussus est coram rege artis suæ specimen dare. Recusantem rex præcepit interfici. Cum igitur ad necem abduceretur, dixit carnificibus & lictoribus, se longo intervallo non exercuisse artem, ideoque timuisse ne erraret. Quod vbi Alexandro renunciatum est, vita & munere donatum dimisit, quoniam non contumacia, sed ignominia metæ imperiū

. Regis

Regis persequi nolisset. Sic noster Iulius, cum sit alioqui voce canora & suavi, artisque iscientissimus, ne de collecta gloria effundat, aliquid canere iam non aggreditur. I. Tu quidem me honoris cupidior facis, quàm ego me esse sentio. Verùm cantum in aliud tempus differamus. Repete, amabo, his auditoribus historiam vnam ex iis, quas nuper mihi cum grauitate habere domi meæ narraſti. B. Tu ipse repetas licet, siquidem ex me iam audiisti. I. Multò melius & disertius tu, & ego propter rauim haud absque molestia loquor. A. Prome aliquid, Benigne, vnde rideamus. S. Ego idem rogo; vide ne sit impudentiæ & inhumanitatis trium preces continere. B. Audite igitur, quod mihi met vir grauis, ac fide dignus retulit. Maximilianus Imperator Caroli Quinti auus, Augustam Vindelicorum conuentum Principum indixerat ad comitia. Quo tempore non vos præterit, quàm diuersis è locis, quàm multi nobiles viri ad eas ciuitates se conferant, in quibus illi conuentus peraguntur. Tum quoq; dant sibi vicissim epulum Principes & illustres Satrapæ ac Dynastæ. Versabatur per eos dies Augustæ, sycophanta quidam graphicus, incertum cuius fuerit, qui se pro nobili gerebat, cultu penè regio, & torquatus incedebat, aliquot seruos & pedisequos sibi adiunxerat. Hic nobilis in omnibus Principum dominorumque conuiujs apparebat, ventrem suum, vt parasitus, vbique pascebat, & quasi mus alienum cibum edebat; nec scire quisquam poterat quis esset, aut qua dignitate, aut cui Regi siue Principi seruiret: tam callidè veniebat

& discedebat, omniâq; sua dissimulabat; in quo ipsum non parum mentiendi quædam dexteritas, & lingua versatilis adiuvabat. Serui eiusdem mensæ æmuli, & quasi in eodem ludo docti erât. Aliquando nobiles aliquot viri ex composito hunc mensarum asseclam huiuscemodi verbis adoriuntur. Tu à prandis cœnisq; nostris nûquã abes, in quibus tuorum sermonum festiuitate nos multum recreas. Num æquum tibi non videtur, vt ad te quoque præsum veniamus? Hic ille vaferrimus & dolis instructissimus, & ad quæuis respondere paratissimus, sereno ac subridente vultu: Quid verò, inquit, mihi aut gratius, aut honorificentius possit accidere, quàm si tales viri suo me aduentu dignum arbitrêtur? Venite, si placet, crastina luce ad decimam: in illa platea domum conduxî, signum est huiusmodi ante ædes. Interea famulos docere quid agerent, quo pacto sibi quàm scitissimè doctissimèque inseruirent. Nobiles illi viri, nihil dum suspicantes etiam mali, nec scientes sibi fucum fieri, postridie veniunt, domũ ingrediuntur: iste ad primum limẽ occurrit, amicissimè eos prior salutat, singulis dexteram porrigit, oculis, toto vultu (quem in quemuis habitum formare poterat facillimè) voce & verbis denique testatur sibi ipsorum præsentia nihil iam pridem euenisse carius. Rogat, vti certo in loco, ad quem eos ducebat, tantisper considerare, & expectare velint, donec in interiore domo omnibus commodè paratis discumbatur; id mox futurũ. Quid multa? assidet, varios sermones textit, hominẽsq; mira humanitatis significatione ac renidens demul

mulcet. Famuli hinc inde per domum discurre-  
 re solliciti, valdeque in speciem occupari. Hic  
 sæpe nunc istum, nunc illum nominatim ad se  
 vocare, ac nescio quid ad aurē eis insusurrare,  
 quod inuitati ad splendorem ac magnificentiam  
 conuiuij putarent pertinere. Quin illi quoque  
 vltro ad dominum accedere, & cum eo coniun-  
 gentes caput secretò fabulari. Ille, bene est. Itē,  
 cura vt quam primū. Et, cauebis quidquam  
 omittas. Atq; hæc omnia voce clara, Rutilusq;  
 ad nobiles conuerti, eos rogare, ne quid ex hac  
 mora molestiæ traherent, iam iam accubituros.  
 Nonnunquam famulos prætereuntes obiurga-  
 re vt segnes, & quærere quando tandem pa-  
 rati forent; nunquid ad vesperum expectan-  
 dum esset? iterum hospites orare, ne agrè pate-  
 rentur moram, & iratum se cocis ministrisque  
 ostendere. Tandem vocatis mora nimis longa  
 videri, & vultu iratiore signum dare. Ille blan-  
 dissimè; extremū vos oro, inquit; non putauī sa-  
 nè mihi famulos esse tam inertes, vindicabitur  
 in eos, non impunè habebunt tarditates istas.  
 Tum verò repētē feruus meditatus aduolat, an-  
 helus & perturbatus, ad aurem domino immur-  
 murat aliquid. Is altum trahere suspirium, &  
 ingemiscere, mutuóque repente vultu supra  
 modum exalbescere, & oculos in terram dei-  
 cere, ipso etiam reliquo corpore dolorem inso-  
 litum præ se ferre. Illi, quid est domine, quid est?  
 quid te conturbat? Ah, accepi nuntium. Illi,  
 quem nuntium: ingratiſſimum. Instant viri; in-  
 dica, forsitan medebimur dolori tuo. Cum ter-  
 giterfaretur dedita opera, & illi premerent  
 (quod

( quod irrifor cupiebat, vt tanto verius appare-  
ret, quod dictum eſſet heu, inquit, fideliffimus  
atque optimus ſeruorum meorum iam iam pe-  
ſtilentia in cubiculo extinctus mihi nuntiatur,  
ô me infelicem. Hoc illi audito, vehementer, vt  
par eſt, metu contagij expalluerunt, ſubitôque  
ac ſine vlla cunctatione, ne ſalutato quidê ho-  
mine ex ædibus ſe foras eiecerunt, ac domum  
ſuam quiſque velut exorto incendio proripue-  
runt. S. I. A. Ha ha he. S. O lepidiffimum pran-  
dium. A. O verſutum caput. B. Poſt illum diem  
cum prima luce ex vrbe exceſſit. A. Cautus fuit,  
proſpexit & conſuluit rationibus ſuis. Fuga tu-  
tiſſimum præſidium poſt maleficium. S. Ciuius  
aliquanto illuſit vmbriſ ſuis Philippus Ale-  
xandri pater. B. Narra quaſo. S. Inuitatus erat ad  
cœnam, cumque inter eundem plures haberet  
amicos obuios, ſecum eos duxit. Hoſpeſ turba-  
ri, qui ſciret tam multis non fore ſatis, quod ap-  
parauerat. Philippus vbi hoc ſenſit, puerum ad  
ſingulos amicos mittit, monet clam, vt placen-  
tæ ſeruent locum. Illi credentes, placentâm-  
que expectantes, parciffimè appoſitis veſce-  
bantur. Ita contigit, vt cœna modica omnibus  
quamuis multis ſuffecerit. Facetè & hoſpitiſ pu-  
dori ſubuenit, & amicos deluſit. I. Multa huius  
regis argutè, iocoſè, grauiter, moderatè & vr-  
banè dicta factaq; referuntur, ex quibus duo in  
præſens occurrunt. In palæſtra prolapſus, cum  
ſurgens in puluere vidiffet corporis veſtigium.  
O Deum immortalẽ, inquit, vt minimam ter-  
ræ partem natura ſortiti, orbem appetimus vni-  
uerſum. Hoc ſi filio haſiffet animo, nõ potuiſſet  
Iuuenalis

Iuuenalis scribere,

Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis.

Cum apud Cheronæam Athenienses prælio fu-  
disset, ne eius victoriæ gloria sese insolentius  
efferreret, iussit puerum in dies singulos ad se  
adire in lucis exortu, & ter isthæc verba pro-  
nuntiare. Philippe, homo es. Nec verò quenquã  
prius ad se accedere patiebatur, nec quoquam  
prodibat, quàm id à puero audiisset. Sed tu  
Apolloni, tu Severe num discedetis *ἀσύμβολοι*?  
Afferte aliquid. A. Ego nihil memini, nisi factũ  
rustici; si vos rustica facinora delectant, expo-  
nam; & id pro vtroque nostrũ, me & Severo;  
nam id ipsi gratum fore auguror. S. Gratissimũ.  
A. Auorum nostrorum memoria ferunt extitisse  
agricolã, sed ingenio tamẽ paullò minus agre-  
sti & rusticano, prope etiam vrbano & ciuili.  
Hic cum miro desiderio teneretur cognoscen-  
darum sacrarum literarum, biblia sibi emit, eã-  
que tam studiosè legit, vt magnam partem sum-  
ma memoria pronuntiaret. Cum autem ventita-  
re in vrbem vicinam soleret, & pro re nata  
cum ciuibus disputare de diuinis rebus, tandem  
aulicis quoque notus ac familiaris euasit, & per  
eos Principi commẽdatus est, quem ille magna  
sæpe cum voluptate differentem audiebat. Ali-  
quando igitur facetè quæsiuit ex Principe rusti-  
cus. Quæro, inquit, Illustrissime domine, cum  
apud Prophetam dicat Deus, cælum & terram  
ego impleo: si ei vestis esset cõficienda, quot pã-  
ni vlnis putas fore opus? ingens siquidem est  
cœli terræque capacitas, quam ille se implere  
profitetur. Risit Princeps. Quid tu tam radricula  
quæris?

quæris? aut quis hoc scire queat? Tum ille, ego verò mihi videor posse discere. Audiamus, inquit, insulsum aliquid. Hic rusticus: non indiget Deus ad vestem amplius quatuor aut quinque vlnis. Qui dum? quia in sacro Euāgelio dixit ipsemet: quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Ego autē sum minimus eius, & vt vides, tunicam gero detritam & laceram, estque mihi opus ad nouam quatuor tātum vlnis panni mediocris. Itaque iube obsecro tuo mihi sumptu vestem fieri, & Deo ipsi fecisti. Sūm opere hilaratus hoc lepore Princeps ille, ita faciā ait: appellatisq; ministris, curate, inquit, huic optimo homini vestem panno singulari, quantumuis pretio fieri, de meo ærario: nam argumento id peropportuno à me impetrauit. Quam vellē sodales optimi, huius rustici similes haberemus non rusticos? B. Nihil hac narratiuncula festiuus.

### ANNOTATIONES.

**C**ITHAROEDVS ILLE RVDIS) Idem quod fabella hac docent prouerbia. Messe tenuis propria vine. Et, tuo te pede meire. Ne scilicet putet quisquā se illum esse qui non est, aut maiorem esse quàm est, in quocunque genere. **SYCOPHANTAGRAPHICVS**) Sycophanta (si vocē spectes est) accusator & ostensor eorum qui furantur ficus, vt docet Festus. Quæ quoniam res parua est, capitur vox etiam pro calumniatore in rebus paruis, & sycophantie pro calumniis. Item pro illufore, pro impostore & imposturis, vt videre est apud Plautum Trinummio, Pseudolo, Persa. Vide etiam Turneb. lib. ii. cap. 5. **QVASI MVS ALIENVM CIBVM**) Quærimonia Ergasili parasiti de se, sudque



*natione famelica nimirum hac est in Captiuis.*

Quos nunquam quisquam neque vocat, neque inuocat.  
Quasi mures, semper edimus alienum cibum.

*Sic in Persa.*

Pater, auos, proauos, abauos, atauos, tritauos,

Quasi mures, semper edere alienum cibum.

*Hinc Diogenes, cum aspiceret mures ad mensam suam subrepentes, faceret. En tibi, inquit, etiam Diogenes parasitos alit. Mures porro primos sentire ruinam vetustis adificiis imminentem, ac propterea migrare, scribit Plin. lib. 8. cap. 28. Cic. ad Att. lib. 14. epist. 9. Elian. lib. 1. cap. 11. Victor. lib. 17. cap. 5. HOC SI FILIO HÆSISSET ANIMO) Comparat filium cum patre Iulianus lib. 9. ad finem. Sunt & hac de utroque apud Tullium lib. Off. 1. Philippum quidem Macedonum Regem, rebus gestis, & gloria superatum à filio: facilitate vero & humanitate video superiorem fuisse. Itaque alter semper magnus; alter sepe turpissimus fuit: ut rectè præcipere videantur, qui monent, ut quanto superiores sumus, tanto nos geramus summissius.*

---

## PROGYMNASMA SEPTVAGESIMVM.

*Ludus lapidum orbicularum ad metas.*

BASILIUS, CAROLVS, DANIEL,  
EVSEBIVS.

**B**ASILIVS. Quid hic fessitam<sup>o</sup> & marcemus Botio? quin aggredimur ad ludendum? quandoquidem ea nobis à Doctore facta est copia. C. Id ipsum in pectore volutabam meo, quomodo hunc diem ludis iocisque conderemus, & mirabar te

bar te quiescere tam diu potuisse, qui lusorum  
 alpha sis, & qui nunquam æquè beatus tibi vi-  
 deare, atque cum ludo das operam. D. Ludamus  
 cum hilaritudine. E. Et quem ludum? nam ad vi-  
 ctoriam non parum apud me interest: neque e-  
 nim trecentis in generibus exercitatum me pos-  
 sum affirmare. B. Nucibus ludamus, si vultis. D.  
 Immò pila. Quid ait Carolus? C. Neutro, sed par,  
 impar, idque aut aciculis aut globulis. E. Si me  
 audiatis, optimam formam reperi. D. Nempe ti-  
 bi optimam. E. Et vobis, si peritè luseritis. B. Dic  
 sodes. E. Iactus lapidum ad conum, seu metam  
 probatur mihi ante omnes. C. Qua caussa? E. Vsi-  
 tatissimus est candidatis literarum, exercet cor-  
 pus, & casui non est tam subiectus, quàm alij:  
 nam artificio quodam contorquendus & emit-  
 tendus est lapis, si gestias vincere: casus vel nun-  
 quam vel perrarò te adiuuabit. B. Fiat, petamus  
 scopum iaciendis lapidibus: vos pro se quisque  
 lapides deligite, ego hunc mihi rotundando ac-  
 commodabo. D. Lapidem quidem sat multi, at  
 inepti, at nimis asperi, at magni & inæquales. B.  
 Quin tu me imitaris, vt ego lapidam pulchrè  
 imitor? C. Hui, quàm elegantem & appositum  
 inueni? E. Inuideo tibi: nihilominus quod tu à  
 lapide, id ego à dextra mea sumam. B. Adeste  
 oculis, iam ego experiar meum. E. Perbene ca-  
 dit. C. Metas depangamus. Tu hanc Eusebi: ego  
 istam. D. At enim, quot passibus vnā abesse  
 placet ab altera? quò interuallum néue nimis  
 breue, néue nimis longum sit? hoc etenim in-  
 commodo est debilioribus, illud valentibus. B.  
 Quindecim passus mei intersint, nisi aliud vi-

deatur. C. Agedum, metire spatium. B. Vnus, duo, tres, quatuor, &c. D. Quinam erunt sodales inter se? E. Mox sciemus. Iacite singuli; metæ proximi sodales sunt, remotiores similiter. Ego præibo. Quod Deus bene fortunet. B. Sequor. E. A me stabis, bonum omen victoriæ. Daniel & Carolus sociabuntur sibi. D. Quid si metam attigero? B. Non attinges. D. Velis nolis, attigi. Iam tu cede mihi partes tuas Basili. C. Si ab ultimo incipias, patet me primum fore. E. Ita est, sodalis meus est Daniel, tuus, Carole, Basilius. D. Quotum ad numerum ascendendum cense- tis, vt sit perfecta victoria? C. Ad septenarium. B. Ad octonarium. D. Octonarius igitur sit palmar- rius. C. Ecquid præmium dabitur victoribus? B. Qui victi fuerint, victoribus ientaculū soluent. C. D. E. Honestum præmium. E. Initium nos fa- cimus. Quod scælix faustumque sit. Aduersarius alter mihi succedet; ne continenter ludamus sodales. B. Nouimus morem. Ergo lude iam aut tu Basili, aut tu Carole. C. Ecce. D. Quo pacto tu Eusebium, eodem ego te superabo. C. Non supe- rasti. Rade metam Basili si potes. Doctè. Duo numeramus. B. Nunc prior iace Carole. C. Bene. E. Melius. B. Optimè. D. Cum supremo euasero superior, quid dicam, nisi bona pace Grammati- corum, optimissimè? Iam numeramus vnum. C. Vnum numerari quí potest? D. In cruciatum so- phista. Procedat iactus tertius. Prô, manu fugit lapis, iterum iaciendum est. B. Non patiemur. E. Lex hunc ludum ludentium sanxit, vt si quis imprudens iecerit, aut si dimidiatum spatium non transmiserit, resumat lapidem, ac de inte-  
gro

gro iaciat. C. Geramus morem illis, alioqui par pari referent, quod nos mordebit. B. Lude rursus. D. Non me pœnitent iterationis huius. B. At iam pœnitebit. E. Ha, ha, cernite obsecro, quam scitè saliat lapis Basilij. Excipe socium Carole. D. Ohe, lapis tuus Carole æmulatur rotã. Quot millia curret? Restas solus Eusebi. Esto vir fortis. Vicimus. Quantum numerum obtinebamus antea? Heus, Carole, ecquid potest ternarius numerari? nam paullo ante monas non poterat. C. Longè abest ternarius ab octonario. E. Quotum vos adepti? B. Binarium. D. Vide mihi hunc, & vince si queas, Basili. B. Vincam. C. Si tu deinceps ita viceris, nos ientaculum perdidimus. B. Papæ, quantum à meta disto? D. Est locus Eusebi, appropinqua. E. En. D. Nostra est palma. C. Nostra est. D. Nostra est profectò. Quo pignore certas mecum Carole? C. Tres ligulas, quas optimas habeo, depono. D. Ego istum torulum de pileo. B. Circumspiciamus mensuram, vimen, culmum, aut tale quid. E. Ecce mensuram. C. Metiamur. E. Fallis ô mensor. C. Falleis, non fallo. E. Sine metiar ego. C. Cape. E. Videtis nos vicisse? B. Vix tanto præceditis, quantum est præsegmè vnguis. E. Et falsum autumas, & parui refert quanto, dum antecedamus modo; siquidem non is victor declaratur, qui valde multum vincit, sed qui vincit. B. Habetote quod habetis, nos spem necdum eiecimus. D. Ista spes mera est audacia. Incipe Eusebi. E. O iactum faustissimum. B. O infœlicem iactum meum. Nisi tu Carole doctius ludis, propemodum actum erit de nobis. Nos miseri, iam isti septem numerabunt. E. Iô

trumphe. D. En septem: & nunc meus finem dabit. Dedit. B. Cur? D. Accurre, aspice, ipsi metæ incumbit. C. Ego deiiciam. E. Si velle esset efficere. Iecit, nihil promouit. Ientaculum, ientaculum. B. & C. Soluemus, ne clama Stentor.

---

ANNOTATIONES.

**L**VSORVM ALPHA) *Dua litera alphabeti, prima videlicet, & extrema, α & ω, cuiusque rei principium & finem ωγοιμαχῶς declarant. Item supremum alicuius ordinis & infimum gradum. Martial. lib. 2.*

Quem non lacernis Publius meus vincit,  
Non ipsi Codrus alpha pænulatorum.

*Opus est maiore quadam attentione & memoria in hoc dialogo, ne mentis intelligentia in personarum coniunctione, & numeri collectione quem utriusque partis victoria conficiunt, aberrat à via. Conatus sum quàm planissimè si non Latinissimè hoc ludi genus describere.*

---

PROGYMNASMA

SEPTVAGESIMVMPRIMVM.

*Ludus globulorum.*

MELANIOLVS, EABLVS.

**M**ELANIOLVS. Heus Fabli, vnde tibi facculus tam plenus globulorum? F. Furatum me credis? M. Apage cum ista suspitione: non puto furatum. Emisti? an donati sunt tibi? an lucrando acquisuisti? F. Lucrando maiorem partem, reliquos emi. M. Quid si te pauperiorem  
conci

conciliem? F. Quid si cœlum ruat? sed si quid au-  
 des. M. Libet ludere? F. Cur non libeat? M. Quo  
 genere? F. Illo, per quod tu mox aut Crœsus, aut  
 Irus fias: ille, si viceris, hic si victus fueris, quod  
 opto & spero. Vix tibi sunt viginti globuli. M.  
 Fuit, quando tu trecentos non habebas. Age,  
 dic, quo genere certabimus? F. Par, impar volo:  
 ita vt scrobiculū humi faciamus capacem vnius  
 pugni virilis, altum mediocriter. Inde ego cer-  
 to interuallo distans, & subsidens, de vola meos  
 tuosque omnes simul in illum leui iactu conii-  
 ciam. Si incurrerit in fossulam numerus par, om-  
 nes globuli erunt mei, quique foris, quique in-  
 tus iacebunt: si impar, omnes erunt tui. M. Ast  
 ego quoque iacere velim. F. Esto, sed tunc quan-  
 do ego victus. Fac scrobiculum. M. Commoda-  
 to cultrum. F. Franges, & magno stetit. M. Ne-  
 quaquam, est terra mollis & argillacea. F. Digi-  
 tis euerre frustula. M. Dictum factum, euerri. Hic  
 erit meta. F. Nimium distat. M. Quomodo ni-  
 mium? duobus passibus meis, & semis: est humus  
 plana, sine lapidibus stratoriis, leuiter accliuis,  
 accommodata huic ludo. Si esset scrobiculus ad  
 parietem, liceret iacere maiore vi. Quot vis  
 dem tibi in manum? F. Si vis citò rem perde-  
 re, da multos. M. Duos dabo? F. Hoc nihil est.  
 Vis me quatuor globulos iactare? M. Ergo qua-  
 tuor do. F. Iam hoc aliquid est. En octonarium,  
 sic collocatum, vt binarius binarium sequatur.  
 M. Sta intra metam, ne digitum transuersum,  
 aut vnguem latū excefferis. F. Siccine? M. Etiam.  
 Sed iam nimis propendes contra scrobiculum.  
 F. Non profectò. M. Immò. Esto iustus, si me vis

esse. F. Sum. En iacio. Quatuor sunt intus, numerus par. M. Expecta, ne collige; adhuc alij currunt aduersus scrobiculum. Hem, quintus incurrit, mea est victoria. Iam tu mihi da numerum. F. Accipe sex. M. Placet. Prima victoria addidit animos. Aspice, omnes inieci, euax. F. Accipe rursus totidem. M. Accipio. Octo sunt intus. Iô iô, tertia palma. F. Accipe denuo, & totidem. M. Ecce tibi, rursus octo. F. Nolo amplius ludere. M. Quare? F. Tecum est fœlicitas. M. I, gloriare de tuis globulis. Fecine sacculum tuum leuiorem? F. Et tibi alius faciet. M. Tumebas antè. F. Et tu modo.

---

 ANNOTATIONES.
 

---

**S**I COELVM RVAT?) *Legati Germanorum ad Alexandrum Regem missi, cum interrogarentur ab eo, quid timerent maximè; responderunt: timere se, ne cœlum rueret. Expectabat Rex, ut profiterentur se illum ante omnia eiusque potentiãformidini habere: at illi stultam hominis ambitionem ludibrio habuerunt.*

**P**AR IMPAR) *Meminit huius ludi, ut aliorum puerilium Horat, sat. 3. lib. 2.*

Aedificare casas, postello adiungere mures,  
Ludere par impar, equitare in arundine longa.

---

## PROGYMNASMA

SEPTVAGESIMVMSECVDVM.

*Ludus nuncum.*

*FLAVIVS, DIONYSIVS, SYLVANVS,  
CRISPVLVS.*

**F**LA VI VS. Adeste sodales, ego istanc ollulam à coco, veterem & rimolam exoravi, vt  
lude

luderemus nucibus. D. Quid ad hoc ollis ege-  
mus? S. Miror istum lusorem ollarium. C. More  
antiquo & recepto ludamus: impinge hanc ol-  
lam parieti. F. Tibi pugnum facilius ac libētius  
in os impegerim. Præceptor me nouum quendā  
lusum docuit, eū iam vos docebo, discetis nullo  
negotio. C. Ergo doce. F. Vnusquisque de collu-  
soribus imponit in ollam duas, tres, quatuorue  
nuces, quot denique voluerit. Post, humi col-  
locatur, communi consensu meta statuitur, à  
qua vnusquisque os ollæ ter aut quater nuce  
petit vicissim, & eo ordine ac loco, quem quis-  
que sortitus fuerit. Iuglande ab olla ad metam  
prouoluta, proximus metæ fit primus, huic  
vicinior secūd<sup>o</sup>, & ita deinceps. S. Quid ampli<sup>o</sup>,  
F. Qui vel solus, vel sæpius suas nuces iniecerit,  
aufert omnes, quæ in olla reperiūtur. C. Agite, ita  
ludamus. D. Duas impono. F. Nos similiter. S. Iu-  
glans altera de tuis est vitiosa Flauī, quia mu-  
cida. F. Ecce aliam. Huius ego nucleum statim  
comedam, tibi relinquam putamina. S. Deuora  
hæc quoque. F. Hic ollam depono, hinc erit me-  
ta, quinque meorum passuum interuallo. C. Ita,  
quinque passuum. F. Nunc sortiamur vices. En  
ego metæ proximus. D. Ego te propior. S. Ego  
te. C. Ego omnib<sup>o</sup>. F. Est igitur princeps Crispu-  
lus, alter Syllanus, tertius Dionysius, postremus  
ego. C. Prô, aberrauī. S. Ansam tetigi. D. Meam  
inieci. F. Et ego meā. Lude mi Crispule, & per-  
de rursus iactum tuum. C. Iterum errauī. F. Diui-  
nabam hoc fore. S. Vidisti? inieci meam. D. Heu,  
infaustus fui hoc iactu. F. Ecce duas nuces intus  
iam habeo, spero victoriam. C. En tertia intus



est. Sed quid hoc prodest? S. Iterum intraui. Nisi tu, Flauī, tertiam inieceris, erimus pares, ac præter alios quartum aut quintum etiam iacemus. donec penes alterum victoria fuerit. Mitte nucem Dionysii. D. Possum ego, fauente fortuna, secundam iniicere, & aberrare Flauius ab hac vltima petitione sua; tum ego vtrique vestrum ero par, & palma nullius. F. Si pote, Oho, ho, errasti. Tertia, tertia est intus, omnes nuces meę sunt. Octo depositæ in initio, iniectæ à me tres, à Crispulo vna, à Syluano duę, à Dionysio vna. Quindecim nuces, è quibus quinque meę, decem vestræ. Præmium igitur decem nuces. Iô triumphæ. Domi sciurum alo, cui hodie cœnam dabo largissimam. Hem, istuc mihi certum erat.

---

A N N O T A T I O N E S.

**H**oc genus ex versiculis Ouidij didicimus, qui sunt in poematio de nuce. Sunt autem varij modi ludendi nucibus, quos nihil opus est doceri pueros, cum melius sciant, quam à nobis doceri possint. Atque utinam illi aliquando nuces relinquerent, & de grauioribus ludis cogitarent. I O T R I U M P H E ) Vox militum Imperatorem victorem prosequentium in Capitolium, de qua dictum est alio loco.

---

P R O G Y M N A S M A

S E P T V A G E S I M V M T E R T I V M.

*Ludus turbinis.*

C H A R I N V S, L E P I D V S, F O R -  
T V N A T V S.

**C**HARINVS. E buxo est meus turbo. L. Meus è cornu. F. Et meus est corneus. Aspicite

cite saltis, quàm niteat præ nigrore, quàm bene fastigiatus excauatusque sit. Nec est grandis nimium qui laboriosè flagello agitaretur; nec nimis paruus, qui saltitaret immodicè, & amitteretur facilè. C. Vis commutemus? F. Qui tibi hoc cogitare libet? tuus citius teretur quàm meus; lignum quippe mollius cornu. L. Meum hunc non laudo, iam semetipse laudabit, cum gyros describet, currendo maximos, & paucis ac leuissimis ictibus curret diutissimè. C. Hoc solū est planissimum & spatiosissimum, proindeque huic lusui mirè idoneum. Quod bene vertat, contorqueo meum pollice & medio digito. L. Ego soleo circumuoluere ter, quater corrigiam flagelli, circumuolutum humi ponere, bacillum impetu attrahere sursum. Tū ille liberatus vinculo, quasi in pedes se erigit, & strenuè currit, hoc modo. F. Ecce meum. Insta flagello, tuus languet, Charine, agit animam; & tuus Lepide. L. Ut volitat meus? F. Ut amplissimos orbes conficit meus? C. En ut meus tuum ferit cum sonitu, Fortunate; propemodum deiecerat. F. Feriet meus vicissim breui. L. Ah, mei flagelli virgula diffracta est. C. Certemus nos duo, Fortunate; iā plus spatij relictū est, & turbines contra se mutuo impellam? F. Sic agamus. Bone Deus, ut me fatigat meus? & minutis tantum ictibus opus est. Scuticam probatissimam habeo, corrigiam optimam è pelle hircina, & bifidam. C. Sudore diluo, cessemus. P. Nondum sudo. Solus sum, validius agitabo meum. Vide quæso, horribiles saltus edit. C. Ero aliquandiu spectator tuus. F. Quò Lepidus abiit? C. Virgulam quærit ad reparandam

parandam scuticam. F. Quare non iam pridem hunc nobilem ludum exercuimus? C. Erit, cum etiam hic displicebit. F. Nunquam Charine. C. Quo pignore certas mecum? Sed redit Lepidus. F. Ego quoque lassus sum, spectabimus ambo Lepidum. O Lepidule, tibi cedimus campum istum. Nunc te ostendes quantus vir sis. L. Tam citò fessi. C. Te deficiente ( deficiēs enim ) nos ludum iterabimus. L. Quid cras futurum sit, iuxta vobiscum nescio. Hodie quidē istuc quod vos auguramini haud futurum est. F. Magnos spiritus tibi in hoc artificio sumis.

---

 ANNOTATIONES.

**D**E turbine aliquid suprā diximus, dialogo nimirum quo de variis ludorum generibus explicauimus. Illinc assumenda, quæ ad hoc etiam progymnasma pertinent. Est autem, ut Isidorus scribit, turbo volubilitas venti, quæ aridum terra puluerem in orbem circum-agit. Species quadam venti est turbo, de qua Rhodigin. lib. 20. cap. 19. ad cuius similitudinem ( parua enim magnis interdum licet componere ) istud puerile ludicrum eodē nomine vocauerunt. **ASPICITE SULTIS**) Quemadmodum sis particulam, pro, si vis, addebāt imperandi modo singulari numero, ad eundem leniendum, sic, sultis, pro, si vultis eidem, numero multitudinis ob eandem causam. Est ergo vox composita, sicut equidē, sodes, scilicet. Plautus prologo *Asin.* Hoc agite spectatores sultis nunc iam. Et alias sape. Cato pro *L. Casetio.* Audite sultis milites, si qui vestrū in bello superferuit, &c. plura Festus. **ERIT CVM ETIAM HIC DISPLICEBIT**) Estne quisquam adeo puerilis

rilis nature nescius, cui mutabilitas & inconstan-  
tia eiusdem notissima non sit? Placet huic aetati maxi-  
mè varietas in rebus omnibus. Delectat enim varietas:  
at pueri delectatione magis quàm iudicio & ratione du-  
cuntur. MAGNOS SPIRITVS ) Transfertur  
hæc vox aliquando ad significandam animi elationem,  
audaciam, inflationem, fastum atque superbiam. Ascō.  
Plus valet, inquit, quàm si animositas contentione di-  
ceretur. Hinc illa loquendi genera, spiritus sumere, spiri-  
tus tollere, spiritus afferre. Et, spiritus deponere, compri-  
mere. Sic ὀργῶνα Græcis, nō pro animo simpliciter, sed  
pro animo elato, & magnis cogitationibus pleno.

---

## VARIA OFFICIA.

---

### PROGYMNASMA SEPTVAGESIMVM QVARTVM.

*Obiurgatio fraterna, iniuriæque condonatio.*

HERMANNVS, EVDOXIVS.

HERMANNVS. Quid tam malè de te vn-  
quam merui, aut in quo tandem apud te  
adeo grauius offendi, mi Eudoxi, vt hac me  
tam indigna & acerba iniuria onerares, atq; ad  
istam me infamiam traduceres? E. Quid feci?  
quid peccaui? H. Quid feceris? quod homo à  
probitate remotissim⁹. E. Quin tu actutum edif-  
leris, quidquid est criminis ( seu criminationis  
aut contumeliæ potius ) ac me missum facis? Si  
scissem hoc futurum, hodie huc neutiquam te-  
tulisset pedem. H. Scripsistine literas ad patrē  
meum?

meum? E. Fateor, ante dies, opinor, quindecim.  
 H. Cur innocēti mihi dedecus & maculam inu-  
 rere voluisti? E. Quis homo istuc? H. Eudoxius.  
 E. Ego maculam? H. Tu. E. Quam maculam? H.  
 Turpissimam. E. Nihil de te sinistra locutus sum.  
 H. Non mentitur parens meus, tu à mendacio  
 non temperas. E. Valeant, qui inter nos diffidiū  
 volunt. Prorsus à me opinionem hanc tuam esse  
 amotam cupio, & roge absolue me, quid est? H.  
 Certiorem fecisti bonum virum de socordia &  
 luxuria mea; à quibus ego flagitiis tantū absum  
 abfuique semper, quantum qui longissimè. E.  
 Cur te accusarem falsò? H. Idipsum miror ve-  
 hementer cur ausus sis. Testem vis omni exce-  
 ptione maiorem producam? E. Si potes. H. Hem  
 tibi literas. Ecquid hoc signum patris mei, ec-  
 quid etiā patris tui, qui sunt germani fratres? E.  
 Signum agnosco. H. Paululum da mihi operæ  
 dum lego tuum animaduertēdum facinus. *Scri-  
 bit ad me patruelis tuus Eudoxius, te ad inertiam &  
 voluptatem corporis pessundatum, fugere ludum ut car-  
 cerem, commestationibus & scortis esse deditum, cha-  
 riora tibi esse omnia quàm pudorem & sobrietatem. O  
 cœlum, ô terra; quid inceptas tu adolescens corruptis-  
 sime? quò te transuersum agit improbitas? ita ne obsti-  
 nato animo te ibis perditum? an putas me thesauros col-  
 ligere, quos tu beluationibus tuis intēperatissimis pro-  
 digas? me dies noctesque angis. ac tua tuorumque fra-  
 trum causa sollicitum esse, te græcari, & diem meum  
 frangere? redi in viam puer omnium profligatissime.  
 Ni faxis, exheredabo te, & quoad vixero, in conspe-  
 ctum te meum non admittam. Quid nunc? vicine  
 argumētis? en Eudoxi, quid malorum mihi abs  
 te ortum*

te ortum sit, en quid egeris, quàm Christianè ac fraternè me habueris, quantum mihi sollicitudinum perturbationumque cōfeceris. Hoecine officium patruelis? me tua ista maleuolētissima obrectatione in ignominiam coniecisti, patrem mihi infestissimum reddidisti, Deum scelere tuo nō leuiter offendisti. E. Peccaui, inuidia me stimulauit, inuidia mihi bonā mentem eripuit. Quod ego per hāc te dexteram oro, ignosce, mi Hermanne, illūdque tibi sepe lectum recordare: Tunc præcipua mansuetudinis laus, cum iræ causa iustissima est. H. Quomodo veneno tam malo imbutus est tibi animus? quomodo in morbum tam fœdum incidisti? E. Incidi, ah me miserum. Oro te iterum, ignosce, pœnitet facti, utinam infectum posset fieri. Horror mihi membra percipit dictis tuis, totus perij. H. Ut initium sanitatis est sensus morbi, ita initium salutis notitia & agnitio peccati. Non enim corrigi vult, qui peccare se nescit. De venia porrò quam petis dubitare noli. Etiam si atrociora in me delignasses, tamen ista flebilis oratio tua ad misericordiam me humanitatemque inflecteret, quando ego quoque veniam ab alio peto, cui pecco quotidie, & Christianum esse memini. Proinde ne te cruciaueris, facessant lacrymæ. E. Reddidisti animum. Quasi ex turbido die serena & tranquilla lux mihi affulsit. H. Hoc tantum moneo, ne in posterum quidquam de hoc genere, neque contra me, neque contra alium; omnes enim fratres sumus, & debemus diligere mutuum, prodesse conari omnibus, lædere neminem. E. Deus tibi optata ferat omnia. Nullum

mor

mortalium posthac tui studiosiorē me vno senties, vicissimque partem aliquam mutuae voluntatis abs te mihi tributum iri cōfido. H. Et mihi eris quān fuisse longē charior.

### ANNOTATIONES.

**D**E obiurgatione apud Cicer. 1. Off. haec sunt. Obiurgationes etiam nonnunquam incidunt necessaria, in quibus utendum est fortasse & vocis contentione maiore, & verborum gravitate acriore. Id agendum etiam est, ut ea ne facere videamur irati, & qua sequuntur, locum indicavi. **ABSOLVE ME**) Rē paucis expedi. Quod vis paucis age, ut hinc mihi quam primum liceat abire. Plaut. Amphit. Quae absolutio me hinc extemplo, quando satis deluseris. Curcul. Sequere, hac te absolvam, qua aduenisti gratia. Aliud ergo est rem, aliud hominem absoluere. **ECQUID HOC SIGNUM**) Antiqui in obsignando utebantur vel sui ipsorum imaginibus. Plaut. Pseud.

Ea causa miles hic reliquit symbolum,  
Expressam in cera ex annulo suam imaginem.

Vel maiorum suorum. Cic. 3. Catil. Tum ostendi tabellas Lentulo, & quas sui, cognoscerētne signum, annuit. Est verò, inquam, signum quidem notum, imago aui tui clarissimi viri, qui amavit unice patriam. Vel imaginibus, quas arbitrio suo sumebāt. Sueton. de Augusto. cap. 50. In diplomatibus libelli scilicet, & epistolis signandis initio sphinge usus est: mox imagine Magni Alexandri; novissime sua, Dioscoridis manu sculpta: qua signare insecuti quoque Principes perseverarunt. Ad epistolas omnes horarum quoque momenta, nec diei modo, sed & noctis, quibus datae significarentur, addebat. Sic Amphitruo

phitruo apud Plaut. Sole cum quadrigis exoriente pro  
 signo utebatur. *Macenas rana. TE GRACARI*)  
 Qui res Gracorum degustarunt, sciunt illam nationem  
 splendidarum epularum magnorumque poculorum sem-  
 per fuisse studiosam: ac proinde quae sit horum vocabulo-  
 rum vis, Gracari, pergracari sciri tenent. Festus. Per-  
 gracari est epulis & potationibus inseruire. Titinius.  
 Hominem improbum, nunc ruri pergracatur. *DIEM*  
*MERO FRANGERE*) Horat. Ode 7. lib. 2.

Pompei meorum prime sodalium,

Cum quo morantem saepe diem mero

Fregi coronatus nitentes

Malobathro Syrio capillos.

Diem non totum siccus traxi, ut Lamb. explanat, sed  
 diuisi, partemque in vino & poculis posui. Idem est, par-  
 tem demere solido de die Ode 1. li. 1. quod frangere diem.  
 Nempe opere & labore vsitato & quasi legitimo inter-  
 misso atque interrupto corpus cibo ac potione curare ge-  
 nioque indulgere. *DE VENIA PORRO*) Qui obiur-  
 gant, imitari debent medicos. Hi cum secant, partem  
 afflictam in cruciatu non destituunt, sed placide rigant  
 ac leniunt. Sic isti colloquii lenioribus & comitate ver-  
 borum debent mollire acriter obiurgatos. Item fabri la-  
 pidary vulnus ac cicatricem quam ictu celtis in-  
 flexerunt in statuis, rursus poliendo leuigant,  
 ac nitidam reddunt. Hac Plutarch.

in extremo libro quo discrimen  
 adulat. & amici est  
 persecutus.



PROGYMNASMA  
SEPTVAGESIMVM QVINTVM.

*Aegrotos visitare, in funus prodire.*

PHILOTHEVS, ONESIMVS.

PHILOTHEVS. Hem Onesime, per tempus aduenisti, te volo. Vnde nam cum his comitibus? O. Amicos duos aegrotantes inuimus. P. Probissimè inquam factum: Christianæ pietatis est hoc officiū. Sed quibus illi morbis affliguntur? Vnus æstu febrique iactatur iam mensem quartum: alter est hydropicus: ambo ciues nostri, & viricum primis honesti atque catholici. Illum priorem confidimus breui se refecturum: paroxysmi enim rariores iam sunt, & medicus probatissimus, est simul diligentissimus: posterioris vitam in desperatis numeramus: siquidem aque intercutis vix est vlla curatio. Ego quidem hydropem ab aliquo medicamentis depulsum necdum audiui. P. Tibi assentior, est verò ita. Patientēsne sunt dolorum? O. Patientissimi, cum magna religione, sicut Iobus & Thobias. Cum eis consolationem adhibere, & virtutem constantiamq; ipsorum animis addere institueremus, ipsi nos magis sunt cōsolati, erudieruntque sermonibus pietate refertissimis. Quin etiā Deo gratias agebant, quod se eius mandata indies violantes paterna hac animaduersione puniisset. Circundabant lectulum hydropici vxor mœstissima, & pleni lacrymarum parui liberi. Hos blandè demulcebamus: mulierem autem pudicam

pudicam sanè, viri que amantissimam, quibus poteramus verbis à luctu & tristitia reuocabamus, docebamusque hanc calamitatem, æquo perfrendâ animo, & in diuina prouidentia conquiescendum esse: id quod egissent complures Christianæ mulieres, quæ non tam doluissent, quod maritos morborum diritate excruciatos atque confectos amisissent, quàm gauisæ essent, quod sibi à Deo tam clementi natura, tantaque virtute præditi mariti tot annis contigissent: in quo ordine ipsum illum ægrotum reponendum affirmabamus, cuius mitissimum ingenium, & summam animi lenitatem norunt omnes. At tu unde ades cum tuis? P. Elatus est cum funere senator quidam Marcus Lumnus: nos exequiarum pompam usque ad tumulum profecuti sumus, atque inter eundem defuncti animam Deo precibus ritè commendauimus: memores conditionis humanæ, qua stat sua cuique dies, & (vt poëta alius nescio quis canit) longius aut propius mors sua quemque manet. Beati tamen illi mortui, qui in Domino moriuntur: quo maximè modo hunc senatorem exisse de vita credimus, qui virtutibus Christianis omnibus excelluit. O. Quo loco humatus est? P. In templo monachorum, qui à sancto Dominico nomen gerunt: ibi hæreditarium ipsi sepulchrum. Habita ibidem concio de laudibus mortui, & huius vite miseris, cum magno audientium sensu, vt apparebat. O. Vtiliter à vobis collocatum est hoc tempus: meliusque ad domum luctus itur, quàm conuiuij: nam ibi cunctorum finis admonemur. P. Mane, mane. O. Quid vis? P. Pe-

Etus tuum implere lætitia volo. O. Quî nam? P. Quia nuntium apporto tibi, cuius te fieri participem maximè cupias. Frater tuus ex Hispania rediit. Quî scis? P. Scio. O. Vidisti? P. Istis oculis. O. Meus frater? P. Tuus frater. O. Elpidius venit? P. Vtique. O. ô mihi nuncij beati. Vbi est? P. Domi tuæ. Properemus domum comites, properemus. Cras apud me eris. P. Condico.

---

ANNOTATIONES.

**I**N FUNUS PRODIRE) *Funus propria notione in pompa exsequiarum est: à funalibus quæ noctu cadaveri proferbantur. Noctu enim propter diurnam sacrorum celebrationem mortui sepeliebantur. Curare funus, & funeri operam dare, & venire in funus idem sunt cum illo, in funus prodire. Funus facere aliud est. Exsequiarum autem nomen inde natum est, quod multi cadaver eius qui efferebatur, sequebantur. Turneb. lib. 9. cap. 18. Cic. pro Quintio dixit, exsequias cohonestare. Locum subiungam. Huic acerbissimum viuo videntique funus ducitur: si funus id habendum sit, quò non amici conveniunt ad exsequias cohonestandas, sed honorum emptores, ut carnifices, ad reliquias vite lacerandas, & distrahendas.* PAROXYSMI ENIM) *Utuntur hoc vocabulo medici. Celsus Latine accessionem, Sueton. in Domit. accessionem morbi, alij exacerbationem dixerunt, & ita desinierunt. Particularis motus morbi à remissione ad deterius. Cum enim remissa iam priori accessione corpus quietem agit, si eam oborta perturbatio interrumpit, morbus ταραχόμενος, id est, acerbatus, & in deteriore statum facta esse commutatio merito dicitur.* EGO QUIDEM HYDROPEM) *Formidatus aquis*

aquas Ouidius, aquosum languorum vocat Horat. Ode  
2. lib. 1.

Crescit indulgens sibi dirus hydrops:  
Nec sitim pellit, nisi caussa morbi  
Fugerit venis, & aquosus albo  
Corpore languor.

CONCIO DE LAVDIBVS MORTVI) Post  
mortem clari viri pro concione laudabantur Roma. Pri-  
mus omnium Iunius Brutus Cos. patrie liberator à Va-  
lerio Poplicola collega laudatus est. Liuius li. 2. Camilli  
temporibus, senatusconsultum est factum, vt etiam ma-  
trone ac nobiles fœmine laudarentur propter aurum  
collatum. Auctor Plutarchus. Primus matrē suam Po-  
piliam laudauit Catullus. Cic. 2. de Orat. Apud Sueton.  
Caesar Questor Iuliam amitam, vxoremque Corneliam  
defunctas more pro rostris laudasse dicitur cap. 6. Augu-  
stus etiam 12. etatis annum agens, auiam Iuliam pro  
concione celebravit cap. 8. De funebribus istis laudatio-  
nib<sup>9</sup> plura volumine tertio, ubi res funereas tractabimus.

MEVS FRATER?) Quomodo in magnis ac repētinis  
gaudiis dubitare soleamus, & latissima cūctātes credere,  
prolatis exemplis demonstravit Nannius Miscell. li. 2.

## PROGYMNASMA SEPTVAGESIMVMSEXTVM.

*Pacificatio.*

THEOTIMVS, VITALIANVS,  
ASTERIVS.

THEOTIMVS. Vt me vestrū amborum  
iam diu pudet, qui propter rem nihili inte-  
gram prope horam litigando, & inuicem obla-

trando perdidistis, quā in studia impendere cum fructu, & animi tranquillitate poteratis. Quæ mala mens in istuc iurgium vos præcipites agit? Si non cessatis, quia sic digladiari verbis, & sese alternis conuiciis laceßere Christianis moribus indignum est, at saltem ideo cessate, quia profus illiberale atque barbarum est rixari, & maledictis se appetere. V. Iam pridem paratus fui desistere, si hic homo foribus peullum obdere nosset. Cum autem in me effrænatius inuadit, resistendum est. A. Idem ego dico, paratus fui: sed tua lingua nimium est impotens, & indomita. T. An putatis hic vincere gloriosum esse? non est. Quamuis probrosa res, superiorem atque victorem velle videri clamoribus, iurgiis, iracundia, arrogancia. Gloriosum est magis vinci: id enim est cedere, dare locum iræ, vt Apostolus iubet, amare concordiam, diligere pacem, humilitatem, mansuetudinem, patientiam. V. Me pacatum reddas perfacilè, si Asterium perdoma- re queas. A. Redde tres cruciferos, audaciæ columen, quos de rationibus debes adhuc. Adeon' tibi videor idoneus, in quo sic illudas? V. Solui quantum debui, ne sis molestus. A. At ego non inuenio quantum tibi commodauit. V. Non diligenter numerasti forsitan. A. Quid enim? an numerandum est millies? da mihi pecuniã meam, pecuniam meam volo, da pecuniam. V. Pecuniam, pecuniam. Nec obulum feres amplius. A. At ego te cogam vt des. T. Ah mi Asteri, quid ita auariter flagitas tres cruciferos? A. Quod nõ sum Midas: non mihi omnia, quæ tango in aurum conuertuntur. Si daleros & coronatos ha-  
berem,

ber  
dift  
vrg  
pan  
fuit  
Tro  
ra c  
qua  
bun  
rem  
mun  
lat  
hil.  
qui  
me  
cisc  
scer  
nar  
tur  
bi p  
nan  
ciu  
tis.  
Cre  
rem  
eg  
pti  
nõ  
nos  
re r  
im  
nia  
me

berem, facillimè negligerem cruciferos. T. Audisti centies negantem Vitalianum, & tamen vrges importunissimè, & in furnum frigidum panes immittis. Puto ego Helenam à Græcis non fuisse tam contentiosè repetitam, cum legatos Troiam mitterent. An sua cuique Deus sit dira cupido? V. Quamuis sciam pro certo, me quantum satis est dedisse, nihilominus, vt furibundus iste flagitator conticesceret adhuc darem; verùm vacua est crumena, nec vnum nummum possidet. T. Aquam igitur è pumice postulat Alterius. V. Dabo. A. Cras credo, hodie nihil. V. Neque diuini neque humani posthac quidquam mihi credas, si huius rei mendacem me inueneris. A. Dabis ergo quamprimum nanciscêris? V. Quid si intra biennium nihil nanciscerer? A. Quid si ego te pugnis saturarem: donaremque ob id pecuniam mihi debitam? V. Satur sum, nam paulld ante cœnaui: proinde tibi pugnos tuos retine, aut esurientibus in cœnam largire. T. O nugatores, vt mihi bilem conciant vestri tumultus: tacete aliquando, si sapitis. A. Pone tibi hanc afferri ab isto fallaciam. T. Crede mihi, Asteri, nunquã te hortarer ad hanc remittendam iniuriam, (si modo est iniuria) nisi ego me ad idem faciendum sentirem esse promptissimum. Non soleo suadere aliis, quæ ipsemet nō præsto. Neq; imitor malos medicos, qui alienos morbos se curaturos profitentur, suos curare nesciunt. Et quia difficillimum videtur abs te impetrare istam condonationem tantillæ pecuniæ, eam ego abs te pretio emam, soluam de meo, quod debetur tibi. A. De tuo? T. De meo.

En sacculum, quamuis inanem. Tamen, Deo volente, tres cruciferos reperiam intus. Immò, Deo sit gratia, amplius decem inuenio. A. Nolo, tum mihi nihil debes, non te appello, ne respondeas igitur. V. Quid refert, inepte, modò tu habeas tuum bolum quem deuores. A. Tu redde. T. Accipe, quid moraris? quæso Asteri, accipe. A. Nolo profectò. T. Ferre neutiquam possum hæc lites & discordias, in quibus non sine magna mercede stultitiæ versamini. V. Quin aufers tam diu desideratos exoptatosque nummulos? A. Si tu dederis, accipiam. T. Theotime, da mihi in manum, vt dem illi: nam de manu mea affirmat se accepturum. A. Non hoc volo: si tu dederis de tuo, tum accipiam. Iamne intelligis, stupide? T. A me soluit, quod debet: tolle quod debet, tolle quod petis. A. Contra naturam mihi videtur, sumere abs te, cui nihil dedi mutuum, nec vnum pilum. Veruntamen quoniam tanta est beneuolentia tua, & tam Christiana mens, vt pro alio soluas & quia pacis cupidissimus es, in tuam gratiam remittam hoc qualecunque debitum Vitaliano. T. Iam gaudeo. Sed oro manus date, dextras iungite, fidemque futuræ in perpetuum amicitie sancite. Sint amantium ira amoris redintegratio. A. Do manum, & amplexum. V. Et ego. A. Mi Vitaliane, ignosce immodestie meæ. V. Et tu audacie ac libertati meæ da veniam. T. Sermo sermonum optimus. Deus vos in ista sententia confirmet.

## ANNOTATIONES.

**F**ORIBVS PESSVLVM OBDERE) In Euycho, obdere pessulum ostio, est claudere ostium, ut foris aperiri non possit. Pessulus quippe quasi parvus pes, instrumentum ligneum quod obicitur ostio. Hic locutio silentij significationem habet. Est enim ianua quadam animi os nostrum, quam obserat, qui tempestiue silet. Plutarchus de lib. educand. Tempestiuum silentium res sapiens, & quavis oratione potior. **AUDACIAE COLUMEN.**) Homo audacissime, audacium princeps. Columen quippe ea re cuius est columen firmitus atque validius. Sic columen Reipub. columen familia, apud Cic. Apud Horat. Praesidium, dulce decus meum: & rerum tutela mearum. **QVID ENIM?**) Horat. Sat. i. lib. 1.

Contra mercator nauim iactantibus Aultris,  
Militia est potior. Quid enim? concurritur: horæ  
Momento aut cita mors venit, aut victoria lata.

Hac interrogatione vtuntur Latini cum significare volunt se recte sentire, vel verum dicere, neque cum quocumque loquantur, contradicere quidquam posse. **QVOD NON SVM MIDAS**) Midas Phrygum Rex cum Silenum Baccho restituisset, optauit, ut eiusdem beneficio quidquid tangeret in aurum mutaretur, oblitus se panem quoque vescendi causa, & potum esse tacturum, atque ita inter epulas & pocula fame sitique moriturum. Fabula narratur Metamorph. 11. De hoc Mida Cic. 1. de Diuinat. Mida illi Phrygio, cum puer esset, dormientis formica in os tritici grana congesserunt. Ditissimum fore predictum est. Atque hinc fortasse fabula, quia ditissimus. **HELENAM A GRÆCIS**) Legendus Dictys Cretensis adagium, Sed sapiunt Phryges. Fa



uerunt huic legationi *Aeneas* & *Antenor*. *Liuius lib. 1.* Iam primum omnium satis constat *Troia* capta in ceteros seuitum esse *Troianos*, duobus, *Aenea* *Antenore*que & vetusti iure hospitij, & quia pacis reddendaq; *Helena* semper auctores fuerant, omne ius belli *Achinos* abstinuisset. CUIQUE DEVS FIT DIRA CUPIDO? Ad intelligendum hoc dictum *Maronis* sciendum in *Gracorum* commentariis *Dei* nomen quinque ferè modis vsurpatum reperiri. Modo sapientes homines, modo reges ac potètes, modo elementa, modo fatum, modo facultates animi, ipsasque illius cogitationes vocabant deos. Cum enim animum ipsum aut *Deum*, aut partem quandam *Dei* putarent esse, quidquid in *Deo* esset, *Deum* esse credebant. Neque verò quod quasdam cupiditates malas & exitiosas videbant, idcirco de sententia dimouebantur: nam deos quoque alios bonos faciebant, alios malos. Ex hac opinione amor in deos relatus est. Ex hac spei, timori, impudentia consecrata sunt templa. Ex hac *Euripid.* ἐὐλαβεία utilisissimam deam, φιλοτιμίαν verò, id est, ambitionem deam perniciosam, & φθόρον, id est, inuidentiam *Deum* iniustissimum nominauit. Plura *Muret.* in *Catilinariam 1.* CRAS CREDO, HODIE NIHIL) Inscriptio est cuiusdam *Satyræ* *Varroniane*. & simul proverbium, quo tunc uti poterimus, cum fidem alicui nos minime habere declarabimus. Vt si institor non nisi presenti pecunia merces velit distrahere, rectè vsurpabit. Cras credo, hodie nihil. SINT AMANTIVM IRÆ) In libro qui ἐρωτικὸς inscribitur, festiua quodam simili declarat *Plutarchus* quo pacto hoc fiat. Quemadmodum enim cum è nubibus exiit sol, ac post caliginem denique feruentior est atque acrior: ita amor, cum intercessit ira, aut suspicio, pace facta, reconciliatisque animis

*animis incundior est atque acrior. Similis Terentianæ sententiæ est apud Plautum Amphit. Victor. li. 4. c. 14.*

# PROGYMNASMA

SEPTVAGESIMVM SEPTIMVM.

*Mecanates.*

*EUPHRASIVS, CARPOPHORVS.*

**E**VPHRASIVS. Sæculum istuc nostrum Carphophore, ab illio antiquo verèque aureo in quamplurimis iisque honestissimis pulcherrimisque rebus discessisse ac degenerasse comperio, dum historiarum monumenta euolo. In hoc autem multò maxime, quod tantus amor, tantumque studiù in literas literatos minime cernitur, quantum olim cernebatur, cù ipsi quoque reges & monarchæ in eruditis recenseri gaudebāt, & Mutarum filios honoribus ac præmiis amplissimis decorabant. Nunc si Princeps aliq̄s paullò Latinus loquatur, datur ei vitio. Si verius cōdat, orationes cōponat, in mathematicis, in iure ciuili si progressus habeat, si egregia quadam exercitatione sit in dialecticis, omnes mirantur, vt rem inusitatam ac tantæ nobilitatis fastigio indignam. O tempora, ô mores. Cuius est querela tua: malunt nobiles atque opulenti quidam homines alere equos, quam pauperes studiosos, & vim ingentem pecuniarum potius in villis Lucullianis, & in cōiuiis intèpestiuis ac ludis profundere, quam bonis ingenii cum inopia consistantibus præsidio & auxilio esse. Nec intelligunt, vnde sibi nominis æternitatem cōparare possent minimo negotio.

E. Præte

E. Prætexent nonnulli fortasse hanc causam suæ  
 vel avaritiæ, si dare nolunt; vel insanitiæ, si in res  
 alias reip. inutiles impendere magis volunt,  
 istos egentes studiosos sæpè spem vt fruges in  
 segetem deterioreni datas fallere, & neque sciē-  
 tia doctiores, neque moribus integriores eua-  
 dere. C. Sed contra, multos vident, qui expecta-  
 tionem sustinent, virtutisq; & literarum co-  
 piis aucti, ex Academiis domum reuertuntur.  
 Filij nō omnes euadunt frugi, num idcirco vxor  
 ducenda, & liberis danda opera non est? Quin  
 viri fortes ac sapientes, plerumque non fortes  
 & insipientes, sibiq; dissimiles procreant: num  
 ideo illi vitare debebunt coniugia? Longè plu-  
 res, quibus patrimonium tenuē, quiq; aliena  
 benignitate vixerunt, doctos, & in omni di-  
 sciplina claros, quam illustres ac diuites litera-  
 tos inueniemus. Illi peccant, qui quosuis incon-  
 sultò alendos suscipiunt, ingenia & naturas nō  
 prius explorant. E. Duo mihi sunt alumni, qui-  
 bus 300. florenorum summam breui tēpore ex-  
 pensam tuli, vt in aduersariis patet. C. Quibus  
 doctrinis se dederunt? E. Minor Rhetoricę, ma-  
 ior Theologiæ: ambos Ecclesiæ Catholicæ, cui  
 eos alo præparoq; vtiles fore confido. C. Me-  
 ritò hoc facis, cum maiorum virtute, & Dei be-  
 nignitate abundes opibus, careasq; liberis. Ad-  
 de verò ad hanc liberalitatem, concilia tibi no-  
 men illustrius, ale tertium. E. Alam verò, si à te  
 fuerit commēdatus. C. Cras adducam ad te ado-  
 lescentulū, festiuissimum vsq; ab vnguiculo ad  
 castillum summum: quē parentes, quia propter  
 rei familiaris naufragia alere vix possunt, mihi  
 dona

donauerunt; simul atque aspexeris, probabis; egregiam indolem præ se fert. E. Est ne ciuis, an peregrini filius? C. Ciuis, textoris. E. Quot annos est natus? C. Non plures quindecim, iamq; Latinè loquitur & scribit mediocriter. Grammaticam discere cœpit, versiculos pãngit: nam in singulis istis feci periculum quid profecisset. E. Censes ergo puerum valere industria & ingenio. C. Valet, si quid est in me iudicij. E. Cras igitur, vt dixisti, adduces: tum quo illum studiorum caussa mittam, & quantum ei numerem in victum annum, communiter transigemus. Quid? quid aliud volui dicere? ante meridiem vt adsit. C. Aderit.

---

 ANNOTATIONES.

**R**EGES ET MONARCHÆ IN ERVDITIS) Seriem longam eruditorum Principũ, veterum atque recentiorum inuenies Theat. vit. hum. Tom. 2. pag. 1169. HONORIBVS AC PRÆMIIS) Possẽm congerere exempla innumera. Sed præstare arbitror, vt tu ipse ea per otium legas Theat. Tom. 3. a pag. 337 4. deinceps. Lege præterea Plin. lib. 7. cap. 29. & 37. VT IN ADVERSARIIS PATET) Quæ a M. Tullio pro Q. Roscio aduersaria dicuntur, fuerunt libelli & commentarioli eorum quæ homines advertebant, & (vix ita dicam) memorialia erant, ne res aliqua eis excideret. Eos enim commonefaciebant, & memoria ipsorum subsidio erant. Demosthenes contra Aphobũ videtur v̄ τὸ ἐπιμνηστικὸν ἀποκαλεῖσθαι. Sic Turneb. lib. 2. cap. 11. Budæus in Pand. Aduersaria dicuntur tumultuarie quædam tabule, quæ ante tabularum

confe

confectionem perferibebantur, ne memoria rerum excideret, ut ex iis postea tabula iusta & aeterna fierent. Verba Cic. haec sunt. Nimum cuiò ait me indagare de tabulis: non habere se hoc nomen in codice accepti & expensi relatum confitetur, sed in aduersariis patere contendit. Et rursus. Quid est quod negligenter scribamus aduersaria? quid est quod diligenter conficiamus tabulas? qua de caussa? quia haec sunt menstrua, illa sunt aeterna: haec delentur statim, illa seruantur sanctè: haec parui temporis memoriam, illa perpetuae existimationis fidem & religionem amplectuntur: haec sunt coniecta, illa in ordinem confecta.

## PROGYMNASMA

SEPTVAGESIMVMOCTAVVM.

*Auxilium mutuum.*

CONCORDIVS, EYPHEMIVS,  
METHODIVS.

**C**ONCORDIVS. Quomodo captus oculis, & utroque pede claudus, qualè Poëtæ Vulcanum fingunt, postquam à Ioue de cælo detrusus in Lemnum insulam decidit, vnà iter facere queût? E. Si alter, quod sibi deest, ab altero mutuetur; cæcus nempe à claudo oculos, claudus à cæco pedes. Si, inquam, cæcus claudum humeris sublatum gestet, & hic viâ indicet, moneâtque in quam partem, & quâ sit eundem. M. De epigrammatis Græcis hoc hausisti; de illo videlicet argutiarum, leporum, elegantiarum pròptuario. E. Tunc solù te illù librum omni laude superiorem legisse putabas? M. Scio vtrumque vestrum

vestrū Græcis libris versandis delectari. C.  
 Ego sum loripes, ambulare longum iter non  
 possum meis pedibus. Est autem crastino die ac-  
 cersitu parentis in patriam mihi discedendum  
 ad fororis nuptias, quæ in diem ab hinc octauū  
 constitutæ sunt. Quare te rogo, mi Euphemi,  
 tuum mihi equum commodare velis, cuius pe-  
 dibus utar; illum contra docebo, quò procedē-  
 dum sit. Quamuis enim cæcum non sit, nescit  
 tamen viam iumentum tuum, meisq; oculis in-  
 diget. E. Mitte orare: amicitia nostra, quæ ince-  
 pta à paruis, cū ætate accreuit simul, hoc iubet.  
 Libenter do vtendum, & eum mihi quæstum in  
 animum induxi vberimum, tuis seruire cōmo-  
 dis quàm maximè. Tantum caue, ne calcaribus  
 bestiam plus æquò vrgeas, per se celeriter am-  
 bulat. C. Absit timor, non vrgebo. M. Quando  
 ad nos rediturus? C. Ante diem decimum quar-  
 tum; nisi quid impedimenti interuenerit. E. Si  
 aliquando tuo mihi opus auxilio fuerit, nonne  
 præstabis? C. De hoc si ambigis, iniuriam mihi  
 facis. E. Tuis quibusdam libris indigebo, quos  
 sæpius apud bibliopolam quæritos non inueni.  
 C. Amicorum communia omnia, vt Virgilius  
 Maro dicere solebat, qui suā bibliothecam (quā  
 ornatissimam, & refertissimam possidebat) do-  
 ctorum nemini claudebat. Vtere, mi Euphemi,  
 libris meis tanquam tuis, quoties vis. E. Amo te,  
 Concordi, de tam liberali ingenio. M. Quia ca-  
 ballum tuum Cōcordio tam sine vlla recusatio-  
 ne statim dedisti mutuum, ne graueris, obsecro,  
 mihi quoque commodare. E. Quid à me postu-  
 las? M. Adi mecum ad meum hospitem, tuamq;

ipſi fidem adſtringe, vt is mihi pecuniam det mutuam, quam illi in hoc quatruiduo reponam: nam fideiuſſorem requirit. E. Hoc tam tutum non eſt, quàm equum commodare. M. Immò tutum eſt. Noſti patrem meum ſat magna re, & virum bonum. E. Quantum tibi credi vis? M. Decem florenos. E. Spondebo pro te. M. Præſto ero viciffim, quibuſcunque & quandocunque auxiliis meis opus habueris. E. In deſcribendis dictatis, quæ mihi deſunt, tua manu vterer, ſi tu velles. M. Cum voles ſignificato, deſcribã tibi omnia. E. Significabo, cum tibi aliquid vacui temporis relictum videro.

### ANNOTATIONES.

**V**T POETÆ VULCANVM FINGVNT) *Cauſam, quare, à Ioue de cælo deiectus, ſit commemorat ipſe in extremo primo Iliados. Eius epitheton eſt, ἀμφοτέρωθεν, id eſt, utroq; pede claudus. CÆCVS A CLAVDO OCYLOS) Hac de re aliquot epigrammata extant lib. 1. Anthologia, quibus manum à manu lauari, id eſt, homini hominis operam neceſſariam eſſe oſtenditur. Vide emblemata Alciati C LX. & in id Claudum Minocm. ARGVTIARVM, LEPORVM) Non puo quenuquam librum Græcum ad delectandum cum magna vtilitate lectorem magis inueniri poſſit. Vtinam aut Planudes, aut Aldus Manutius, aut poſtremo Henricus Stephanus ea epigrammata melius diſtribuiſſent, ſi conuſionem, in qua, ſuſtuliffent, & ſingula ſuis ac propriis titulis ſubieciſſent. EGO SVM LORIPES) Dicuntur loripedes quorum obtorta ſunt crura, tanquam lorum, & idcirco tardius ambulant. Plant. Plant.*

Nequicquā hos procos mihi elegi: loripedes tardissimos;  
 Qui si ituri estis hodie, ite, aut ite hinc in malam crucem.  
*Eosdem supra appellarat homines spissigradissimos, &  
 tardiores quā corbita sunt in tranquillo mari.* V T  
 VIRGILIUS MARO) Euripid. in Oreste, *καὶ τὰ  
 γὰρ τὰ τῶν φίλων.* Dixit hoc primus Pythagoras. Me-  
 minit eiusdem dicti in 2. Polit. Aristoteles, & Plato in  
 4. & 6. de Repub. Vide insuper adagium: *Amicorum  
 omnia communia.*

## P R O G Y M N A S M A

SEPTVAGESIMVMNONVM.

*Consilium ad edomandam libidinem.*

ADRIANVS, CLEOPHAS sacerdos.

**A**DRIANVS. De pio quodam & docto ho-  
 mine memini me audire sæpius, nullum  
 vitium expugnatu adeo esse difficile, vt impuram  
 libidinem, quam rerum sacrarum scriptores car-  
 nis & queupiscentiam appellant. Eam in corpus  
 non ~~est~~ exercere assiduam quasi tyrannidem,  
 nec perfectè eius incendium nisi cum ipsa vita  
 extingui. C. Nihil te putes aliquando verius au-  
 disse. Quomodo autem, quibusue armis tu ado-  
 lescens, tuoque iure viuens, contra hanc hy-  
 dram decertas? quibus medicamentis, seu anti-  
 dotis abs te virus prohibes? A. Erubesco dicere,  
 confiteorque meam in hoc genere pugnae igna-  
 uiam. Quamobrem tu, R. P. mihi leges dignare  
 tradere, quibus seruatis possim contundere at-  
 que interimere monstrum illud. C. Iam primùm  
 voluptati est mihi, quod doceri postulas. Doce-  
 bo te, quæ ipse vtilia sensi & sentio. A. Non pa-



rum apud me profeceris : scito enim te discipulum docilem habiturum. C. Cum sentimus nos feruore libidinis inflammari, atque flammillas per animum serpere, eumque depasci, oportet tanquam ollam nimis efferuescentem ac bullientem à foco remouere, ligna subtrahere, frigidam infundere. A. Allegoria te quadam vsus video, quã te oro vt explanes. C. Animus noster ab igne retrahitur, quãdo occasiones, quæ hunc ignem in membris nostris succendunt, euitantur. A. Quæ sunt autem occasiones istæ? C. Aspectus curiosiores mulierum, earum præsertim, quæ sunt forma præter ceteras honesta ac liberali, atque ætate integra. Colloquia cum iisdem, auditiones, lectiones rerum obscœnarum, visa inhonesta & otium. Otium inquam. Nam Diogenes rectè amorem otiosorum negotium dixit, & Theophrastus *πάθος ψυχῆς σχολαζέσθαι*. Hæc & similia flammam excitant. A. Vitæ <sup>neque</sup> occasiones diligentius, quàm adhuc solent <sup>motum</sup> eum. Quæ vocas ligna? C. Cibum, potum, quibus <sup>potum</sup> intemperantior fueris, admoues ligna huic foco, & alis ac nutris tibi met graue incendium. Nam si sine Cerere & Baccho friget, nonne cū Cerere & Baccho calebit ardebitque Venus? A. Non est dubium hoc. C. Quã verò putas esse aquam, qua infusa isti ardores frigescãt? A. De hac velim tertio loco audire. Ne grauari hac quoque doctrina me impertiri. C. Corporis afflictiones, & pœnas voluntarias, quas vocãt pœnitentias. D. Benedictus in spinis, D. Franciscus per niuem media hyeme se volutabat; vterque vt sæuientem in medullis Venerem restingueret. Tu ieiuna,

humi

humi cuba, feruenter dominum precare, vt te à peccato liberum conseruet, & principiis obsta, turpesq; cogitationes & imagines simul vt fenseris repelle. Nam si conuiueas, tanquam viscum atque picem auellere difficulter poteris. Nò mediocriter etiam proderit, considerare id, quod in Venerea seu amatoria turpitudine delectat, tēporaneum & exile admodum esse, si conferatur cum malis, quę eidē coniuncta sunt. Sunt autem præcipuē quatuor: iactura tēporis, qua quidem nulla est censenda maior: ipsius huius flagitij deformitas: infamia, & seruitus. Neque verò bonis ingenijs quidquam est luxuria atque libidine magis mortiferū. A. Magnopere tua hac quantumuis breui institutione adiutum me ad resistendum intelligo. Inanis ad te veneram, plenus recedo. C. Deus tibi animos & robur addat, mi Adriane, tum in hoc, tum in alijs, quibus te expugnare nititur colluctator ille noster, malorumque omnium seminator diabolus.

## ANNOTATIONES.

CONTRA HANC HYDRAM) *A palude Lerna dicta est hydra Lerneæ, cui alij centum, alij octo capita tribuunt. Inter ceteros autem labores Herculis etiam hoc cum isto monstro certamen numeratur, cuius capite vno reciso, plura statim renascebantur. Hinc Cyneas orator, cum videret Romanos identidem post cladem copias instaurantes, dixit: Pyrrhum sibi videri aduersus Lernaam hydrā bellum gerere.* D. FRANCISCVS PER NIVEM) *Ob eandē causam alij se in gelidissimas aquas summo frigore nudos demerserunt collo tenui, alij flagris atrociter se se multarunt, alij longa*

*se inedia confecerunt, alij demū alia, & ad sensum acerbata supplicia susceperunt. Est autem memorabile quod de adolescente quodam scripsit in vita Pauli eremite D. Hieronymus. CUM MALIS QUÆ EIDEM CONIUNCTA) Sunt ea quidem satis magna & multa qua attulimus, cui cetera non sufficient, si quis parum iis contentus erit. Tamen addamus illud: quod corpora sese in cæno libidinis instar porcorum volutantium lue illa exeduntur, quam vulgus Gallicam appellat. Eorundem foetorem ferre non possunt apicula, virgines utique bestiola, qua sine vlla coniunctione corporum propagant sobolem. Quamobrem si quis de hoc genere sordidissimorum hominum ad alvear astiterit, dicuntur eum aculeis suis evolantes depellere.*

## PROGYMNASMA OCTOGESIMVM.

*Innocentia patrocinium.*

*AGAPIVS, SEMPRONIVS.*

**A** G A P I V S. Nec rarò, & plerunque falsò, suspicione duntaxat inani, leuissimisq; coniecturis adductus Erhardum accusas, & odisti eum immerentem. S. Tu verò nimis magno amore ac studio es in adolescentem improbissimum. A. Mitte contumeliam. Cum improbis nullū mihi vnquam commerciū nec fuit, nec erit. Quocirca paulisper oculos aperi, atq; considera, quibuscum tu sis assiduus, quòsque diligas. S. Non possunt omnes in cælo versari, & tam inculpata agere vitam vt tu. A. Nemini interdictū puto ne sit bonus: nec quisquā cogitur esse malus. S. Ipse

S. Ipse Erhardus semet cogit in me ingratum, mea mihi commoda invidentem, aliquid quotidie sceleris contra me machinantem esse. Quid ego stolidus animum illius ex meo spectare volui? optimè promerenti hoccine pretij vt redatur? A. Eho, quæ te pestis tenet? tu Erhardum hæc facinora factitare ais? S. Tu negas? A. Multum indulges perturbationi, & das fræna libidini atque impotentia. Equidem certò scio, si quidquam est quod credam, aut certò sciam, Erhardum esse alium, quàm tu per calumniam blateras, adolescentem virtutis cupidum ac studiosum, & ab omni turpitudine abhorrentem: intus & in cute noui. Quamobrem te hortor maiorem in modum, vt amico & beneuolo in ipsum sis animo, rancoremque istum tibimet excutias. S. Agrè me tenere potero, quin si forte fortuna in solo loco in solum incidero, eum pugnis accipiam saltem, si ferro non vulnerem: quamuis capiundos mihi sciam inimicos homines vniuersos. A. Quid hoc verbi ex ore tuo profluxit? hæc ipsa tam peruersa voluntas tua peccatum est, quamuis opus non sequatur. Caueo: magno voles redemisse hanc audaciam & petulantiam tuam. Væ, si minimo digitulo attigeris. Si quidquam aliud credis, hoc crede, me ipsum abs te impunè violari non passurum. Charus mihi est Erhardus, quem quacunque ratione aduersus insultus vimque tuam conabor defendere. Possum ego quoque pugnis te cooperire, Semproni, & imponere tibi vulnera æque multa & luculèta, vt tu aut mihi, aut Erhardo. Nec ista ideo dico, quia velim: sed vt scias, si aliter deter-

rerum non possis, vimque nobis afferre omnino constitueris, nos vim vi repulsuros. S. Ohe, quantum patronum nactus est Erhardus? Non putaram tibi tam in visceribus hæere illud flagitium hominis. A. Quid velitamur? curato res tuas: & innocentes ne persequere. S. O innocentiam. A. In pertusum dolium dicta ingessi, operam lusi.

### ANNOTATIONES.

**S**I patrocinari sceleribus graue est piaculum, defendere innocentiam erit eximia virtus. Hanc ergo excolamus, Sed prius conemur ipsi nos innocentes præstare, omnique culpa vacuos. Itaud enim præclarum est propugnare pro alio, si tu interim vulneribus sis plenus. **HOC VERBE EX ORE TVO PROFLVXIT** Cicero cum significare vult aliquid dictum temere potius, quam cogitatio, dicit excidisse verbum ex ore alicuius. Græci ἐκ τοῦ ἔπι, ἐκ τοῦ ὄπι. Vide Victor. lib. 15. cap. 22. **VOLUNTAS TVA PECCATVM EST**) E sacro Evangelio didicimus, qui viderit mulierem ad concupiscendam, illum iam factum esse adulterum. Cogitationes igitur, & voluntates sola aliquando flagitia & scelera sunt. Bene D. Augustinus quodam loco. Voluisti, fecisti. Et sine voluntatis assensu nullum est peccatum. Hinc illi apud Liuium lib. 1. Lucretiam animi egram consolantes: mentem peccare, non corpus: & unde consilium abfuerit, culpam quoque abesse. Peccauit tamen mens Lucretia, eo modo, quo 2. Fast. scribit Ouid. Succubuit fama victa puella metu,

PRO

PROGYMNASMA  
OCTOGESIMVMPRIMVM.

*Peregrinatio.*

*AMICVS, APODEMIVS.*

**A**MICVS. Támne in rem tuam fore consti-  
tuisti, regiones exterar, & longinquas oras  
peruagari, ac procul ducere spiritum à conspe-  
ctu patriæ, rebusque charissimis? AP. Nec citò  
desisto, nec temerè incipio. Hanc ego mentem  
mihi diuinitus iniectam arbitror, non deponam.  
Dictus est dies itineri. AM. Hei vereor, ne quid  
ista peregrinatio apportet mali. Quot annos fi-  
xum habes in hac peregrinatione tua consume-  
re? AP. Quot Vlysses, decem. AM. Quas terras po-  
tissimùm, quasue ciuitates perambulabis? AP.  
Galliam, Italiam, Hispaniam, Britanniam, Bel-  
gicam, & transmarinas quoque prouincias, in  
iisque quidquid est oppidorum celebrium & in-  
signium. Cum primis autem cogito Bizantium,  
vbi Imperatoris Turcarum est domicilium. AM.  
Istam oro, si quis adhuc precibus locus, exue  
mentem, muta sententiam. AP. Facilius æthiops  
pellem. AM. Semper in istos peregrinatores il-  
lud Horatianum conuenire duxi: Cœlum, non  
animum mutant, qui trans mare currunt. Hoc  
est, æquè parum prudentes, seu æquè stulti affe-  
ctibusque vitiosis impliciti in solum patrium  
reuertuntur, quàm discesserant. AP. Ad hæc, nisi  
molestum est, habeo sanè quæ velim. AM. Non  
erit. AP. Frustrà ergo poëta sapiens Vlysses

commendauit, quod mores hominum multorum atque vrbes lustrasset. Non frustra: sic enim sensit, hoc ad comparandam prudentiam valere plurimum. AM. Vlysem ego natura prudentem, & peracutum virum, antequam ad Troiam nauigaret fuisse existimo. AP. Fuerit, tamen haud negabis, multa & varia videre, audire, cognoscere, experiri addere incrementa prudentiæ. Atque hæc domi inter cognatos, seruos, & ancillas non adipiscimur. AM. Nonne multi sunt scripti, scribuntur, scribenturque libri, è quibus ista quæ foris quærentur, ac longè etiam plura cognoscantur? Quidquid post hominum memoriam apud omnes gentes, omnibus sæculis factum, dictum, cogitatum (si modo memoria dignum) hoc libri indicant, ad quos tu legendos non decem, sed centum, immò mille potius annorum spatio indigebis. Minus, fateor, oculis & auribus, duobus sensibus curiosissimis satis fiet: animus quidem maiorem in modum recreabitur, & quasi à multis Præceptoribus ad vnum scopum collimantibus vtilissimè instituetur. Nec prudētior modo, verum etiam probior euadet, cum tot & tam illustria virtutum exempla intuebitur. Nihil admirabile secum isti peregrinantes reportant. Regum palatia contemplati sunt, ruinas vrbes Romæ, aut Ilij, cuiuspiam magni Principis satellitium, alicuius Reginæ gynæceum, mulierum virorumque varios vestitus, monumenta lapidea, similesque nugas oculis tradiderunt. Interea ipsi fœdissimos morbos contraxerunt, patrimonia sua profuderunt, ære alieno se obruerunt, bonum tempus malè amiserunt, semetipsis

metipsis non quidem meliores, deteriores autem euaserunt. Quid? labores quibus macerantur; quid? pericula quibus se isti offerunt, quanta sunt? quoties in fures, quoties in latrones, quoties in truculentas bestias incidunt? quoties de via aberrant? quoties sub dio pernoctant? quoties ubi nihil timendum, vehementer timēt? Demum ubi diutissimè vagati sunt, nec sibi commodare possunt, nec patriæ. Affecta est enim ætas, & natura debitum repetit, morsque adest in foribus. Vtinam verò ne patriæ incommodaret potius, dum patrios mores cum barbaris & peregrinis permutant. Sapienter itaque Spartani legibus cauerunt, ne quis peregrinaretur, ut ne quid tale ciues sui experirentur. Istuc est sapere, inquit Terentius, non quod ante pedes modo est, sed etiam illa, quæ futura sunt, prospicere. Tu autem, cum non prospicis, non sapias. Ap. Semper foris inuenitur ac deprehenditur, quod domi inuentum deprehensumque non fuisset. Impendatur tempus, impendantur pecuniæ, maior est tamen qui inde prouenit questus. Quàm suspiciuntur? quàm in ore sunt omni populo qui remotos locos, & alio sole calentes terras tentauerunt? Am. Id populus curat, scilicet. Ap. Quàm permouetur & excitatur rerum varietate animus? quàm nonnunquam cõspectis rebus nouis inflammatur; ut ad ea nimirum agenda incumbat, quæ domi nunquam cogitarat? Iulius Cæsar cum Quæstor in vltiori Hispaniam venisset, & mandato Prætoris iure dicundo conuentus circumiret, postquam Gades venit, animaduersa apud Herculis templū



Alexandri Magni imagine ingemuit: & quasi pertæsus ignauiam suam, quod nihil dum à se memorabile actum esset in ætate, qua iam Alexander orbem terrarum subegisset, missionem continuò efflagitauit, ad captandas quamprimùm maiorum rerum occasiones. Tot res postea tantasque gessit, vt vel Alexandro par, vel secundus sine controuersia haberi queat. Age, responde mihi, si Iulius domi hæsisset, num ad immensam istam fortium forliciũque factorum gloriam aspirasset? Quid Plato? quid Apollonius? quid alij? nõne peregrinatione longinqua in Italiã, Indiam & Græciam instituta doctiores facti? Si domi præstò erant illæ opes, cur eas foris quærebant? sic ego etiam in literis magistrum aliquẽ excellentem fortasse reperiam, à quo erudiar breui tempore quàm perfectissimè. Quis nomẽ aliquod gessit inter doctos, qui nullam Academiam vnquã vidit? Peregrinandum, aut omnis vita cõcidat necesse est. Nulla enim est Respublica quæ omnia apud se habeat, & cui in omnem partem nihil desit. A M. Talia perstabat memorans, fixusque manebat: audax nempe & inconsultus iuuenis ille Turnus, cui tu similis. Sed me reprimo, ne durius ex me quidquam audias. Tui me pudet. A P. Pudeat si scelestos, non si probos & sapientes ad immortalitatem mihi præcũtes sequar. Peregrinationem esse vtilem, mihi ex animo exuri nunquam poterit.

## ANNOTATIONES.

**M**ENTEM MIHI DIVINITVS INIECTAM)  
 Quomodo Græci dicunt εμποιεῖν ἐμὸν ἀλῆρ ἴδωρ.

ita Latini dare, iniicere mentem, impellere in mentem, pro. excitare desiderium in pectore alicuius, subitoque ad aliquid agendum impellere. Cic. 1. Catil. & pro Milone. Linius lib. 6. Sed nunquam propter me de caelo descendent, vobis dent mentem oportet, ut prohibeatis. Plura Victor. lib. 7. cap. 5. QVOT VLYSSES) De hac peregrinatione viri sapientissimi tota est Odyssea. Cuius imago & effigies quaedam, parua tamen velut ex magna tabula depicta, a Virgilio nobis spectanda proponitur in 6. prioribus libris Aeneidos, quemadmodum Iliados in 6. posterioribus. COELVM NON ANIMVM) Aeschines contra Ctesiphontem. ἔ γάρ τὸν τρέπον ἀλλὰ τὸν τόπον μετέλλαξεν. Quod videtur expressisse Cic. pro Quintio. Fit, inquit, magna mutatio loci, non ingenij. Disputat vehementer aduersus eos Seneca, qui peregrinationibus suis animo querunt medicinam. Quid prodest, inquit, mare traicere & vrbes mutare? Si vis ista, quibus urgeris, effugere, non alibi sis oportet, sed alius. Et infra, longè. Peregrinatio non facit medicum, non oratorem. Nulla ars loco discitur. Quid ergo? sapientia res omnium maxima in itinere colligitur? Nullam, mihi crede, iter est, quod te extra cupiditates, extra iras, extra metus sistat. Aut si quod esset, agmine facto, gens illuc humana pergeret. Epistola est CIII. quam legisset totam proderit. ALEXANDRI MAGNI IMAGINE) Scribit hoc Suetonius in Iulio, cap. 7. M. Antonij Casarone argutum epigramma fertur, quo hosce duos inter se comparat. Spectat Alexandri picta, ut cerra mina Caesar, Alt ego nondam aliquid gessit, alt illa crymans. Quid si & Alexander spectasset Caesaris acta? Dixisset: Perlas vincere pigritia est. Quis porro ornatus esset olim eorum, qui ad iter lon-

ginquum se accingeret, è pluribus Plauti locis diligenter collegit, & literis mandauit noster Victor. libro 1. cap. 24.

## PROGYMNASMA OCTOGESIMVMSECVDVM.

*Gratus animus.*

*ACATIVS, TARENTIANVS.*

**A**CATIVS. Quid aggressus es componere in præsens? T. Orationem de grata animi voluntate. A. Estne comparata tibi materia, & ea quidem copiosa? nam nisi subest res ab oratore percepta & cognita, oratio ipsa, quæ ex rerum cognitione efflorescere ac redudare debet, elocutionem habet inanem, ac penè puerilem. Sic sub Crassi persona oratorum princeps M. Tullius. T. Congessi quædam ac disposui, quæ verbis ornarem ac dilatarem. Sed tu optatò aduenisti. A. Quare? T. Multæ lectionis es, & quoddam quasi viuum cornu copiar. Memora igitur mihi insigne exemplum relatæ gratiæ, Imperatoris aut Regis alicuius. Item insigne cuiuspiã animantis; nam quæ ego cõquisiui, nescio quomodo non satis luculenta mihi videntur. A. Nõ est ita vulgatum illud Augusti, de quo in eius vita Suetonius. T. Nõdum dedi me ad euoluendum Suetonium. Quale autem est? A. Pulchrum est, & memorabile. Veteranus quidam miles cù in ius vocaretur, ad illum adiit in publico, rogauitque vt sibi adesse vellet. Cæsar è comitatu suo virum magnum delegit, cui litigatorem illum

illum commendauit. Hic miles : at ego Cæsar, cum tu bello Actiaco periclitarere, vicarium non quæsiui, sed ipse pro te pugnaui; simul cicatrices ostētauit. Erubuit Augustus, & ne cūm superbus, tūm ingratus putaretur, veterani patrociniū suscepturus ad iudiciū accessit. T. Quis huic summissioni summam laudem non tribuat? Ponam utique hoc factum in oratione mea. De animali iam quæro. A. Tu de vno quæris, ego de duobus narrabo. Est enim verè liberalis, cumulare altero tanto, quod gratis sit daturus. T. Euge, volenti & cupienti, & memori dabis quidquid dederis. A. In oppido Sesto educauerat aquilam virgo. Quæ ut educatrici referret gratiam, aues captas ad ipsam comportabat. Vbi sua fata virginem tulerunt, & in rogam est imposta, deuolans in eundem rogam aquila simul cum virgine conflagrauit. T. Pulchrum, & reginæ auium conueniens facinus. Quod est alterum? A. De rege quadrupedum. T. De leone? A. De leone. Romæ olim inter bestiariorum in circū maximum est introductus quidam Dacus, Androdo nomen fuit. Erant ibi tū ferè magnitudine & sœuitia insignes, sed præter omnes leonū insignis & admirabilis immanitas, præterq; ceteros vnus, qui vastitate corporis, & terrifico fremitu spectantium in se oculos auresque conuerterat. Hic vbi Androdo vidit, procul, repente, quasi admirans constitit; deinde sensim ad hominem perrexit, caudam more canum adulantium blandè mouit, crura & manus propè iam exanimati lambere cœpit. Ausus est paullatim inter talia blandimenta leonem  
intueri

intueri cū se collegisset Androdus, & illum recognoscere, à quo recognoscebatur. Accersitur à Cæsare, quaritur causa, cur ipsi leo atrocissimus perpercerit. Narrat quiddam inauditum. Cum, inquit, Africam dominus meus pro cōsulari imperio administraret, quotidianis verberibus coactus sum ab eo profugere. Et quotutior essem, in camporum & arenarum solitudinem me contuli. Meridie, cum sol esset rapidissimus, specum latebrosam subeo, ad quam paulò post hic leo venit, vno pede debili & cruento, gemitus edens, quibus dolorem ex vulnere prodebat. Primo aspectu subito pauore peccus mihi percellitur. Sed cum intrasset in latebram suam, meque ibi delitescentem offendisset, mitis ad me adiit, sublatumque pedem ostendit, & quasi opis petendæ gratia porrexit. Ibi ego stipitem ingentem vestigio pedis eius hærentem reuulsi, conceptamque saniem vulnere intimo expressi, & cruorem penitus deterfi. Mox ille hac medela mea curatus, pede in manibus meis reposito requieuit. Inde triennium totum ego & leo in eodem antro, eodémque victu transigimus. Quas enim venabatur feras, mēbra opimiora ad me afferens suggerebat: quæ ego ignis copiam non habens, sole meridiano totrebam. Postea huius vitæ pertasus, leone in venatum profecto, specum reliqui, & tridui viam permessus, à militibus captus, atque ad dominum ex Africa Romam deductus sum. Is me rei capitalis damnandum, & bestiis obiciendum curauit. Intellego autem hunc quoque leonem captum, nunc mihi gratiã pro beneficio referre. T.

Tantã

Tantane humanitas in tam audaci bellua? A. Fuit deinde hic Androdus petente populo Romano liber dimissus, & ipsi leo muneri datus; quem tenui loro reuinctum, per totam urbem secum ducebat. Et donabatur quidem aere Androdus, leo autem floribus spargebatur, cum omnes propemodum qui fierent obuij dicerent: hic est leo hospes hominis: hic est homo medicus leonis. T. Inest lepos & admiratio magna in hoc miraculo, quod certum scio auditorum auribus fore acceptissimum. A. Mirum est igitur homines non esse gratos, cum grati sint leones, aquilae, ciconiae, canes, & aliae animantes. Immo inanima; ut ipsa natura exprobrare nobis nostrum vitium videatur. Nam arbor putata quam laetas emittit frondes? quam suaves, ut cultorem suum remuneretur, progignit fructus? Vinea quantam circum vites vndiquaque ad aspectum iucundissimè pendentium vuarum copiam profert? agri denique opere rustico subacti, quanto cum fenore iniecta sibi semina refundunt? T. Etiam istis tum ad gratos laudandos, tum ad ingratos insectandos uti fixum sedet animo.

## ANNOTATIONES.

**E**X RERVM COP. EFFLORESCERE AC RED.) *Hec in proœmio lib. de Oratore: in quo id ipsum his verbis paullo ante. Est enim scientia comprehendenda rerum plurimarum sine qua verborum volubilitas inanis, atq; irridenda est. Et Crassus postea. Hec autem oratio, si res non subsit ab oratore percepta & cognita, aut nulla sit necesse est, aut omnium irrisione ludatur.*

ludatur. Quid est enim tam furiosum, quam verborum vel optimorum atque ornatissimorum sionitus insanis, nulla subiecta sententia, nec scientia? Sunt autem hic due nobis explicanda metaphora, efflorescere, & redundare. Prior ducta est à floribus foras erumpentibus: oratio enim oratoris tanquam flos exoritur & nascitur. Sic Partit. in extremol lib. Quæ quidem è media illa nostra Academia effloruerunt. Posterior à liquoribus & aquis sumpta est, quæ superfluunt, & præ copia vasis suis contineri non possunt, quin aliquid effundatur. Sic oratio ex illa multiplici & multa rerum cognitione quodammodo effundi debet. BELLO ACTIACO) Actium Epiri promontorium est, ubi navali pralio cum Antonio & Cleopatra conflixit eosque superavit Octavianus, in serum diei dimicatione protracta, ut in navu victor pernoctauerit. Victi Alexandriam perfugerunt. Quo autem Actiaca victoria memoria celebratior in posterum esset, urbem Nicopolim apud Actium condidit: ludosque illic quinquennales constituit, &c. Sueton. cap. 16. 17. & 18. IN OPPIDO SESTO) Narrat hoc Plin. lib. 10. cap. 5. additque. Quam ob causam incola, quod vocant Heroum, in eo loco fecere, appellatum Iouis & virginis, quoniam illi Deo ales ascribitur. Cur autem ascribatur, causam affert cap. 3. Negant, inquit, unquam solam hanc alitem fulmine exanimatam; ideo armigeram Iouis consuetudo iudicavit. DE REGE QUADRVPE DVM)

Nemorum dominum regemque vocat

Martial. lib. 1. epigram. 61. Hanc

historiam fusius percen-

suit Gellius lib. 5.

cap. 14.

PROGYMNASMA  
OCTOGESIMVM TERTIVM.

*Ignorantium institutio.*

*PÆDEVTICVS, DOCIMASIVS.*

**P**ÆDEVTICVS. Si quibus in beneficiis acceptis magna est gloria, ecquid in iisdem datis multa laus erit? D. Multa, maiorq; etiam: non enim virtutis opus est accipere, sed dare. Quo fit, vt hoc quàm illud longè sit incundius: tamen si id non statim apparet. P. Sic te respôsorum diuinabam. Quod autem beneficiũ magis eximium potest accipi, quàm doctrina? D. Nullum profectò. P. Ergo nec dare quidquam maius possum, si nihil maius potest accipi. D. Non nego. P. Quid causæ? D. Ignorantia malum maximum: ex quo consequitur, vt sciëntia sit maximũ bonum. Quin vt Cicero affirmat: ne in Deo quidem scientia est res vlla præstantior. P. Haud absurdè. Inprimis igitur decet alios erudire: id est, hoc aliis impertiri, quod & danti & accipienti sit honestissimum. Num ita est? D. Pulcherrimum vtique munus docere indoctos, atque etiam doctori utilissimum. Nam vt vulgi verbũ est, qui alium docet, seipsum docet: multò siquidẽ accuratius perpenduntur & excutiuntur omnia, fiuntque notiora, cũ tradenda sunt nescientibus. Est quoque bonitatis proprium, quibus ipsa abundat, ea ad alios trãsfundere, & alacriter cum ipsis diuidere: quod qui recusat, hic malignus, inuidus, ac superb<sup>9</sup> habeatur. Quocirca velut ab illo ser-



uo, qui talentum suum ad vsuram dare noluerat: etiam id quod videtur tenere, auferetur. P. Ponendi ergo in vitio, quotquot Antisthenem imitantur. D. In quo? P. Nemini se ille ad docendum dabat: atque etiam Diogenem baculum intentans repellebat. Quem tamen perseuerantia sua ille expugnauit. Subiecto enim capite aliquando: cæde, inquit, non enim ita durum baculum reperies, quo me abigere abs te possis, quamdiu aliquid dixeris. D. Quæ fuit ista humanitas? immò quæ immãitas? docetne istuc philosophia? P. Verùm vt hi reprehendēdi, sic vehementer commendandi, & amandi qui cupidissimè, ac nulla etiam proposita mercede instituunt ignorantes: idque vel grauissimè dolent, si functionis huius nulla detur occasio. D. Quod ad me quidem attinet, prædico & amo amore singulari homines huius generis, ac te inprimis, qui tot annos in sacris profanisq; rebus in schola, & extra scholam explicandis iam consumpsisti. P. De me cogitare desinito. Non ego quòd hanc tuam laudationem aucuparer, hunc sermonē introduxi. Te potius ad eorū imitationem excitare volui, quos ipse diligo & admiror. Facere autē nequeo, quin vnus cuiusdam viri sancti exemplum tibi statuat ante oculos, Christianis omnibus studiosius imitandum. Id nuper cum Ioannis Damasceni vitam euoluerem, cum voluptate legi, & alta mente reposui. D. Quia tibi vsque adeo delectationi fuit, non sim homo, si mihi non valde placeat. P. Saraceni, qui Damascum Syriæ urbem incolabant, aliquando pro more piraticam facientes. Christianos captiuos secum frequentes

rapue

rapuerunt: eorum partim sub corona deinde venierunt, partim iugulati sunt. Fuit inter hos monachus Cosmas nomine, vir & moribus innocentissimus, & omnium sacrarum, tum profanarum literarum genere instructissimus. Hunc ubi Ioannis parens Christianus, & opibus pollens lacrymantem observavit, admirans, cur fletet percunctatus est: nam ei aut servitutem intolerabilem, aut mortem ipsam horribilem videri debere, qui huius vitæ commodis & voluptatibus nuntium remisisset, totusque iam in cælis animo & cogitatione consisteret, non putabat. D. Respõsionem ad istud interrogatum sitibundus quodammodo expecto, & egregiam fore non dubito. P. Tum Cosmas. Non tyrannidem servitutis, non huius lucis amissionem fleo. Hoc me excruciat, & in fletum urget, quod cum tot ingenuis disciplinis, divinæq; & humanæ philosophiæ tantum operæ dederim, multamque mihi, & splendidissimam supellectilem compararim, hæcenus tamẽ eam opportunitatem non inuenerim, ut thesaurum meum in alios disperderem, perque philosophicam institutionem, quasi quendam mihi similem filium procrearem. Nam ut reliqui mortales ad perpetuandum genus & familiam miro liberorum suscipiendorum desiderio afficiuntur: sic qui philosophiam imbiberunt, amant ipsi quoque alios informando & sapientiam suam comunicando filios progignere: nempe ut nobilissima illa philosophorum sapientiamque successio per infinitas sæculorum ætates extendatur. Atque huius partus auctores indelebile nomen sequitur. Cupiebam itaque id

quod mihi sapientiæ contigisset donare aliis: ea spe deiectus sum. Nec talentum hoc meum vnà cum fidelibus seruis dare nummulariis conceditur: nec filium mihi eruditionis meæ hæredem generare possum, & ex hac vita tanquã orbis, & *ἀρετῆς* abire cogor. His auditis, Damasceni parens virum consolatus, à Principe Saracenorum eum impetrat, suoque filio Ioanni adolescenti magistrum adhibet, cuius ille præceptis eã scientiam est adeptus, quam in eius libris qui feruntur suspicimus. D. O incredibilem, & inusitatam huius Cosmæ humanitatem, ô præcellentem in homines charitatem, ô verè diuinum animum. P. Non ideo tantos in discendo labores exhausserat, non ideo sapientiæ compos factus erat, vt digito prætereuntium monstraretur, verùm vt alios erudiret. Ac poterat sanè illa Ecclesiastici de se non iniuriã vsurpare. *Multam inueni in me metipso sapientiam, & multum profeci in ea. Respicite, quoniam nõ mihi soli laboraui, sed & omnibus exquirentibus disciplinam. Appropiate ad me indocti. Quid adhuc tardatis? comparate vobis sine argento sapientiam, & collum vestrum subiicite iugo eius, & suscipiat anima vestra disciplinam.* Non hic desiderabat quæ contempserat. Vnum optabat; pietatis & doctrinæ suæ hæredes relinquere. Et profectò vnum multorum instar reliquit. Est quippe inter Theologos, & Ecclesiæ Catholicę proceres Ioannis Damasceni augusta memoria. Quo nihil habebat melius, quo nihil præstantius ac salutaris iudicabat, id ardentissimè gratis impertiri cupiebat: angebaturque longè amplius, quod sibi prodesse non liceret, quàm scelerati dolent, quod ipsis nocere

nocere non licet. Deum parentem munificentissimum imitari pro suo modulo cōnitebatur, qui dat omnibus affluenter, & improperat nemini. D. Utinam ea esset eruditio mea, ut ad discendum alios inuitare possem. Voluntas quidem huius tam præclari officij nunquam à me discedet. P. Etiam pueros audire oportet, quæ senes aliquando facti obseruent. Tu adolescens iam optimis literis deditus, cum ad pileum vocatus fueris, cingulumque scholasticæ militiæ deponeris, Cosmam hunc pro virili studebis exprimere. D. Haud furdo dictum.

## ANNOTATIONES.

**H**OC QUAM ILLUD LONGE SIT IV-  
CVNDIVS) Cis. pro M. Marcello. Ille quidem  
(Marcellus) fructum omnis antea vite hodierno die  
maximum cepit, cum summo cōfessu senatus, tum præterea  
iudicio tuo grauissimo, & maximo: ex quo profecto intel-  
ligis, quanta in dato beneficio sit laus, cum in accepto  
tanta sit gloria. Argumentatio est à minore. Sed magis  
laudari est τοῖσιν ἄλλοις quàm ἐν τῷ αὐτοῦ, & gloriosius esse  
afficere, quàm affici beneficio omnes fatebuntur. Delectari  
etiam vehementius illos quàm hos, non ita manifestum  
est. Et tamen ita est profecto, si modo putas constantē, &  
sedatam, atque à iudicio profectam latitiā gestiētī qua-  
dam, & subita atque effusa latitia maiorem esse posse.  
PVLCHERRIMVM VTIQVE MVNVS )  
Pulchrūmne videtur tibi à multis liberis patrē, à plu-  
rimis nepotibus auum nominari? Pulchrūmne honorū &  
nominis successores complures relinquere? Atqui erudire  
alios quid est nisi eos iterum generare, facereq; ut quod  
dicuntur, homines scilicet, id verè dicantur, & eosdem

non fluxi, sed permanentis patrimonij heredes institue-  
 re. ἢ γὰρ σοφία μόνη τῶν κτημάτων ἀθάνατος, inquit  
 ad Demonicū Isocrates. DOGETNE ISTVC PHI-  
 LOSOPHIA) Silegamus qua literis prodita sunt de  
 vita & moribus multorum philosophorum, non eas magis  
 philosophicas, quam philosophorū vitas appellandas cen-  
 sebimus: non enim cum decretis philosophiæ, sanctissimisq;  
 praeceptis consentiunt: ut Pharisæorum quondā, de qui-  
 bus Christus: dicunt & non faciunt. Et rursus: que dixe-  
 rint vobis, seruate & facite, secundum verò eorum opera  
 facere nolite. Conqueritur hac de re, etiam Cic. Tuscul. 2.  
 Sed hac eadem num censes apud eos ipsos valere, nisi ad-  
 modum paucos, à quibus inuenta, disputata, conscripta  
 sunt? Quotus enim quisque philosophorū inuenitur, qui  
 sit ita moratus, ita animo ac vita constitutus, ut ratio  
 postulat: qui disciplinam suam non ostentationem scien-  
 tiæ, sed legem vite putet? qui obtemperet ipse sibi, & de-  
 cretis suis pareat? EORVM PARTIM SVB CO-  
 RONA VENERVNT) Non est quidquam cause  
 cur hoc loquendi genus inusitatum credatur, quo Cice-  
 ronem crebro uti certum est. lib. 2. de diuinat. Quorum  
 partim ficta aperite, partim effutita temere nunquam  
 ne mediocri quidem cuiquam, non modo prudenti pro-  
 bata sunt. 2. de Ora. Sed eorū partim in pompa, partim  
 in acie illustres fuerunt. Prætermitto reliqua testimonia.  
 Gellius lib. 10. cap. 13. Partim hominum venerunt, ple-  
 runque dicitur: quod significat, pars hominum venit, id  
 est, quidam homines. Nā partim hoc in loco aduerbium  
 est, neque in casus inclinatur: sicuti, cum partim homi-  
 num dici potest, id est, cū quibusdam hominibus, & quasi  
 cum quadam parte hominum, & qua deinceps sequun-  
 tur. Cur autem serui pileati venderentur, & quid sit ve-  
 nire sub corona, exponit idem Gellius lib. 7. cap. 4.

P R O G Y M N A S M A  
OCTOGESIMVM QVARTVM.

*Amor, & amicitia.*

*SYMPHRASTVS, P. ASIPHILVS.*

**S**YMPHRASTVS. De amore verba facturum  
Ste polliceris. De illone, quo de Plautus? Qui  
in amorem præcipitavit, peius perit, quàm si sa-  
xo saliat. Et, amor melle & felle est fœcundissi-  
mus. Amor mille modis ignorandus est. In quo  
Terentius ait inesse iniurias, suspiciones, inimi-  
citas, inducias, bellum, pacem rursus. De cu-  
ius cultoribus alius poëta:

Durius in terris nihil est quod viuat amante:

Nec, modo si sapias, quod aminus esse velis.

De hisce perditis & flagitiosis amoribus scho-  
lam tu explicabis? P. Nequaquam de isto amandi  
genere dicam, quod in auidè hauriendis libidi-  
nibus, & in impura quadam intemperantia cer-  
nitur, magisq; belluarum quàm hominum pro-  
prium, ac diuinis legibus interdictum est. A quo  
multi ad exitium corporis & animæ præcipitati  
sunt, & adhuc alij præcipitantur. Nescierunt  
amare, quia modum non tenuerunt: fines tran-  
sierunt, quos vltra citraq; nihil rectum. Viden-  
dum, quem, cur, quantùm amemus. Tres omnino  
sunt amicitiae species, vt Plato voluit. Natura-  
lis, qua parentes diligunt liberos, & ab iis dili-  
gantur, cognati item à cognatis: qua etiã bestiae  
inter se amant. Socialis quam sola consuetudo  
conciliat. Hospitalis qua ex aliqua commenda-

tione aut literis cum hospitiſibus coniungimur. De omnibus iſtis, maximè autem de ſecundo genere, noſtra eſt futura diſputatio. S. Scio iam de quo amore auditurus ſim, audiamque libentiſſimè. P. Non ſine cauſſa Empedocles litem & amicitiam cum rerum principiis induxit. Videbat enim quodam amoris fœdere vniuerſam naturam, atque ipſa elementa contineri. Id ſi rumpetur, alias ex aliis rebus procreari, & eoſque procreatas manere, dum amor ille fœdusque ſtabile permaneret. Hic omnium artiũ fons & origo eſt. Quando enim homines texendi, edificandi, medendi, fabricandi ſcientias excogitaſſent, ſi eas impenſius non amauiſſent? hic omnium animantiũ pater eſt, inde enim generantur. Idem tutor eorũdem & conſeruator. Principiò, inquit Tullius, generi animantium omni eſt à natura attributum, vt ſe, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur, omniaque quæ ſint ad viuendum neceſſaria inquirat & parat: vt paſtum, vt latibula, & alia eiufdem generis. Commune item animantiũ omnium eſt conjunctionis appetitus, procreandi cauſſa, & cura quædam eorum quæ procreata ſunt. Quid hæc aliud ſunt, niſi, vt vno complectar verbo, amor? Atque vt mundus eſſe ſine ſole nõ poteſt, ſic nec hominum vita ſine amore. S. Solem è mundo tollunt, qui amicitiam tollunt. P. Is enim malevolentiam, rixas, iras, inuidiam, odia, ſimultates fugat, quæ ſunt vitæ peſtes. Cõtra, tranquillitatẽ mentis, concordiam, pacem, familiaritates, multorumque officiorum conjunctionem parit: quæ omnia non magis ab amore ſecerni & ſeparari queunt,

queunt, quàm ab igne calor, à glacie rigor, à niue candor. Ab eo ductum est nomen amicitiaë, quam Cicero appositè ad nostram sententiã unde orsi sumus, omnium diuinarum humanarumque rerum cum beneuolentia & charitate summam consensionem vocat. S. Sed ego te ab ista generali amicitia amorèque communi naturarum ad hominum inter se consociationem velim descendere, & illius pulchritudinem, utilitatèque declarare. P. Descendam verò, nec tamen leges dabo, quod facit perbene Tullius. Ac illud primùm aio. Cum fideli amico nec aurum nec argentum, nec vllam rem pretiosam comparandam videri, esseque anteponendum quamuis Cræsi opulentiaë. Alexander interrogatus, vbi haberet thesauros suos, ostensis amicis, in his, inquit. Rectè item Darius, cum prægrande malum punicum aperuisset, & quidam ex eo quæreret, cuius rei tantum sibi numerum optaret, quantus illic esset granorum. Zopyrorum respondit. Hic vt Babyloniam in regis potestaté redigeret, nares, aures, & labia sibi præciderat. Et cum terra fruges efferat in anno semel, amicitia semper, hyeme, æstate, vere & autumno fructuosa est. Quot amicos pararis, tot oculos habes quibus videas quæ velis: tot aures, quibus quæ decet audias: tot consilia, quibus de vtilibus consultes & prospicias. Nõ enim aliter se habet plurium amicitia, quàm si cui Deus vnũ corpus habenti multas inderet animas, quæ omnes illi prouiderent & consulerent. Sine amicorum beneuolentia neque in aduersa, neque (quod mirabilius est) in secunda fortuna vi-



uere quisquam potest. Quin placidius tolerantur cum amicis calamitates acerbissimæ, quàm sine illis feruntur prosperitates maximæ. Ea autem est iucundissima amicitia, quam similitudo morum bonorum coniugauit. Nihil hac amabilius, nihil copulatius. Nec nisi inter bonos vera est perfectaque amicitia. Quid enim malis cum virtute? amicitia virtus est. Hanc colamus. Et oderimus quidem tanquam amaturi, non tamen etiam amemus, vt aliquando ofuri: qua voce nullam inimiciorem amicitia reperiri potuisse affirmabat Scipio Africanus; nec id à Biante, qui vnus è septem sapientibus esset habitus, sed ab impuro quodam & ambitioso, & omnia ad suam potentiam reuocante dictum credebat.

### ANNOTATIONES.

**Q**VI IN AMOREM PRÆCIPITAVIT) *Amantium miseras, & amoris artes euentusque infelicissimos creberrimè ponit ante oculos Plautus. Exempli gratia, Mostellaria in persona Philolacheris, & Trinummus in persona Lysitelis. In Cistellaria verò sic ait adolescens Alcesimarchus, cui que passim in illis comœdiis inseruntur persimilia sunt.*

Credo ego amorem primum apud homines carnificinum commentum,

Hanc ego de me coiecturam domi facio, ne foris queram,

Qui omnes homines supero, atque antideo cruciabilitibus animi.

Iactor, crucior, agitor, stimulator, versor in amoris rota miser,

Exanimor, feror, differor, distrahor, diripior, ita nullam mentem.

Animi habeo: vbi sum, ibi non sum: vbi non sum, ibi est animus.

ALIVS POETA ) Propertius est hic Poëta, cuius præter hoc distichon etiam illæ voces sunt, lib. 2.

Scilicet infano nemo in amore videt.

Nullus liber erit, si quis amare volet.

EMPEDOCLES LITEM ET AMICITIAM ) Empedocles Agrigentinus philosophiam suam explicavit versibus. Fuisse & orator, & discipulum erudisse Gorgiam Leontinum dicitur. Vixit annos LX. supra centum. Desiluit autem in crateras Aëna, dum persuadere vult hominibus, se ad deos abiisse, deumque factum. Est tamen res patefacta, cum una ex eius crepidis à flamma in altum subleuata & eiecta esset; creis enim crepidis vii solebat. Sequitur hæc de eius morte sententiam Horat. ad Pison. Cum autem statuisset ignem, ærem, aquam, terram rerum initia, addebat illis amicitiam, qua contraherentur, & litem qua dissiparentur. Meminit Cic. in Lelio. Laudat eum pluribus, & politissimis carminibus Lucretius in 1. quorum hoc est principium.

Quorum Acragantinus cum primis Empedocles est,

Insula quem triquetris terrarum gessit in oris.

Vide insuper Plutarch. de placitis philosophorum lib. 1. cap. 3. NEC TAMEN LEGES DABO ) Extat oratio Themistij Euphrade philosophi, disertissima sanè multoque plucherrima de Amicitia. In qua præter alia hæc tria explicat. Quibus iudiciis cognoscamus, quis ad amicitiam nostram sit idoneus: seu, quam in deligendo amico spectare debeamus. Quomodo deinde tanquam piscis hamo capiendus, nobisque adiungendus. Quomodo tandem, seu quibus rationibus retinendus. Ad hoc tertium pertinet tota epistola Seneca numero tertia, qua docet sincerè aperièque cum amico agendum. NARES, AURES, ET LABIA ) Historia est apud Herodo

*Herodotum lib. 3. Plutarch. in apophtheg. Regum, & Imper. Iustinum lib. 1. TOT OCULOS HABES*)  
*Themistius. Beatus ille, qui priuatus cum sit, huiusce boni compos fieri potuit: Is vero longe beator, qui plurimis urbibus, & immensa alicui regioni praeest. Cui enim multa opus est videre & audire, multa eodem tempore curare ac moderari, huic certe pauca sunt aures duae, oculi duo, corpus unum, & una perpetuo inhaerens anima. Quod si is amicorum copia abundet, sepiissime videbit ea, quae propinqua non sunt, audiet, longinqua & remota vatum more prospiciet, eodemque temporis momento pluribus, Deo certe similis, videbitur interesse. Eadem Dio Chryostomus orat. 2. de regno.*

## PROGYMNASMA OCTOGESIMVM QVINTVM.

*Modesta eruditio.*

*SOPHRONISCVS, MODESTINVS.*

**S**OPHRONISCVS. Quales tu inter literatos iudicas eos, qui ab animi moderatione alienissimi suam eruditionem ipsi suspiciunt, & vsq; eo nemini se postponunt, vt etiam multis anteponant, se commendari cupidissime audiunt, quod ipsi somniauerunt, id omnes credere, & tueri cupiunt: maluntque sursum ac deorsum ferri, & perire omnia, quam opinationes vel absurdissimas deserere, & aliquid se nescisse confiteri. Nec refellere, nec refelli sine iracundia & maledictis possunt. Et quamuis ipsi honores impense consecretentur, alienae tamen gloriae obtrebant: quasi hoc minus honorati futuri sint,  
 Quod

quod aliis quoque honor tribuatur. Denique sicut modesti ingentem quendam, & commendatione in primis dignum literarum amorem tantum præ se ferunt eoque solo sibi magnoperè placent, scientiam artificiosè dissimulant ac tegunt: ita hi, modestiæ inimici, quod didicerunt, dissimulare ac tegere nequeunt, seque impotenter iactant, & nescire quædam malunt, quàm à quocunque discere. Et cum sibi semitam non sapiant, aliis conantur monstrare viam, pollicenturq; diuitias, à quibus ipsi drachmam petunt, ut ait apud Ciceronem Ennius. M. Quales obsecro iudicare possim, nisi arrogatissimos, nec rationibus coarguendos, sed verberibus emendandos, ut deliros atque insanos? S. Solent ex his quidam clamitare, cum è vetustis Patribus locus aliquis eorum impurissimis ac pestilentissimis dogmatibus aduersarius profertur, ipsos homines fuisse, & errasse. Quando igitur aut in quo concilio, quibus comitiis ipsi dii renunciati sunt? In philosophia item hodie reperiuntur; qui plus & aliis, & ipsomet Aristotele & Platone se videre arbitrantur. Sunt qui plus Cicerone, Virgilio, & aliis infinitis. O audaciam non ferendam. M. Nulla virtus bene literato, ac potissimum Christiano homini equè necessaria, nulla commodior, nulla pulchrior, & ad nominis celebritatem conciliandam accommodatior, quàm modestia, animusq; summissè de se existimans. S. Explica, & describe mihi paullò vberius hoc ipsum, modestè de se existimate. M. Sibi perpetuè displicere, per mediocres processus effecisse agnoscere, nulli se faciliè antepone-  
de suis

de suis laudibus prædicantes moleste coactumque auscultare, suum iudicium sententiamque ad plurimum, iisdem in artibus exercitatorum iudicium & sententiam adiungere animo æquo ac libenti; & sine contumelia incõditisq; & insultis vociferationibus refellere alios, sineque stomacho refelli ab aliis paratum esse, neminem irridere, alienæ laudi tanquã suæ favere, honores minimè sitire, delatos difficulter suscipere, quidquid discendo profecerit, munus ac donum esse Dei statuere, à quo & animum, & ingeniũ, & vires, & sanitatem, & eruditum Præceptorem acceperit, sine quibus disci profectò non potest. Demum nihil aliud, quàm sciendi amorem desideriumq; ostendere, à quocunque autem percipere queat quod ignoret, ab eo discere, huic se in disciplinam tradere, neque erubescere, & cū Solone gloriari, se quotidie aliquid addiscētem senem fieri. S. Perelegans dictum Aristotelis è quinto Nicomachiorum in disputationibus de Iustitia tritum est, quam ille ingeniosissimus & doctissimus Magister virtutum omnium præclarissimam ait; nec Luciferum ac Hesperum tã videri admirabiles. Ego verò nec solem ipsum adeo fulgentem admirabilẽmque esse affirmo, vt est erudita modestia. M. Sapientem euasisse, & nihilominus se nescire sapientem, hæc mihi semper rara, inusitata, & eximia virtus visa est, victoriãque omnium victoriarum clarissima & præstantissima: siquidem nihil laboriosius quàm edomare superbiam, attollētes se spiritus inflatumque sui admiratione animum comprimere, & quasi equum exultantem ac lasciuientem frenis

nis ac vinculis compescere. Innumeros à reli-  
quis vitiis, quibus seruire homines consueue-  
runt, integros, vnus gloriæ appetitus immode-  
rator superauit: qui quidem in præstâtib; in-  
geniis innascitur facillimè. S. Sic est, & confir-  
mat Tullius 1. de Off. In maximis animis, splen-  
didissimisque ingeniis plerunque existunt ho-  
noris, imperij, potētis, gloriæ cupiditates. M. Et-  
enim, quomodo gloriam facile pro nihilo du-  
cūt, qui se nihil gloria magnoperè dignum pos-  
sidere sentiunt; sic ex aduerso eius adipiscendæ  
igniculis incenduntur, qui se ea dignissimos no-  
uerunt. Quoniam verò tendit in ardua virtus, &  
ante eam dij sudorem posuerunt, vt Ascræus  
Pœta canit, hoc præstabilius quidque censen-  
dum est in rebus alioqui laudabilibus, quo ma-  
iore fuerit cum difficultate coniunctum. Itaque  
si parui negotij arbitraret esse, summissionem  
animi cum eximia eruditione consociare, nun-  
quam adeo hanc consociationem extollerem.  
Nihilominus ipsa rei dignitas, & incredibi-  
lis quædam pulchritudo hortari ac permouere  
nos omnino debet, vt modestiam ad amemus,  
nihilque magnificum & singulare de doctrina  
nostra sentiamus. S. Arbitror etiã nos ab intel-  
ligentiæ humanæ infirmitate ac hebetudine,  
rerum plurimarum immensa obscuritate igno-  
rantiaque ad modestiam compelli. M. Iuxta te-  
cum arbitror. Quàm diligenti, quàm crebra  
mentis agitatione, quot annorum curriculo,  
quàm varia & multa lectione, quot magistris  
opus est, donec ad quantulamcunque scientiam  
perueniamus? Quàm multa item, tametsi assidue  
commen

commentemur, libros omnes euoluamus, inuenire atque percipere nequimus? Quoties hallucinamur, labimur, decipimur, & ab itinere veritatis quàm longissimè aberramus? S. Per opportunè subit mentem meam factum quoddam Socratis, quo ad retundendos eruditorum fastus appositè vti quispiam poterit. Cum Alcibiadè ob diuitias & fundos ac villas velut vnum de beatis superbientem aduerteret, in quendam vrbis locum seduxit hominem, in quo orbè depictum continens tabula dependebat. Iussit ergo Atticam requirere. Eam postquam inuenit: age nunc, vise tua prædia. Quæ cū Alcibiades nūquā ibi extare diceret: quid igitur, subiecit Socrates, ob eas res tantum tibi places, quæ nullā orbis partem conficiunt? M. Prorsus ad eundem modum de nostra sapientia loqui licet. Quæ quisque scit, ea, quemadmodum Theophrastus dixisse fertur, minima pars eorum sunt, quæ nescit. Et sanè, quo diutius dediti studiis sumus, quo maioribus vigiliis doctrinas colimus, eo clarius deprehendimus, quā multa ignoremus; vt eruditiores fuisse videamur in initio quàm post interuallum temporis longissimum: quòdque haud inscitè à Menedemo de philosophis prolatum refert Plutarch. lib. de profectu virtutis sentiendo, id in omnes artium studiosos quodammodo cadat. S. Quid illud? M. Dixit ille. Qui Athenas se contulissent, plerosque primum sapiētes sibi esse, deinde philosophos, hoc est, sapientiæ amatores fieri: quod primum videantur sibi profecisse multum, & perfectam eruditionem cōsecuti. Postea intelligunt quam  
 præcla

præclarum & arduum sit quod quærunt. Quare non se iam sapientes, vt prius, cum adhuc cæci essent, sed cupidos illius sapientiæ videri posse cessent, quam se adeptos existimabant. Tandem dicebat eos fieri oratores, & progressu temporis rudes ac plebeios. Quo enim magis se doctrinæ præberent, eo magis fastum eos arrogantiamq; deponere. Quia videlicet quo longius philosophâdo processissent, eo clarius viderent, se nihil scire: quæ fuit ingenua nimiumq; decantata Socratis confessio, qui tamen sapientissimus est Apollinis oraculo iudicatus: vt insipiētissimos numerare oporteat, qui se omnia didicisse arrogantissimè iactitant. Magis nimirum sapiūt, qui acutius & clarius cernunt, quàm parum sapiant, id est, quàm multa funditus nesciant, quàmque imperfectè sciant, quæ didicerint. Quocirca si quis inscitix suæ agnitionem, & sciēdorum notitiam, magnam quādam vult appellare sapientiam, appellet sanè: me certè, & cō pluribus fortasse approbantibus id faciet. Hinc tantum abest, vllum illorum, qui solidius docti sunt, quidquam de se gloriosius effari, vt alio etiam ipsorum laudes prædicante, ingenuo pudore suffundantur valdeque erubescant. Qui verò remotius à doctrina distant, quam sibi superbissimè vendicant, hi plenas ostentationum voces emittere solent, & sunt intolerādum in modum arrogantes. S. Est omnino quemadmodū affirmasti. Apud Sophoclem Minerva Vlysem, cum ipsi Aiace Telamonium furentem, & de hostibus ab se iugulatis (sic enim putabat, cum pecudes occidisset) insolenter gloriāntem exhibuisset, grauiter



admonet, ne se huius infani exemplo aliquid esse opinetur, ne omnes despiciat, si plusculum supra ceteros manu aut diuitiis possit. Hoc eruditus & modestus quilibet, velut sibi sigillatim dictum mandatūque arripiet à Minerua, hoc est, ab ipsa recta ratione, à consilio cœlestique sapientia, cuius illa vox nemini nostrū non sepe audita est: Quanto maior es, humilia te in omnibus. M. Hanc ob causam plus laudis merentur Academici, quàm ceteri philosophantium greges, qui multum suis ingeniis freti, se scire multa affirmarunt, cum illi contra ubique hēsistantes, se potius opinari quàm scire dixerint. Non ego quidem eorū philosophiam valde laudauero, sed modestiores fuisse dico. S. Quam nos modestiam præ turgido fastu diligamus.

#### ANNOTATIONES.

**S**INE IRACUNDIA ET MALEDICTIS) *Au-  
Saire est operapretium quod scripsit Tullius 1. de fini.  
Differentiū inter se reprehensiones non sunt vituperan-  
de. Maledicta, contumelia, iracundia, contentiones, con-  
certationesq; in disputando pertinaces indigna mihi phi-  
losophia videri solent. Ibidem Neque enim disputari sine  
reprehensione, nec cū iracundia aut pertinacia rectè di-  
sputari potest. Fertur & ille ad rem hanc appositus sena-  
rius. Nimum altercando veritas amittitur. M V N V S  
A C D O N V M E S S E) Non esse paria & equalia inter  
se hac duo verba, donum & munus, in Iureconsultis &  
Cic. obseruat Victorius lib. 11. cap. 22. N I H I L L A B O -  
R I O S I V S Q V A M E D O M A R E) Qui vincit ani-  
mum, hunc Cic. non cum summis viris comparat, sed si-  
mitem Deo iudicat. Plaut. Trinum. Qui vincunt ani-  
mum,*

mum, quàm quos animus, semper probiores elucent. Ibidem. Tu si animum vicisti quàm potius animus te, est quod gaudeas. Frequens in nobismetipsis cum affectibus nostris pugna, sed rara, gloriosa tamen victoria. VNVS GLORIÆ APPETITVS) Huius generis duo exempla recitantur 1. Off. Callicratida & Cleombroti Lacedemoniorum ducum, quorum temeritas & arrogantia bis populum Spartanum afflixit. His Q. Fabius Maximus cunctator opponitur, de quo magnifice Ennius.

Vnus homo nobis cunctando restituit rem.

Non ponebat enim tumores ante salutem.

Ergo magisque magisque viri nunc gloria claret.

DECANTATA SOCRATIS CONFESSIO)

Cic. Academ. li. 1. Hic in omnibus ferè sermionibus, qui ab iis qui illum audierunt, perscripti varie & copiose sunt, ita disputat, ut nihil assermet ipse, resillat alios: nihil se scire dicat, nisi id ipsum: eoque prestare ceteris, quod illi, quæ nesciant, scire se putent: ipse se nihil scire, id vnum sciat: ob eamque rem se arbitrari ab Apolline omnium sapientissimum esse dictum, quod hæc esset vna hominis sapientia, nõ arbitrari sese scire quod nesciat. Hac Cicero, Arcefilas tamē negabat id ipsum sciri, quod Socrates sibi reliquerat. MINERVA VLYSSEM) In tragœdia videlicet, quæ Ajax μαχινοπέος & inscribitur. Cum ostendisset Aiace Vlyssi Minerva, & is valetudine mentis aliena & stulta locutus esset, qui fuerat antea prudentissimus, dixissetque Vlysses, se in illo sua etiam conditionis admoneri, subiicit illa.

Τοιαῦτα τοῖσιν εἰσεγγῶν, ὑπέκρωτον

Μὴ δὲρ ποτ' εἴπῃς αὐτὸς εἰς θεὸς ἐπὶ, &c. Latine:

Hæc intueor, ne c ferocioribus

Vaquam laceffe cœlites dictis deos,

Nec insolenter te geras si plausulam

Quàm cæteri dextra, vel auro polleas.

Mortalium res auget & premit dies,  
Amant modestos, execrantur dij malos.

*Dictam porro Mineruam in 2. denat. deorū refert Cicero qua vel minueret, vel minaretur. Minueret videlicet nervos ac robur literis addictorum, ut quidam volunt; minaretur autem bello & armis; eadem enim Pallas. Vide Festum. Lege etiam Isid. lib. 19. cap. 20. VBI QVE HÆSITANTES) Cum nihil percipi posse dicerent Academici, variis tamē de rebus disputabant, librosque faciebant. Hac autem nō esse contraria docet in 2. de Off. Cic. simulque paucis verbis sēte illius institutum explanat. Vellem, inquit, satis cognita esset nostra sententia. Non enim sumus ij, quorum vagetur animus errore, nec habeat unquam, quod sequatur. Quæ enim esset ista mens, vel quæ vita potius non modo disputandi, sed etiam viuendi ratione sublata? Nos autem, ut ceteri, qui alia certa, alia incerta esse dicunt: sic ab his dissentientes, alia probabilia, alia contra improbabilia esse dicimus.*

## PROGYMNASMA

OCTOGESIMVMSEXTVM.

*Solatium paupertatis studiosorum.*

PLVSIVS, IN ARGYVS.

**P**LVSIVS. Diuitiis, siue pecuniis vehementer opus esse confirmo iis, qui doctorum nomen consequi concupiscunt. Nemo enim ignorat, quomodo exerceat & delasset animū cura alendi tegendique corporis: quod sine cibo & potu, sine indumentis & tegumentis viuere conseruarique non potest. Cum ergo hæc necessaria nobis

nobis sint propter corpus, ipsumq; corpus de se cogitare & sollicitum esse nequeat, animus, qui est eius inquilinus & hospes, domicilij sui procuracionem suscipere cogitur. Quo autem illud melius affectum, quo sanius ac robustius fuerit, eo ipse etiam vegetior, & ad sua munera obeunda alacrior fiet. Iam verò si sola cogitatione res ad vitam necessarias adipisci possemus, esset hoc ipsum non adeo molestum animo; impediret tamen eundem in rerum contemplatione. Nunc, qui opibus caret, is aut mendicando, aut opere aliquo illiberali & rustico sese alere compellitur. Quæ dum agit, quis studiis literarum relictus est locus? Contra, diuiti referta est penus, refertæ apothecæ, commodè ædificata domus, sartores, sutores ad nutum præstò sunt: famuli præterea & ancillæ qui culinam, qui mensam, qui focum sedulo curent. Ipse omni cura solutus tractat libros, excolitq; studia sua quàm liberri-  
mè. A Si vsq; adeo necessaria existimantur opes ad sapientiam, quid ergo est, quod in prouerbij consuetudinem venit: Paupertas sapiëntiam sortita est? ipsa nimirum multas artes suscitauit, laborandi doctrix, studiique magistra, vt cecinit Theocritus: non opulentia, quæ segnis, imbellis & ignaua est. Quid vult præterea, quod ab iis, qui securè philosophari instituerunt, aurum & diuitias tãto perè despectas legimus? Anaxagoras totum patrimoniũ suum in amicos dispertiit. Crates immodicum auri pondus in mare abiecit. Xenocrates, cum legati ab Alexandro quinquaginta ei talenta attulissent, quæ erat pecunia temporibus illis, Athëis præsertim, maxima, remisit.

Ne tamen regiam liberalitatem aspernari videretur, 30. minas accepit. Aristippus cum seruus eius in via argentum portaret, eoque onere gravaretur, abiice, inquit, quod vires tuas superat, & quantum potes, portato. Quæ fuerunt opes Socratis, Diogenis? hic etiam dicere solitus est, paupertatem ad philosophiam subsidium esse *ἀυτοδίδακτορ*: nã quæ philosophia verbis persuadere conaretur, ea paupertatem ipsis rebus cogere. Quot putamus à literarū meditatione per rerum affluentiam prohiberi? Diuites magnis occupationibus assiduo distinentur: neque solum augendi cura quod habent, sed etiam amitendi metu cruciantur. Paupertas ad philosophandum expedita, & parata est. Pauper sui tantum curam gerit, diues etiam aliorū: & illi multo plus otij & quietis ad studendum suppeditat quàm isti. Quales fuerunt opes Demosthenis? cultellos eius pater vèdebat. Quales Euripidis? huius mater vendebat oluscula. Quales Plauti? hic molebat in pistrino. Zeno nisi naufragium passus esset, ad philosophiam se nunquam contulisset. Quod ergo initio afferebatur: pauperes in cura alendi tegendique corporis totos esse, id verum est, si eos intelligamus, qui Græcis *πρωχοί*, Latinis mendici dicuntur. At quos ipsi *πένετας*, nos pauperes & egentes vocamus, hi nihil quidem quod superfluat, res tamen vitæ necessarias, labore & industria comparatas habent: ut cum nihil supersit, nihil desit tamen. Volumus autem has mediocres facultates, & hoc quasi patrimonium à maioribus relictum esse, ut nihil cogatur studiosus literarum quærere. Immò vero pote

rò poterit etiã planè inops & cui nec feruus est, nec arca, nec cimex, nec araneus, vt Catullus ait, proficere in literis, quod declarant exẽpla nonnulla. Commemorabo vnicum. Cleãthes Athenas venit liberali sanè viatico, 4. drachmis instructus. Ibi cum à Zenone erudiretur, cogente inopia, noctu in hortis hauriebat aquas, interdium studiis operam dabat. Coactã aliquando stipem in medium familiarium proiecit, plenus animi magnitudine, cum hjs verbis. Cleanthes quidem alium Cleanthem posset alere, si vellet. P. Homini præterea qui eruditionis amore flagrat, & altissima sperat, necesse est mutare locũ, & non in vno perpetuò affixum hætere. Videre & cognoscere varias regiones, multas vrbes, diuersos hominum mores, leges, instituta: qua quidem re mirum in modum augetur prudentia, eaque virum doctum destitui non decet. In vna aliqua Academia, non omnes docti Magistri reperiuntur: nec in vna omnes ingenue artes docentur: aut si docentur, non tam constanter & exquisitè, vt in alia. Cum hæc ita sint, quis diuersas prouincias obire, & aliquot annis in diuersis Academiis sine sumptu versari poterit? A. Quod de variis regionibus & Academiis attulisti, parum valet. Nam vt quidam eruditi hoc fecerint, non efficitur tamen doctum esse non posse, qui id omittat: nec est necesse, vel in omnibus disciplinis Præceptorem audire: fœlicia quippe ingenia, tanquã generosæ stirpes, per se enuntantur, rigationes colonique curam non multum desiderant. Neque verò in multis Academiis versari scientiæ & progressus, sed magnæ

tarditatis & hebetudinis aliquando est indicium. P. In quibusdam locis magistro à discipulis salarium, & multum satis persoluitur. Vnde pauperi pecuniæ? A. Salarium bonus & ingenuus Magister nisi fortè inopia prematur, ab ingenioso & diligenti discipulo nullum exiget: aut certè aliqua opera sibi satisfieri pro institutione patietur. In Academiis item (de quibus scholis hîc loquimur) nulla merces penditur. P. Quis sine multis codicibus, sine locupletissima bibliotheca verè doctus, id est, multarum artium probè peritus fiat? Dicet aliquis, multitudo librorum neminem doctum reddit: quasi ego id assererem: hoc dico, habere multos, & legere, & legendo conterere, hoc sapientes reddit. Quomodo fecit philosophus ille, qui omnes bibliothecæ suæ libros memoriter recitabat. Pauperes expectant, dum aliquis testamēto ipsos 600. voluminū hæredes nominet, aut thesaurū humi defossum se reperturos sperāt. A. Qui studiosus, ac literis vehementer deditus fuerit, facilè inueniet, qui mutuū dare non grauētur librorum quamuis ingentem numerum. Nā ex hominibus omnibus literati sunt humanissimi, & studiorum suorum comites ac socios vehementer amant. Amicorum autem omnia communia. Sic Virgilius bibliothecam suam nemini claudebat. Hinc maximoperè laudandi Principes, & ciuitates opulentæ, quæ hoc studiosorum incommodum minimè ignorantes, publicas & communes bibliothecas ad communem vsu comparauerunt. P. Quàm multi quamuis excellentibus ingeniis præditi in tenebris & nocte iacuisent,

si opes

si opes ad doctrinā cumulatiorē, & ad perfruedam gloriæ lucem ipsis adiumento nō fuissent? Virgilius & Horatius Augusti liberalitate diuites effecti, ad literas se totos transtulerunt, libros coemerunt, quorum lectione eruditionis adepti copias, poëmata immortalia condiderunt. Aristoteles quæ in historia animalium tot libris prōdidit, ab agricolis didicit, quorū aliquot millia ingenti pretio conduxit Alexāder. Quàm nobiles ingenia propter egestatem in luto hærent, qui vel eximij Poëtæ, vel clari oratores, vel iurecōsulti, vel philosophi, vel Theologi esse potuissent? A. Quod rarò eos emergere dicis, id potius ipsorum, quàm fortunæ culpa accidit. Si enim contenderent neruos suos, si ad lucernam noctu vigilarent aliquando, si nō sternerent vsque in meridiem, si antelucanas fabricorum operas surgendo è lecto cum Demosthene præuenirent, aliquid sine dubio proficerent.

---

### ANNOTATIONES.

**O**PES SOCRATIS, DIOGENIS ) *Frugalitatem Socratis diuitiarumque contēptū præter alia dicta eius & facta, hæc etiam probant. Sæpe cū eorum qua publicè vendebantur multitudinem intraretur, secum ista voluebat: quam multis ipse non egeo? Ac semper habebat in ore iambos illos, quibus argentum, & purpura, & cetera id genus tragœdiis potius, quàm vsui vitæ necessaria docentur. Hæc Laërt. Cic. autem Tuscul. 5. in hunc modum. Socrates, in pompa cū magna vis auri, argentique ferretur, Quàm multa non desidero, inquit. Vide etiā Diogenem Laërtij, in iuius*



paupertatem ex Græcis hæc duo epigrammata Latine fecit Ausonius, quorū prius, unum distichon, est in extremo lib. 3. alterum octostichon lib. 1. Anthologiae, tit. ες ἀντάγραυα, quo se cum Cræso comparat, cūque irridet.

*Prius.*

Pera, polenta tribon, baculus, scyphus arcta supellex,  
Ita fuit Cynici: sed putat hanc nimiam.  
Namque cauis manibus cernens potare bubulcum,  
Cur, scyphæ, te dixit, gesto superuacuum?

*Posterius.*

Effigiem Rex Cræse tuam ditissime Regum  
Vidit apud manes Diogenes Cynicus.  
Constitit utque procul, solito maiore cachinno  
Concussus, dixit: quid tibi diuitiæ  
Nunc profunt, regum rex ô ditissime, cum sis  
Sicut ego solus, me quoque pauperior?  
Nam quæcunque habui mecum fero: quum nihil ipse  
Ex tantis tecum Cræse feras opibus.

CULTELOS EIUS PATER) Duo quadam prodita sunt memoria super hoc Oratore; fuisse scilicet abstemium, & patrem habuisse qui cultros venderet, quorum utrumque ut falsum reiicit Brod. lib. 4. cap. 26.  
ZENO NISI NAUFRAGIVM) Laert. in principio Zenonis. Hic postquam se ex mercatore sapientem euasisse animaduertit, sibimet gratulans dixisse fertur. Tunc secundis ventis nauigauit, cum naufragium feci. Ita saepe fortuna aduersa hominibus secundam peperit; multique ad felicitatem aspirare nunquam potuissent, nisi impronisis cladibus prius fuissent exerciti. GRÆCÆ πτωχοί) Qui Latinis mendici, Græcis πτωχοὶ dicuntur, de his non loquimur hoc dialogo. De iis autem, quos ipsi vocant πέντας, nos pauperes, seu egentes; qui labore & industria victum, & res vite necessarias queritant, quibus admodum exigua sunt facultates, nihilque omnino

nino superest. Itaque Aristophanes Pluto  $\eta\omega\tau\alpha\chi\epsilon\acute{\iota}\alpha\gamma$ , sed  $\tau\omega\epsilon\lambda\alpha\pi$  finxit aduersariam, & huius non illius mendicitatis inquam plurimas utilitates enumerauit. Atque adeo cum paupertas à doctis laudatur,  $\tau\omega\epsilon\lambda\alpha\pi$  laudari intelligendum est. EXEMPLA NONNVL-

LA) Frequens audiui, Adrianum VI. Pont. Max. qui fuit a studiis liberalibus Carolo V. Imp. adeo à pecunia fuisse inopem, ut Louanij ad lucernam publicam nocte lectitaret; candelas enim, seu oleum in lampadem unde sibi emeret, non habebat. Et tamen primum nobilissimi & maximi Principis Caroli V. Magister, deinde Episcopus Dertusensis, postea Cardinalis, tandem Pont. supremus est factus. FOELICIA QUIPPE INGENIA) Sit multorum instar D. Augustinus, cuius ingenium totus admiratur orbis. Hic de seipso Confess. lib. 4. cap. 16. categorias Aristotelis sese annos natum 20. legisse solum, & sine interprete intellexisse. Quas cum contulisset cum iis, qui se dicebant vix eas magistris eruditissimis non loquentibus tantum, sed multa in puluere depingentibus intellexisse, nihil inde aliud mihi dicere potuerunt, quàm ego solus apud meipsum legens cognoueram. Alio loco nullum se librum quamuis assiducilem legisse ait, quem non intellexerit statim. MULTOS LEGERE ET LEGENDO) Vix tamè utriusque fieri potest, quoniam vita breuis est, Quintil. lib. 10. cap. 1. Multa magis quàm multorum lectione firmāda mens, & ducendus color. Seneca etiam vagam lectionem reprehendit, cuius sententias primo volumine adduximus in medium. Attamen non multa solum, verum etiam multos legit Plin. qui viginti millia rerum dignarum cura ex lectione voluminum circiter duum millium, ex auctoribus exquisitis centum, libris suis de naturali historia inclusit. Multos Cicero, multos alij:

cum

cum delectu tamen, quem plerique nullum adhibent. FECIT PHILOSOPHVS ILLE) Inter exēpla memoria Plin. lib. 7. cap. 24. Charmidam Græcum hominē affert, qui quæ quis exegerat volumina in bibliothecis, legentis modo representabat. Carmadas legit Turneb. lib. 10. cap. 16. & pro Carneade sic legendum censet. Tuscul. quoniam philosophi Carneadis nomen clarissimum offecerit Carmada luminibus, & eius famam obscurauerit, laudēque in se transmouerit. IN-  
GENTI PRECIO CONDVXIT) Alexandro Magno rege inflammato cupidine animalium naturas noscendi, delegatāque hac commentatione Aristoteli, summo in omni doctrina viro, aliquot millia hominum in totius Asia Græciæque tractu parere iussa, omnium quos venatus, aucupia, piscatūsque alebant: quibūsque viuaria, armēta, alucaria, piscina, auuaria in cura erāt: ne quid vsquam gentium ignoraretur ab eo: quos percontando quinquaginta fermē volumina illa præclara de animalibus condidit. Hæc Plin. lib. 8. cap. 16.

PROGYMNASMA  
OCTOGESIMVMSEPTIMVM.

*Erga mendicos, calamitosos, seruos.*

PROCESSVS, CRISPINIANS.

PROCESSVS. Quod te crebrius factitare existimo, id oculis meis tertium aut quartum vidi. C. Quid vidisti? P. Quod nec mihi, nec cuiquam bono viro, nedum bono Christiano probabitur. C. Expecto quid velis. Quin tu vno verbo effare, quid est? P. Medicos te irridentem in suis centonibus, ac seruum vestrum familiarē

contumeliosissimè obiurgatum pugnis cædentem aspexi. Hæccine humanitas tua? C. Quis cohibere risum in tanta particularum diuinitate, quibus isti pallia conferunt, aspicienda posset? Quod ad seruum attinet, seruus cum sit seruus, habendus est in seruilem modum, vt bestia quæ arationi destinata est. P. Desipis, aliena loqueris. Nemini sua est exprobranda calamitas: nemo in aduersa fortuna vel irridendus, vel cõtemnendus. Quia fors communis est omnium, & futura sunt incerta. Potes tu aliquando ad mendicitatem redigi. Potes sacco è ceruicibus suspenso perambulare oppida. Potes vendi, & seruus fieri, quod facti sunt Imperatores ac Principes, quorum res tutiore loco videbantur sitæ quam tuæ. C. Non sim homo, si negem. P. Cur illius Terentiani te cœpit obliuio? Omnes cum secundæ res sunt maximè, tum maximè meditari secum oportet, quo pacto aduersam arũnam ferant. Egentes miseratione prosequendi, quibus pro facultatibus nostris benignè faciendum est; præsertim cum tãtum sit nobis ob hoc promissum præmium? Fœneratur Deo, qui miseretur pauperis. Præterea serui magis sunt, quibus libido, auaritia, inuidia, iracundia dominatur; non quorum animi à prauis cupiditatibus sese inuictos præstant. Seruierunt plures philosophi, & tamen liberi fuerunt. Imperemus igitur seruis, tanquam conditione subiectis, natura paribus; id est, æquè homines, deoque charos illos esse meminerimus. C. Tua castigatio paucis verbis alium me reddidit: alius ad te veneram.

## ANNOTATIONES.

**I**NSVIS CENTONIBVS) κέντρον Latine cēto, vestis est rusticana & vilis, ex pannis versicoloribus multis, ac vel centum confuta. Eius mentio apud rustica & militaris rei scriptores crebra. Appellatur μεταφορικῶς hoc nomine genus Poëmaticis, cum alicuius Poëta versus integri, aut dimidiati, sine mutatione aliqua verborum ad alios sensus sententiâsque exprimendas accommodantur. Sic ex Virgilio rerum sacrarum utriusque testamenti historiam contexit Proba Falconia Romana mulier, & eâ imitata Eudocia Imperatrix, Theodosij Iunioris vxor, ex Homero. Extat utriusque cento. Putatur à Christianis inuētus. **SERVVS CVM SIT SERVVS)** Hoc verū sit fortasse Christiana religionis expertibus, de quo disputat i. de Repub. Aristoteles. Nobis certè, cum iis quorum opera utimur, siue naturâ siue conditione serui sint, agendū est humanius: nempe ut de se consistatur Sostia Simo in Andria.

Ego postquam te emi à paruulo, ut semper tibi  
 Apud me iusta, & clemens fuerit seruitus  
 Scis, feci è seruo ut esses libertus mihi,  
 Propterea quod seruiebas liberaliter.

Ubi Donat. Iusta, in qua nihil iniquum iubetur: clemēs, in qua etiam de iusto multum remittitur. Sed hæc ita demum præstanda illis, si, ut Sostia, seruiant liberaliter. Cic. 1. Off. Meminerimus autem etiam aduersus infimos iustitiam esse seruandam. Est autem infima conditio & fortuna seruorum, quibus non malè præcipiunt, qui ita iubent uti, ut mercenariis, ad operam exigendam, & iusta præbenda. **QVOD FACTI SVNT IMP.)** Valerianus Imp. Rom. à Rege Persarum bello captus, ascendēti equum pro scabello fuit, quamuis esset septuagē

septuagenarius. Henricus III. Im. Germanus eo necessitatis ac miserie venit, ut ab Episcopo Spirensi victum sibi dari apud Spiram in ade Dei genitricis à se constructa peteret, cum diceret; se haud inutilem clericum fore, quod & literas calleret, & choro in seruire egregie posset. Neque id impetrauit. Sigon. de regno Italia. lib. 9. SERVIERVNT ETIAM PHILOSOPHI) Plato videlicet, Diogenes, qui Xenia de emptori suo dicebat: ipsum sibi, (quamvis esset seruus) obtemperare oportere. Nam & medicus, & gubernator, et si seruus, utique ipsi paretur.

## PROGYMNASMA

### OCTOGESIMVM OCTAVVM.

*Formule bene precandi.*

DIDASCALVS, BERNARDINVS, CAECILIVS, FVSCVLVS.

**D**IDASCALVS. Formulas illas, quibus alicui, aut aliquibus Latinè, morèque Christiano bene precari possumus, mihi recitate. Bernardine. B. Hem Præceptor. D. Quibus verbis peregrè abeunti, seu in viam se danti optares prospera? B. Istis. *Hoc iter foelix faustumque tibi sit.* D. Aliter. B. *Faxit Deus, ut saluus & incolumis reuertare. Bene prosperèque istuc tibi itineris eueniat. Angelus Domini te per hanc viam comitetur.* D. Quibus peregrè redeunti? B. *Optatus mihi & charus accidit tuus iste reditus. Reditione tua multum me exhilaratum sentio. Quod sanus reuerteris, gaudeo. Deo sit laus, qui te firmum valentemque nobis restituit. Tua reuersione etiam atque etiam letor.* D. Prudentibus &

& cœnantibus bene ominare Cæcili. C. *Escam potumque vestrum Deus benedicat. Sit vobis hoc prandium, seu cœna salutaris. Vinam ista epula conducant vestris corporibus.* D. *Ad te mox redibo Bernardine, si Fulculû interrogauero. Age Fuscule, quid dices ægrotanti, quod audiat quàm libentissimè?* F. *Deus Opt. Max. tui misertus, valetudinem tibi redintegret.* D. *Dic reliqua, nam plures formas recordor me dictasse vobis.* F. *Ab hac febre, ab ista colica, ab isto morbo liberet te Christus qui sanauit omnem languorem. Christus Iesus Dei filius, te famulum suum sanare dignetur. Cœlestis ille medicus te curare pro sua misericordia bonitateque velit. Auctor & largitor vitæ tibi vitam producat. Ex ista ægrotatione Dominus noster Iesus Christus te clementer eripiat. Medicinam malo tuo faciat misericors Dominus. Leuare dolores tuos, & depellere morbum istum dignabitur omnipotens pater.* D. *Sat multas. Quid sterûtati?* Bernardine. B. *Deus te seruet: sit saluti.* D. *Nihil aliud?* B. *Nihil, quod sciam, aliud dixisti in hoc genere.* D. *Propinanti seu bibenti?* B. *Sit saluti, proficit, proficiat, conducatur, quæ vulgi sunt. Sit fœlix haustus; sit salubris potio; bibe salutem. Accipio perlibenter.* D. *Diem & noctem?* B. *Hic tibi dies candidus illuxerit, fœlix procedat tibi hic dies. Hec nox tibi commoda trāsfigatur; prosperam, placidam tibi istam noctem precor: somnus tibi placatus contingat.* D. *Si quis vxorem ducturus sit domum, qua ratione homini precabimur bona Cæcili?* C. *Matrimonium tibi Deus superique omnes fortunent. Nuptias istas Deus sanctificet. Quod tibi sempiternum salutare sit procreâdis liberis. Quod Raguel Tobie iuniori & Sare filie cōiugio copulandis, idem ego tibi tuâq; precor.* Deus  
Abra

*Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob vobiscum sit, & ipse coniungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis. D. Optato aliquid boni honorem adipiscentibus, Fuscule. F. Hic honor tibi perpetuus sit. Deus hanc gloriam, istud decus tibi perpetuum faciat. Hunc honorem Deus tibi conseruet atque augeat. Gratulor tibi honore isto. Deus faxit ut eo dignus maneat. D. Opus quodpiam aggredienti? F. Quod bene veritat. Quod fauste feliciterque cadat, eueniat. Tuis coeptis aasit Deus. Cœpto aspiret Iesus. Deus incepta tua ad exitum felicem perducatur. Deus hunc laborem tuum fortunet. D. Nouo anno incunte, quæ bona verba dicemus? F. Hic annus tibi faustus procedat. Vire hunc annum sanus & incolumis. D. Nihil est præteritum. Amo vos multum de memoria & diligentia.*

---

 ANNOTATIONES.

**N**ON me fugit à quibusdã ex Erasmo collectas esse variarum huiuscemodi precationum formulas complures. Ego tamen ne puerorum memoriam obruerem, plures adducendas non putavi. Deinde exemplo harum, & exercitatione quadam Latine loquendi similes multas excogitari posse à studiosis existimavi. Quod si in talibus etiam per vestigia piorum sanctorumque hominum, minus tamen ornate loquentium, incedere alumni nostri voluerint, rem gratam & iucundam, ut arbitror, viris religiosis facturi sunt, quorum aliquando voluntas & iudicium sequendum est, quando res capitis non est.



PROGYMNASMA  
OCTOGESIMVMNONVM.

*Alloquium, seu consolatio super excessu matris.*

SOPHRONIVS, AMELIVS.

SOPHRONIVS. Saluere iubeo Amelium. A.  
Tu saluus esto, mi Sophroni, mecū nulla iam  
est salus, occidi. S. Venit ad me heri conticinio  
Adrianus noster, &, quid tu hīc sedes? quid ni,  
inquam, sederem? modo aliquid agam: & tu li-  
bris me nunc intentum aspicias. Sedeo igitur, &  
tamen non sedeo. Quin tu Ameliū consolatum  
properas? consolatum? Ita, inquit. Quare? Quia  
literæ ei venerunt tristissimæ, super obitu matris  
videlicet, quarum clausulam antequam legisset,  
abiecit, sparsitq̄, rorantibus ora lacrymis. Ego  
me tibi renunciaturum dixi. Vade igitur, & in  
quem es fide & animo singulari, ei mœrorem le-  
ua consolando, fletumq̄, quod potes, absterge.  
Hæc ille. Quod nisi diei extremum fuisset, me  
illico ad te contulisset. Ergo in istuc mane rem  
distuli, mihiq̄; deesse nolui, quin officium præ-  
starem tibi. Ah mi Ameli, quomodo tam dulci, &  
amabili solatio priuatus es? grauius molesteque  
fero casum tuum, vereorque vt tibi id nauare  
possim, cuius gratia ad te appropinquandum puta-  
ui: quando quidem pari tecum ægritudine affi-  
cior. Amor hoc facit, quo te iam inde à prima  
adolescencia complexus sum, & vsque ad tumu-  
lum prosequar, vt nihil acerbum tibi aduersum-  
que possit contingere, quin ego mox sentiam:  
ne dum

nedum tanta calamitas, quantā ex interitu suauissimæ tuæ atque optimæ matris, fœminæque totius ciuitatis præstantissimæ accepisti. A. Heu, heu mater mea, quò abiisti? quis te mihi rapuit? cur me vnicum tuum deseruisti? patrem amisi annis abhinc tredecim, puer admodum, restabas tu solamen meum, perfugium meum. At iam importuna mors, quæ omnia deuorat, te quoque à me ante senectutem abstraxit. Illa aliquando te viduam, me pupillum, nunc quid aliud me reddidit, nisi mortalem infœlicissimum? In me solum redundauit hoc malum, me pessundedit hic casus, me afflixit hæc fortuna, me perdidit hæc infœlicitas. Doleo, quantum in vita nunquam, augefcitque dolor prope in horas, nec eius magnitudinem sustinere, nec finem tamen reperire potero. Omnibus modis miserrimus sū, nec quid agam scio. S. Non mediocrem ex hoc matris tuæ interitu, & casu tuo tam funesto dolorem indispiscor. Veruntamen quoniã hic dolor meus non æquè cum acerbo luctu coniunctus est vt tuus, familiaritatis nostræ, meæque in te beneuolentiæ ratio postulat consolationem tibi adhibere, quæ mœrorem tuum diminuat, si minus (quod nolim) vniuersum tibi possit eximere. Ergo age, Ameli charissime, nitere in aduersum, fac modum questibus istis, & quod dies longa sine dubio allatura est, quæ dolores maximos vetustate tollit, hoc prudentia præripiat. Cur te is perditum lamentis istis atq; lacrymis? A. Si me dolere ac flere non sinas, non tu mihi cruciatum minuas, sed exaggeres. Sinito quæso lugere, & istā consolationem tuam prætermittito. Vbiuis faci-

lius passus sim, quàm istac vna in re leuationem mihi afferri. In aliam ego partem ac tu mente atque animo trahor. S. Siccine ais Ameli? si mulier, non vir esses, haud mirarer te istuc agere, propter naturæ mollitiem, & imbecillitatē animi. Nunc tecum reputa, quàm deforme sit imitari mulieres. A. Durum est matrem non deflere, & talem matrem, cui paucas arbitror extitisse similes. Quàm vereor, ne tu quoque facias intelligendo vt nihil intelligas? S. Flere non prohibeo, sed moderatè vt fleas cupio, non in annos integros, vt facturus videris: & iā satis plorasti, tempus est vt ad animi tranquillitatem lētitiāque te conferas. Cōsidera pro ingenio tuo quanta necessitatis vis sit. Statutum est omnibus semel mori; nec fuit, aut erit quisquā, cui hoc fatale debitū à maioribus contractū non sit persoluumdum. Quid ergo doleamus aut à nobis, aut ab aliis nostri similibus exigi, quod necessariò dandum est? quod retinere non licet? Cur admirerur, si scissum est, quod erat natura scissile, aut liquatum quod liquabile, aut crematū quod vstile? si periit quod erat ita natum vt interire posset? Cur indignemur, si fiat aliquando, quod fit quotidie? quando enim vacamus à morte? In dies morimur: quotidie enim aliqua vitæ pars demitur: & tunc quoque cum crescimus, vita decrescit. Infantiam amisimus, deinde adolescentiam. Vsque ad hesternum quod transiit temporis, periit. Hunc ipsum quem agimus diem cum morte diuidimus. Non emigrasset modò ex hac luce mater tua, aliquando tamen emigrasset, & fortasse post annos paucos: mors enim ita im-

pendet

pendet senibus, vt nec iunioribus parcat. Mistra  
 senum ac iuuenum densantur funera, nullum se-  
 ua caput Proserpina fugit. Inquilini sumus, &  
 natura nobis commorandi diuersorium, non ha-  
 bitandi dedit. Minus ergo grauatim & exire nos,  
 & alios exiisse iã ferre debemus. Quod si etiam  
 citius quã voluissimus (vt mater tua, annis non-  
 dum senilibus) cogitemus: vt sceliciores sunt  
 quos ventus acrior citò in portũ pertulit, quã  
 quos venti segnes, & longa tranquillitas len-  
 tissimo tædio delassarunt: ita fortunatiores esse  
 eos, quos celerior mors à vitæ huius ærumnis  
 calamitatibusque abduxit.

Vita data est vtenda, data est sine scœnore nobis

Mutua, nec certa persolũtenda die.

Quid præterea isti luctus tibi proderunt? pro-  
 derunt autem? immò oberunt quã maximè.  
 Non tu eam à mortuis reuocabis quamuis tre-  
 centis sæculis plores. A. Haud me istuc fugit: vis  
 doloris tamen hæc & alia cogitare me non per-  
 mittit.

Non ego firmus in hoc, non hæc patentia nostro

Ingenio, frangit fortia corda dolor.

S. Adhibenda est vis contra vim, & reprimendus  
 fugandusque dolor. Quod si vnum aliquod re-  
 medium nihil proficit (multa autem sunt) ad  
 aliud currendum est. A. Quæ sunt alia? S. Quod  
 nobis quoque perinde ac tibi matres charæ fue-  
 runt, & huius vsuram lucis reddiderũt. Morien-  
 tur adhuc aliorum matres, quos tamen macerare  
 sese luctu, & in squalore iacere tu nolles. Ergo  
 quod nolles committi ab iis, seu, quod suadere  
 non auderes, cur tu ipse agis? Et cur præcipuè in

eo dolendum tibi putas, quod tam multi senserunt, & adhuc sentient? aut quare præcipuam singularemque fortunam tu tibi postulas, communem recusas? hoc cene sapiētis? A. Heu mater, tu mihi fidelissima fuisti semper, & amasti me ardentissimè. S. Hanc cantilenam plures cantauerunt. Etiam illud ante oculos pone: Deo sciente hoc factū, & ipso eodem intuenente fieri omnia. Si voluisset, an non auertere spiculum mortis à matre tua poterat, neque ad tempus tantum, sed in perpetuum? A. Poterat vtique. S. Quanto igitur satius est eius patrociniò se committere, qui est orphanorum pater? Ille passerem curat, non te negliget. Insuper quæ innumera penè legisti sapientum dicta de contēnenda morte, de breuitate huius vitæ ac miseriis, in mentem reuoca. Si tibi non credis, illis fidem habe. Mea quidem sentētia gauisa est mater tua, quod ante te sibi de vita exire daretur, cui mors tua nimium flebilis & luctuosa cecidisset, æternum ipsi sub pectore vulnus dedisset: nā in terris te vno charius nihil habuit. A. Facilè in tuam opinionem concedo. S. Existimo etiam, qua pietate ac virtute fuit, in beatorum domicilium receptam, gaudiis omnibus affluere & circumfluere: cui tu quodāmodo fœlicitatē inuides, si cupis illā viuere vitā istam ærumnosissimā: id est enim & carere gaudiis cœlestibus, & inuolui malis innumerabilibus. Nec possunt ei placere lacrymæ tuæ, & mœrores isti. Desine, mi Ameli, & quæ mutari non queunt, tolera leniter. Animus æquus optimum ærumnæ condimentum. A. Istis abs te auditis aliquantulum acquiesco, & in ista sermonis tui suauitate luctum

luctum penè omnem etsi non depono, tamen sepono. In metu porrò sum non mediocri, ne mœrorem nihil præter tempus ipsum mihi dematè pectore. Ne, inquam, sola dies hunc mihi dolorem exhaustiat. S. Optimum est prudentia occurrere, & temporis longinquitatem non exspectare. A. Ut potero ita resistam, & te rogo, vt imbecillitati meæ des veniam: homo sum, nec meæ è filice constant præcordia. S. Homo tu es, homo ego sum: videndum tamen, ne quid nimis, & cum nihil acquiramus, non tamen nihil perdamus: tempus quidem certè, & valetudinem, qua tu alioqui tenuissima es. In morbum te ex ægritudine diuturniore ne conicias caue. Vide ne macescas, consenescas ac tabescas, tantumque ossa & pellis fias. Quod enim vermibus ligno, hoc tristitia cordi, quæ ossa quoque exsiccat. A. Vna curatio tantum malum tollere nequit: sæpe me, vt medicus diligens, curatum venias oportet. S. Nullum amantissimi hominis erga te officium prætermisero, nec vllum laborem, si spes sanitatis sit (nam desperatis medicinam adhibere ventant sapientes) recusaro. A. Immò spes est: tanta sunt verborum tuorum pondera. S. Valebis in craftinum. A. Et tu, mi Semproni, vale.

## A N N O T A T I O N E S.

**H**ABEMVS consolationem ad Apollonium de morte filij à Plutarcho, ad Polybium de morte fratris, ad Marciam de morte filij à Seneca: ex quibus virorum doctissimorum, sapientissimorumque libris assumere poterunt studiosi, quæ deesse nobis putauerint. Nostrum enim

institutum est non librum, sed dialogum, eumque non ita longum conscribere. Utinam extaret quoque M. Tullij Consolatio: non pauca nobis ex illa sententia suppeditassent. Quod attinet ad officium consolantium in hoc genere, satis disertè illud explanat Cic. ipse 4. Tuscul. ab illo loco. Hæc igitur officia sunt consolantium. Manut. in argumento epist. 5. lib. 4. qua Seruius Sulpitius Ciceronem de Tullio & filie obitu suauissimè consolatur. Et argumento epist. 16. lib. 5. qua Titium filij interitu mœrentem conatur à dolore auocare. Collegit etiam nonnulla in Oden 28. lib. 1. Lamb. Eodem pertinet Ode 24. eiusdem lib. Qui ad mortem æquo animo subeundam, & ad metum eius depellendum quempiam cohortari voluerit, ei magnoperè plurimis in locis suarum disputationum prodesse poterit Seneca. CONSOLATVM PROPERAS) De verbis festinare & properare quid ex Catone & Verrio Flacco afferat Gellius, vide eius lib. 16. cap. 14. RORANTIBVS ORA LACRYMIS) De lacrymis in morte charorum, cognatorumque apud Senecam epist. XCIX. hæc sunt, quæ nobis præcepti loco erunt. Stultius nihil est, quam famam captare tristitiæ, & lacrymas approbare: quas iudico sapienti viro alias permittas cadere, alias vi sua latis. Dicam quid intersit. Cum primum nos nuncius acerbi funeris perculit, cum tenemus corpus è complexu nostro in ignem transiurum, lacrymas naturalis necessitas exprimit: & spiritus ietn doloris impulsus, quemadmodum totum corpus quatit, ita oculos, quibus adiacentem humorem premit & expellit. Hæ lacrymæ per elisionem cadunt, nolentibus nobis. Aliæ sunt quibus exitum damus, cum memoria eorum, quos amisimus, tractatur: & inest quiddam dulce tristitiæ: cum occurrunt sermones eorum iucundi, conuersatio hilaris, officiosa pietas, tunc oculi velut in gaudio relaxantur.

His

His indulgemus, illis vincimur. Non est itaque quod lacrymas propter circumstantes assidentesque aut contineas, aut exprimas. Nec cessant, nec fluunt unquam tam turpiter, quàm finguntur. Eunt sua sponte. Ire autem possunt placidis atque compositis. Sape salua sapientis autoritate fluxerunt, tanto temperamento, ut illis nec humanitas, nec dignitas deesset. Licet nonnunquam nature obsequi gravitate seruata. **QVOD POTES, ABSTERGE** (Quod potes, valet quoad potes, seu quantum potes: quod Græci ὡς δύνασται, ὅτι πλείον δύνασται, καὶ ὅτι, καὶ ὅσον. **ALIQUANDO TAMEN EMIGRASSET**) Lege initium epist. 70. apud Senecam, in qua vita humana navigationi pulcherrimè comparatur. Quemadmodum in mari, sic in hoc cursu rapidissimi temporis primum pueritiam abscondimus, deinde adolescentiã, deinde quidquid est illud inter iuuenem & senem medium, & que sequuntur. **DE CONTEMNENDA MORTE**) Sit in manibus nostris assidue. 1. Tuscul. qua docemur non tam metuere, quàm optare mortem, certè contemnere. De breuitate vite scripsit ad Paulinum Seneca. De miseris vite humana preclara Plinius proæmio lib. 7. & alij nonnulli in suis libris multa inseruerunt, cum data est occasio descendende huius vite nostre. **SOLA DIES HVNC**) Est enim tarda illa quidem medicina, sed tamen magna, quam affert longinquitas & dies. Tuscul. 3. Consolationum autem multa via; sed illa rectissima: Impetret ratio, quod dies impetratura est. ad Att. lib. 12.



PROGYMNASMA  
NONAGESIMVM.

*Virtutis laus.*

THAVMASIVS, DOXOLOGVS.

**T**HAVMASIVS. Quî fit, vt cû vel auditio-  
ne accipimus, vel ipsimet legimus Alexan-  
dri magni, Themistoclis, Scipionum fortitudi-  
nem militarem, Curionis & Fabricij diuitiarû  
contemptum, M. Attilij Reguli inuictum animi  
robur, & de nostris hominibus Hieronymi in  
vasta solitudine assiduum periculosumque cum  
dæmonibus certamen, Cæciliæ, Catharinæ, Hé-  
rici & Cunegundæ coniugum atque Imperato-  
rum castitatem, alia demum à Græcis, Roma-  
nis, Christianis, aliisque vbicunque terrarum  
populis piè, continenter, iustè, humaniter, be-  
neficè, fortiter, clementer, temperanter, tole-  
ranter, moderatè, sapienter, pudicè, fideliter  
gesta, inculpatèque ab aliquo exactam in terris  
vitam; quî fit, inquam, vt eos homines tanto-  
perè diligamus, admiremur, animo suspicia-  
mus, collaudemus, eorûmque nos similes fieri  
ardenter optemus: cum tamen ipsos aliquando  
nec viderimus, nec vt videremus, sperare po-  
tuerimus: quippe quorum plerique ante nos  
mille, aut duobus annorû millibus & nati sint,  
& occiderint. D. Hæc vis & natura virtutis est:  
qua quidem nihil prouocat æquè homines ad  
se diligendum. Diliguntur, vt nosti, pecuniæ;  
magis tamen diligitur virtus. Honores amātur;  
amplius

amplius amatur virtus. Amabilis pulchritudo; amabilior virtus. Chari sunt affines, cognati, parentes; charior virtus: quādo nihil ea ditius, nihil honoratius, nihil formosius, nihil naturæ nostræ vicinius atque coniunctius. Dati sunt nobis paruuli eius igniculi statim atque homines esse cœpimus, sunt ingeniis nostris semina innata virtutum; sed plurimi prauis cupidinibus capti, peruersisq̄ue opinionibus corrupti & excæcati, celeriter nos restinguunt, nec sinūt beatam à diuina semente prouenire segetem. Meritò itaque nihil etiam eadem dulcius, venerabilius, laudabilius, admirabilius; cui quidquid sub terra & supra terram est gemmarum & thesaurorum nō potest comparari. *Quin* si opes mundi, & bona omnia in libræ alteram lancem imponderentur, tamen virtutis lanx tantum propenderet, vt terram & mare deprimeret. T. Per simile quiddam vel in Tusculanis, vel in nescio quoto lib. de Finibus legisse memini, à Peripatetico philosopho, aut Stoico dictum. Egregia sanè laus illius etiam hæc; quod cum homine non interit, immortalis atque æterna est. Improborum autem vitam mortemque iuxta æstimamus, quoniam de vtraque siletur, ait Crispus Sallustius. Viuunt clari viri, claræque mulieres etiam postquam diē suum extremum viderunt, & viuunt in memoria atque in animis viuentium, quæ est vita scilicet mortuorum. Nec vlla sequens ætas de illorum potest laudibus conticescere; virtutis quippe lumen & maiestatem obstupescunt barbari quoque, & hostes in hoste diligunt. D. Quā multa sunt laude digna?

digna? attamen sine virtute nihil vspiam laudabile: quæ per se ipsa est laudabilis, quàmq; gloria tanquam umbra corpus necessario comitatur. T. Ut mihi suaue dat solatium illud in quadam Verrinarum M. Tullij? Maior est virtutis iucunditas, quàm voluptas quæ percipitur ex libidine & cupiditate. In crucem cum sua gula Apicij. Veniat, & nos amplectatur, nobiscumq; dignetur habitare frugalitas. Discedat procul ebriositas, in eiusque locum sufficiatur sobrietas. Cedat superbia modestiæ, auaritia liberalitati, libido castimoniæ, ira mansuetudini, atrocitas clementiæ. Nulla, nulla est in scelere pura & liquida lætitia: multa potius amarities, perpetui aculei, quibus animi nostri dies atque noctes cruentantur, & confodiuntur. Non est oblectamentum ( aiunt sacre literæ ) super gaudium cordis. Atqui huius gaudij effectrix est & parēs virtus: quæ vt sol oriens totam cœli amplitudinem radiis suis illuminat, sic ipsa mentem humanam postquam est ingressa, totam reddit lucidissimam. D. Ea item honestissimarum voluntatum, æquissimarum sententiarum, probatissimarum actionum mater est, & conciliatrix bonorum omnium. Nam rectè Plautus: omnia ad sunt bona ei, quem penes est virtus. Hic solus dicendus diues, quando nulla inuenitur neque splendidior, neque augustior, neque permanentior, neque immobilior, neque amplior, neque vtilior, neque delectabilior possessio. Qui eius hereditatem adierunt, nihil sibi deesse arbitratur, nulla re indigent, nihil appetunt, nihil requirunt. Iterum dicā: habet omnia, qui virtutē  
ade

adeptus est. Nec parum diu vixit, qui perfectæ virtutis perfecto functus est munere. Qui autē habet vitium, ne seipsum quidem habet. Non enim in sua ipsorum potestate versantur dediti effrænatae licentiæ, & indomitis cupiditatibus. Et quamuis imperitent aliis, ipsi nihilominus vt mancipia turpissimis dominis obsequuntur ac seruiunt. T. Quod de immobilitate constantiæque virtutis aisti, id verbis Tullianis ita explicabimus. Nec eripi, nec furripi, nec naufragio, nec incendio, nec temporum permutatione amitti aut permutari potest. In sæua tempestate quieta est, in tenebris lucet, pulsa loco manet, nulla vi labefactatur, splendet per se semper, nec alienis sordibus vnquam obsolescit. D. Ad damus hoc. Non vt ferrum & marmor, sic etiam virtus vsu conteritur & absimitur. Immo verò quò vtimur ea frequentius, eò crescit magis, magisq; perficitur. Quid verò nos mare exhaurire contendimus? T. Quî dum? D. Cum nullum possit genus orationis reperiri, quod vnus alicuius virtutis dignitatē consequatur: quod erit tantum ingenij flumen, quæ tanta dicendi exercitatio, quæ omnium virtutum simul decus & excellentiam vel adumbret? quanquam igitur multa de virtutis laudibus diximus, nihil tamē de illius nobilitate satis dignū diximus. T. Haud quidquam secus est. In hoc apertissimè diuina se benignitas ostendit, cum animi nostri ita cōponuntur & conformantur, vt compressis perturbationibus, & sedatis motibus turbidis vitam tranquillissimam, & cœlestium vitæ similē in terris degamus. Quin eiusdem beneficio in  
cœlum

cœlum recipiamur: siquidē nihil hominem Deo tam charum efficit vt virtus. Hinc in sanctis libris toties legimus ipsum iis, in quibus magna virtus inerat, obtemperasse quodammodo, & ad eorum sese arbitrium voluntatēq; inflexisse. D. Desinamus plura, cogitemusque, quamuis eiusmodi sit, tamen longā & arduam ad ipsam esse viam: quæ quidem sit aspera primū, deinde plana, mollis & iucunda. Cæterū ne deterreamur, atque ad ipsam virtutem virtute duce, id est, cum labore perseuerantiāque tendamus.

---

 ANNOTATIONES.

**A**TTILII REGVLI ) *Quam crudeli supplicio à Carthaginensibus fuerit interemptus Regulus, narrat Gellius lib. 6. cap. 4. De eius factō disputat in 3. de Offic. & in 2. Paradox. eiusdem inuicti animi constantiam collaudat M. Tullius. NIHIL FORMOSIVS*) *Nihil est enim, mihi crede, virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius. Cicero epist. 14. lib. 14. In quem locum ita Manut. ex forma & pulchritudine oritur amor: ideo amabilius tertio loco posuit. Apparet autem cum dicat; nihil formosius, nihil pulchrius, quiddam esse, quo differant forma & pulchritudo: idque, nisi fallor, tale est. Forma mouet, & ad venerationem quandam animum adducit, decora specie, & apta partium omnium compositione. Pulchritudo allicit, & fruendi cupiditatem gignit. Ex hac distinctione potest aliquid esse formosum, nec tamen pulchrum: & aliquid pulchrum, nec tamen formosum. Itaque formosus senex, proprie dicetur: pulcher non iuuenis: & contra pulchra oratio, vestis, domus, non formosa. Cōfundit*  
*inter*

interdum Cicero, ut nihil à pulchritudine differre forma videatur. QVID QVID SVB TERRA) Platonì tribuit hanc sententiam Plutarch. lib. de vtilitate ex inimicis capienda. Uniuersum aurum quod vel super terram est, vel sub terra, non est equiparabile virtuti. Similia sunt quæ habet in 3. de finib. Cicero. Vt obscuratur & offunditur luce solis lumen lucernæ, & ut interit magnitudine maris Egæi stilla muria, & c. sic alia res bonæ splendore & magnitudine virtutis obruitur. IN NESCIÒ QVOTO) In 5. de finib. Est autem illa libra Critolai Peripatetici. HOSTES IN HOSTE DILIGVNT) Vt Porfena in Mutio. Liuius lib. 2. & Annibal in Marcello. Quem cum insidiis circumuentum interfectumque cognouisset, corpus eius eximie ornatum & cultum honorifice cremauit. Reliquias in argenteam conditas urnam iniecta corona aurea remisit ad filiũ. Plutarch. in Marcello. CVM SVA GVLA) Voraces, ventrique addictos enumerat Elian. lib. 1. cap. 27. Vide etiam cap. 3. lib. 1. apud Athen. de claris gulonibus. Appellati sunt hi diuersis vocabulis. Mandones, comedones, edones, phagones. Vide Victor. lib. 16. cap. 9. OBTEMPERASSE QVODAM MODO) Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, est in sacris literis. Exempla autem sunt Moses, Dauid, Elias, Daniel & post legem à Christo datam hominibus quamplurimi.

FIDES

FIDES, ET PIETAS  
CATHOLICORVM.

PROGYMNASMA  
NONAGESIMVMPRIMVM.

*Catechismus.*

*HIPPOLYTUS, VITALIS.*

**H**IPPOLYTUS. Lætus sum. V. Quamobrem? H. Quia didici. V. Quid didicisti? H. Catechismum. V. Totumne, & ad verbum? H. Totum, ad verbum. V. Quî tam breui spatio libellum paginarum adeo non paucarum? H. Diligentia quid non vincit? eam mihi subsidio cõparavi. V. Atqui nec ego segniter ad hoc ipsum incubui, tamen vix dimidiatum comprehendi: itaque animi valde discrucior. H. Fortassis memoria non perinde vales. V. Hæc causa est, uti coniiicio. Quando reddemus ex memoria? H. Perendie ante meridiem, ita iussit Præceptor nobis renuntiari. V. Interea discam plurima. H. Non me superabis. V. Quid ita verò? H. Quia post finem quò ego perueni, restat nihil. V. Intelligisne totum? H. Immò etiam. V. Reliquum est, si & memoria tenes, & probè intelligis, uti secundum eius doctrinam viuas. H. Viuam Deo iuuantè. Et tu, quamuis non teneas, nihilominus decem præcepta custodire debes, & alia quæ ibi mandantur, quæ ad duo capita rediguntur: declinare à malo, & facere bonum. V. Scio nobis  
Catholi

Catholicis temperandum à vitiis & criminibus, studendumque virtutibus, & fidem sine operibus esse mortuam. H. Incitauit me quoque permultum genitor, qui, si scirem perfectè, non vile præmium mihi se daturum appromisit. V. Quod? H. Pallium nouum panni optimi. V. Satis honestum magnumque præmium. H. Quid tu exspectas? V. Præter laudatiunculam à Præceptore nihil, si sciuerò: præter verbera similiter nihil, si ignorauerò. H. Vtraque merces sua mercede condigna est. Sed vis te audiam prius, quàm in gymnasio recites? V. Admodum. H. Vbi? V. Domi meæ. H. Quo tempore? V. Cras post meridiem, cum scilicet à studiis erit otium. H. Accedam igitur ad te? V. Accede.

---

 ANNOTATIONES.
 

---

**Q**uemadmodum nec in Philosophia, nec in Rhetorica, nec in Mathematicis artibus, nec in Iurisperuentia parui ducuntur institutiones, & elementa ipsa, & progymnasmata doctrinæ: sic neque Christianæ eruditionis & discipline principia parui sunt facienda: quinimo tanto magis amplectenda, quanto eorum scientia est fructuosior. Illa enim ad gloriam, aut ad questum, aut ad finem aliquem humanum, ista ad diuinum cœlestemque conferunt. Et quoniam aduersary inuicemque hostes nostri heretici adeo sunt vigilantes & assidui in excolenda dogmatis perniciosissimis pueritia, cur nos salutem puerorum filiorumque nostrorum indormiendum putemus?



PROGYMNASMA  
NONAGESIMVMSECVNDVM.

*Sacra conciones.*

*ARSENIVS, REMIGIVS.*

**A** RSENIVS. Vndenam de improviso sese offert Remigius, & quod gressum dirigit? A. Ex æderecã venio, domũ ire propero. A. Quid prohibet, quin eam tecum? R. Si libitum est, ito, vt prandeamus vnà: iam enim habita concione, confectis que sacris prandium haud longè abest, & stomachus exinanitus turbas dare incipit. A. Audistine igitur concionem? R. Verò. A. Usque ad finem? R. Satin' sanus es, qui me id rogitas? Nunquam mihi mos fuit, vt quibusdam, sub extremum, aut medium aduenire: à principio adsum, & vbi postrema verba Ecclesiastes effatus est: **QVOD NOBIS CONCEDAT DEVS PATER**, nosti cætera, non me repente domum capesso, exspecto aliquantum, positus in terra genibus, dum vsitatam precationem, generalemque, vt appellant, confessionem recitauerit. A. Benè tu quidem & piè, sine controuersia. At interdum nescit modum tenere, nimium dicendo prouehitur: interdum, vt adulta hyeme, vel nolentem me asperitas frigoris è templo expellit. R. Frigus animi vel media æstate multos exire ante finem cogit, & quantumuis breues conciones facit videri quàm longissimas. Meo iudicio, vt bona oratio, seu bonus liber hoc melior, quo longior, sic bona concio. A. An tu  
singulis

singulis concionibus interesse morem habes? R. Singulis, nisi me aliqua commotiuncula, opúlue necessarium impediat. A. Quid ais? R. Sic est res. Atque hoc si tu minus, equidem miror. A. Ad hoc diligentia non processi. Tamen domi spirituales quempiam libellum, aut Chryso-stomi, Augustini, aliorúmve Patrum homilias lego per id tempus. R. Non æquè lectis, vt auditis afficimur. Ipsa vox, vultus, gestus, & totius corporis venusta moderatio rebus momentum & pondus addunt, atque ad motus animorum miscendos proficere solent maximopere. A. De concionatore nostro quid dicis? R. Quid ego dicam? Esse virum probum, huic officio peridoneum, populo pergratum & salutarem. A. De probitate quod narras, tibi libens assentior: constanti enim fama vulgatum est, ipsum extra culpam viuere, nec verbis solum, sed etiam exemplo docere, qui est modus docendi, ita viuam, optimus. Cætera velim demonstras: nam ex tuo sermone me commodorum quippiam excepturum spero. R. Primùm in ipsa persona hominis quanta dignitas? vultus grauis, non tetricus, capillus promissus & albus, corporis statura infra proceritatem, neque tamen breuis, vt pumilionum. Num hæc auditorem conciliant? A. Credo. R. Vox canora, grauis, & firma: sermo purus, dilucidus, limatus, festiuus, copiosus: actio varia, & sententiis respondens. plena animi, plena spiritus. Ardet ipse, vt alios incendat: opus Euangelistæ facit, partesque doctoris Ecclesiastici cumulatè implet, si quis alius. A. Quas tu concionatoris partes arbitrare? R. Diuina mysteria

populo interpretari, fidem Catholicam declarare, pestiferos magistros refutare, superstitiones, & vitiosas morum consuetudines radicibus extirpare, ad vitæ integritatem & sanctimoniam audientes instituere. Hæc autem omnia fient, quo regnum Dei amplificetur, diaboli imperium dissipetur, funditusque euertatur. A. Vnam mihi dubitationem euelle, si potes. R. Propone. A. Quo pacto se ponere potest in gratiam apud populum, vt tu confirmas, cum toties mala facinorosa tam acerbè infectetur? ebrietatem, ludos infames, res Veneris, commestationes, & alia, in quibus volutari innumeros, & à quibus ægrè abstineri palam est, ille nunquam non acculat: ieiunia, preces, virginatatem, iniuriarum patientiam, quæ naturæ humanæ ingrata, odiosa & iniucunda sunt, semper crepat. R. Inter malos, Arseni, fermè aliqui reperiuntur non mali, aut non æquè mali, qui omnino, aut saltem aliquousque Deo placere enituntur. Deinde, quoniam sacris Christianis imbuti sumus, etiam quæ facere nolumus, nihilominus & vera esse credimus, & libenter audimus. Quæ autem peccata, præsertim ex animi quadam effœminata mollietate consciscimus, ea ipsa nequaquam in laudandis numeramus. Video meliora probòque, deteriora sequor, ait Medea apud Ouidium. A. Rectissimè. R. Huc accedit, quod Ecclesiastes noster non cum supercilio, & vt Pharisæus aliquis, ceteros hominum despiciens, sed mansuetè, cum significatione amoris, & obsecrâdo magis quàm increpando à sceleribus nos auocare, & ad veræ sanctitatis cultum atque studium allicere conatur.

tur. Quare crebrius audiui gemitus, vidi tundentes pectora, aspexi lacrymas concionis, quæ sunt præclari concionatoris certa testimonia: & tales illi, non alij plausus acclamationesque optandæ sunt. Tum enim profectò, **BELLISSIME, tum: NON POTVIT MELIVS, & similia** (quæ oratoribus Romanis à corona Quiritum claris vocibus acclamabantur) dicere apud se quemque fas est. A. Iam dudum exoritur mihi opinio, te concionatorem fieri destinasse, quando tam disertè personam eius nosti describere. A. Scopum feris, destinaui. Etenim, si honorificum putamus in oratorum cooptari ordinem, & ciuilis eloquentiæ laudes tam sunt eximiæ, tam copiosæ, cur non eque, seu non magis etiam honorificum ducimus concionatorem, id est, Christianum ac cœlestem oratorem fieri, consecrarique diuinam quandam eloquentiam, cuius magister non tam M. Tullius, quàm Spiritus sanctus meritò statuatur? A. Quod fœlix faustumque sit, Diui te omnes adiuuent. R. Atque ideo Rhetoricæ me dedo vehementius: quando non mediocres eam afferre cōmoditates (vt etiam alia non sacra studia sacris literis mirabiliter profunt) ex aliis didici, & ipsemet experiundo cognosco. A. In posterum frequentius auscultatum ibo, auscultabòque diligentius, & studebo fidelius retinere, quæ disseruerit. Iuabit eodem, quod distinctè & ordinatè dicit. Repetam quoque capita concionis vel tecum, vel cum alio, in quem amicum incidero. Memini intra paternos lares cum degerem, quomodo me parentes antequam accumberem facere compel-

lebant. R. Quid illud? A. Si nihil retinuissem, cibum deducebant. Si multa, præmiolis diligentiam remunerabantur. Hoc si parentes sibi hodie imitandum fumerent, liberos suos tam indulgenter ac dissolutè non haberent. R. Prò nefas, nec ipsi auditum eunt, nec quantum illi in disciplina Christiana progrediatur, vlla sollicitudine curæue tanguntur. A. Agam vt pollicitus, & meipso meliorem me reddam, Deo propitio: id quod vnum concionator à nobis efflagitat. Nam quod nonnulli apud cerdones, fullones, & ignobile ac rude vulgus philosophantur, demiror, cur templum in gymnasium conuertant. R. Mòs vituperatione dignus. Nonne irridendos existimas, qui crebris prouerbiis, & fabelis, verborumq, lenociniis, & disteriis plebem demalecent, ac sæpius Ciceronem, Horatium, Platonem adducunt, quàm Isaiam, Matthæum, Paulum, & huius notæ alios? A. Ostentatores videntur mihi, & logodædali. Videntur inquam mihi fumum venditantes aucupari rumusculos, & inanem captare gloriolam, *πρὸς χάριμ λέγοντες*: eorum nempe oratorum per similes, de quibus Demosthenes tam sæpe conqueritur. R. Prorsus ita res est, vt dixisti.

---

#### A N N O T A T I O N E S.

**F** RIGVS ANIMI VEL MEDIA) Quod Seneca scribit de quibusdam philosophiæ auditoribus epistola CVIII. hoc transferamus licet ad multos, qui concionatores audiunt. Nō nouimus quosdam, qui multis apud philosophum annis per se derint, & ne colorem quidē duxerint? Quid ni nouerim? Pertinacissimo quidem,

dem, & assiduos: quos ego nō discipulos philosophorum, sed inquilinos voco. Quidam veniunt ut audiant, non ut discant: sicut in theatrum voluptatis causa ad delectandas aures, oratione, vel voce, vel fabulis ducuntur. Magnam hanc auditorum partem videbis, cui philosophi schola otij diuersorium sit. Non id agunt, ut aliqua illic vitia deponant, ut aliquam legem vita accipiant, ad quam mores suos eligant, sed ut oblectamento aurium perfruantur. **V T P V M I L I O N V M**) Pumliones Latine, Græcè nanos dici vult Gellius lib. 19. cap. 13. quem lege. **S E M P E R C R E P A T**) Crepare per translationem est assidue de re aliqua loqui, semperque eam in ore habere. Horat. epist. 2. lib. 1. salcos & vineta crepat mera. ad Pison. Aut immunda crepent ignominiosaque dicta. **C R E B R I V S A V D I V I G E M I T V S**) Superior annotatio scripta est in auditores rerum diuinarum curiosos & otiosos: hæc in ipsos concionatores scribetur, qui exemplo cuiusdam Serapionis apud Senecam epist. 40. pro oratione grauitatis, auctoritatis, maiestatis ac sanctimonia plena, comptam, calamistratam, papauere & sesamo sparsam, & ex mellitis verborum globulis contextam afferunt: ita ut ad eos non tanquam ad vitæ magistros, sed tanquam comædos, aut histriones eatur. Stant illic, & cum frontem bis terue confricuerunt, barbâque permulserunt, hiante, & mirificum aliquid ac θεοπείσιον expectante plebe, laxant habenas lingue, & similiter cadentia, &c. Lege cetera apud Muretum in notis ad eandem epistolam: quibus illud columen Humanitatis, virque optimis suum animum Christiana pietatis plenissimum satis superque aperuit.

PROGYMNASMA  
NONAGESIMVM TERTIVM.

*Missa sacrificium & instrumentum  
sacrum.*

*MACARIVS, SEBASTIANVS,  
VICTORINVS.*

**M**ACARIVS. Cum tua peruideas oculis malè lippus  
inunctis,  
Cur in amicorum vitiiis tam cernis acutum,  
Quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius?

S. Eho, in me istos versus, de satyra (si ritè recor-  
dor) an in Victorinum? M. In te. S. In me? M.  
Dixi. S. Haud equidem auspiciatò huc me attuli.  
Quid hic sibi vult? M. Quid vult? Te admonere,  
vt antè trabem de oculo tuo, quàm festucam de  
alieno. S. Videlicet hoc insinuas. Quoniam paul-  
lò antè culpas tibi quasdà exprobrauerim: quod  
ad rem diuinam tardius nonnunquam accede-  
res: quod sacris aliquando nòdum absolutis fur-  
tim te proriperes: quod susurrationibus vicinos  
impleres, haud prudèter, nec humaniter me egif-  
se, vtpote qui plura offenderim. M. Bene augura-  
re, & testè laudo Victorinū, quàm tu interea dum  
sacra fiūt, egregius sis, & spectatu dignus. V. Te-  
stimoniū mihi Macarius denūtiat, vt audis, testi-  
monium in te dicam. S. Res de còpacto geritur,  
& in caput meum insidiæ componuntur, in me  
isthæc fabula cuditur. Hoccine placet? M. Tu vt  
te in fontem culpaque vacuum haberi postu-  
les? S. Remotior sum ab erratis, quàm vterque  
vestrūm.

veſtrũm. V. Tun' iſtuc tanta confidentia? S. Ve-  
 rum eſt, veritas liberè proloquenda eſt. V. Cõ-  
 memorabimus igitur honoris tui cauſſa, quas  
 virtutes tuas, morũque elegantias tempore  
 ſacrorum obſeruauerimus. S. Vos, quod & quan-  
 tum libuerit commemorare, nihil interdico:  
 ego deinde credam quę voluero. M. Centum te-  
 ſtibus te coarguã, ſi negaueris. S. Titiuillitium,  
 ſcarabæi vmbra. Me ſolere in tẽplis aut ſacel-  
 lis aſſe ad ſacrificium feſtis ac non feſtis die-  
 bus pro certo noui. V. Id non damus vitio, lau-  
 di potius. S. Hoc etiam certo certius eſt, me ad-  
 eſſe corpore ad omnem modeſtiam religionẽ-  
 que composito, nec, vt vos, circumſpicere. M.  
 Hoc ſecus eſt, habes caput verſatile, & curioſè  
 oculos huc illuc iactas. S. Semel, ſi fortè, in heb-  
 domade. V. Semel? in vna miſſa vicies. S. Prõ ſu-  
 peri, quid eſt mentiti, ſi hoc non eſt? M. Amabo,  
 nunc hoc quoque inficiabere, te incubare ſedi-  
 libus, & vnum dãtaxat genua flectere; quales Iu-  
 dæi Chriſtum per ludibrium adorantes pingun-  
 tur? hoc vtique refugerẽs, ſi tot Angelorum my-  
 riadas præſentes aſtare facienti cogitares. S. Si  
 quando in durum & frigidum lapidem inci-  
 do, cum puluillo & chirothecis, quas ſubiiciam  
 more veſtro, caream, tum cogor mutare genua;  
 præſertim vbi ſacrum eſt longum. V. Quid lon-  
 gum? Poſt recitatum Euãgelium flectuntur pri-  
 mũ genua. S. At manemus nixi genibus, donec  
 ſacerdos ad populum conuerſus, ſublata manu  
 figuram crucis expreſſerit, benèque precatus eũ  
 dimiſerit. M. Eſt vnũs horæ quarta pars totum  
 illud interuallum. S. Quando canitur muſicè,



est vnus horæ propemodum. M. Cur non pudet? fœminæ hoc factitant. S. Viri tamen, quos me imitari honestius est, hoc non factitant. Fœminarum mores nihil moror. V. Ut inuitus in genua procumbit iste? M. Quæ sunt tuæ preces? S. Rosarium, quas tu nuperrimè, nescio quo auctore fretus, sphaerulas precatorias appellabas; tam bellam Latinitatem stupefescite Nizolio. M. Tu, si displicet, ne vtare: interim exhibe rosariũ. S. Nolo. V. Nullũ habet; quid tu caluum velis? S. Mecum non tuli, domi reliqui. An ego tãquam monachus de cingulo suspensum circumferrem? V. Non hoc iubeo, sed vt alij, in sacculo sub tunica gestares. S. E libello quoque precationibus operam dare conceditur, aut meditari quippiam de Passione Domini. M. Nũc aliquid dicis. Eia, de Passione. Veruntamen insolenter ac rarò in manibus tuis libellum animaduerto. Virgilium quidem ab hinc triduum versabas, ac fortassis cum Poëta Musam, aut Æolum cum Junone orabas. V. Aspexi cum Æsopi fabellas legeret. S. Hoc demum est aspectu vagari, & foris oculatum, domi cæcum esse, ad alium cogere medicos, ipsum scatere vlceribus. M. Casu fit, vt quis interdum circumspiciat, aliorũque ineptias intueatur. S. Num aliud est, quo me accuses? V. Est. S. Quid ergo est? V. Cũ nomẽ Iesu aut Mariæ pronunciatũ, nõ inclinas genu, nisi rarissimè. M. Hoc verè rusticanum, non vrbani est. S. Falsum est. V. Non falsum est, sed rusticanum est. S. At ego dico illum & te falsum eloqui. An verò credis nihil notasse me, quod tibi iustè exprobrem? V. Mihin? S. Ita. V. Mihine? S. Tibi ergo

ergo. V. Profer si audes. S. Per dies proximè elap-  
 sos quis sacerdoti sacris operanti ministravit?  
 V. Ego. S. Tenes artem? V. Melius quàm tu &  
 Macarius. M. Caue sis, ne cum dixeris malè, pe-  
 ius audias. V. Quod res est, affirmo. Nā tu nescis  
 nolam, seu tintinabulum pulsare, cum hostia sa-  
 lutaris sublimè tollitur; & ille cereos non didi-  
 cit emungere. S. Sed heus, quando tu hesternò  
 die in simpulo, seu ampulla aquam pro vino  
 porrexisti, lectāque epistola AMEN respondisti,  
 quis lapsus fuit? linguæ an memoriæ? V. Nō re-  
 cordor huius solæcis mi. M. Tam citò oblitus? at  
 illud puto, nō effluxit, quod cum sacrosanctam  
 hostiam supra verticem attollere sacerdos para-  
 ret, tu facem non accenderis. Aspergillum præ-  
 terea, seu lustricum aspersorium incommodè  
 præbes, aquiminium cum lustrali aqua malè su-  
 stines. Creabimus te æditum, si vis: magis enim  
 idoneus esse nemo potest, claret hoc. V. Irritavi  
 crabrones. Quo in ludo eruditi estis vos? M. Ma-  
 gister nos aptè instituendos curavit: quid quæ-  
 ris? V. Si quod pretium dedistis, facite vt resti-  
 tuatur, siquidem imperitè videmini instituti. S.  
 Mittamus hāc litem, & pro se quisque det ope-  
 ram sacra peragentibus scitè, ciuilemq; in modū  
 inferuire; quæque in audienda missa obseruāda  
 sunt, obseruet in posterum diligentius. Potēsne  
 nobis enumerare, Victorine, quæ sacerdoti ad  
 liturgiam opus sunt? V. Facillimè. M. Arrigi-  
 mus aures. V. Vos fortasse aliquid à me vultis di-  
 scere. S. Non, sed te docere, vbi hæsitaueris: nos  
 quippe ista pridem scimus. V. Vt vt sit, non me  
 pigebit documentum dare sedulitatis meæ: tamē  
 ea con

ea conditione, vt quæ petiuero, vos etiam red-  
 datis mihi memoriter. M. Habebis id. V. Hoc in-  
 super oro, vt Ciceronem, Liuium, & alios Lati-  
 nitatis architectos ab istis liminibus tanquam  
 profanos arceatis: hoc est, ne me cogatis ex eo-  
 rum arculis omnia sumere. Nam vbi res aliqua  
 non fuit, quo pacto eius nomen extare potuit?  
 Similitudo quædam rerum veterum ac nouarū  
 & in hoc, & in aliis permultis generibus efficit,  
 vt non pauca Latinis vocibus afficere possimus.  
 S. *Quin* dic modo. V. Epomidem lineam appel-  
 lo, quod superhumeralè vulgus Clericorum.  
 Sequitur alba, & subauditur vestis. Hæc est illa  
 lintea, & prælonga ac laciniosa tunica, manicis  
 laxissimis, quam sacrificaturus induit, illiúsque  
 vestis gerit imaginem, qua Christum Herodes  
 cõtumeliose, vt fatuum, operuit. Cingulum fla-  
 gella significat. Manipulus, id est, fascia illa in  
 sinistro brachio, funes, quibus ad columnam est  
 alligatus. Stola laqueos collo eius iniectos, cum  
 ab vno iudice ad alium raptaretur. Casula, pur-  
 puram, quam milites eidem in prætorio circũ-  
 dederunt: quod vestimentum cruce à tergo ferè  
 insignitur. Ea quid moneat, nimis est manifestũ.  
 S. Cogitandum subiicit sanctam illam ligneam-  
 que crucem, in qua tribus clauis affixa mundi sa-  
 lus pependit. Tu hæc mysteria in commentario  
 aliquo legisti? V. Et legi, & explicationes istas  
 audiui à Magistro puerulus, cum rudimenta fi-  
 dei nobis interpretaretur. Locus vbi se vestiunt,  
 sacerdotes, & sacra supellex reponitur, à qui-  
 busdam vestiarium, communiore voce sacra-  
 rium nominatur. Etiam dici poterunt templi  
 pene

penetralia, & adyta. Sacristiã qui nominat, nulla necessitate loquitur barbarè. M. Procede ad reliqua. V. Opus est item calice, opus patena (sic enim maluerunt, cum tamen sit patina, & rectè, quia ipsa hostia sanctissima cibus est, & cibus dicitur: Caro mea verè est cibus) Calici quadratum, sed duratum, & linteum tegumẽ imponitur, pallam vocant. Ad eum præterea & os extergendum adest quasi sudariolum, quod purificatorium dicunt. Operitur calix velo serico byssino, aut alioqui non abiectò. Expanditur item super aram corporale, linteum filo subtilissimo, quo admonemur illius mûdæ sindonis, quo corpus Domini exanime inuolutum scribitur. Id in theca reponitur. Longus sim nimium, si singula declarem quid velint. S. Non requirimus. V. Adhuc opus est hostia, è similagine seu triticea farina, opus est aqua, vino, libro missarũ, cui missale nomen fecerunt. Ille quosq; Pontificalia, & Agendas vocant, Romano vocabulo rituales libri nominabuntur, vt omnes sacræ carimonix, ritus. Vasculum, vnde populo Eucharistia promittitur: ciboriũ, à genere poculi capacissimo, cui simile est. Id aurea plerumque, seu bombycina pallula, siue chlamydula contegitur. Quid amplius à me desideratis? S. Præstitisti quod voluimus, & placuisti. V. Dictu Sebastiane ex pactis & cõuētis de ara, seu altari. S. In altari, cui palla prætenditur, artificio quodam plerumq; elaborata, sunt cædelabra stannea, lignea, alabastrina, ænea, argentea, inaurata, quibus infiguntur ceteri flauis, candidi. Itẽ imagines, signa, statux, icones, sigillaria, simulacra (quanquã hoc verbi, vt  
scul

sculptile, sacrae Scripturae, & Ecclesiastici doctores ad gentium idola semper transferunt: uti etiam fanum & delubrum potius de Ethnicis, quam de Christianis templis ut usurpentur, mos vetus obtinuit.) Est autem à simulando ductum, quod simulet, & imitetur veritatem corporum. M. Quid volunt sigillaria? S. Imagunculæ, statuaeque cubitales aut palmares sunt, fusili opere ex metallo, seu tométo & serico compositæ. Suppedaneum quod statuarum pedibus subiectum est, & basis ipsa. Tegitur item ara velis tribus. Qui autem pannus lineus in medio, unius cubiti & semis latus, duorum longus, interdum extēditur, substratorium à substernēdo dicitur, Ad hæc in altaribus Sanctorum ossa, cineres, quæq; nomine reliquiarum intelliguntur, in thecis & vasculis proponi solent. Flores etiã in ampullis testaceis, cupreis, & argēteis, ad ornatū. Nihil me arbitror prætermisisse. M. Quid à me? V. Cætera quæ ad sacerdotē pertinent. M. Liber sacerdotis, unde preces horarias facit, appellatur breuariū: ducta voce à Iurecōsultis, apud quos breuariae rationes dicuntur, in breuiarium, hoc est in epitomen & compendium contractæ; ac proinde breuiarium est epitome. Et quid hic aliud est, nisi sacrorum bibliorum quædam epitome? Utitur hac voce Suetonius in Augusto, pro summario, siue compendio. Fecit & breuiarium, inquit, totius imperij, quantum militum sub signis ubiq; esset, quantum pecuniæ in erario & fisco, & vectigalium residuis. Item Plin. lib. 18. Verum ut pariter omnis culturae breuariū peragatur. Linteus ille amictus & candidus, seu

seu amiculum album rugosum siue striatū, ineptè superpelliceum appellatur; nullæ sunt ibi pelles. Sacerdotes eo indutos quidam candidatos, albatos & linteatos nuncupauerunt. Deinde sacerdotes quidam sunt Curiones ( barbaris Curati ) siue Parochi; templum & cœtus hominum ipsorum auctoritati subiectus parochia, seu parœchia. Ordines Clericorum, per quos ad sacerdotium ascenditur sunt Ostiariorum, Exorcistarum, Lectorum, Acoluthorum Hypodiakonorum, Diaconorum. Sacerdotis est sacra facere, thus adolere. Arcula in qua thura seruātur acerra; vas vnde fit odorata suffitio, thuribulum nomen habet. Est item officij eius Eucharistiam distribuere, confessiones excipere, moribundos sacro oleo perungere, baptismo seu sacro fonte infantes aspergere, matrimonio nubentes coniungere. Initiatio, seu sacrorum ordinum collatio, chrismatis vnctio Episcopi ac Suffragançi est, quem iniciatorem licebit appelletis. Nihil restat. S. Omnes doctè.

## ANNOTATIONES.

**M**ISSÆ SACRIFICIUM ) *Facere, legere, & celebrare Missam, celebrare absolute, ut cū dicunt quidam: ego nondum celebraui, quis celebrauit? tanquam illunies quadam sermonis fugienda sunt studiosi Romani candoris. Dicemus igitur ( ut vnū in locū coaceruentur omnia, quorum nonnulla per hoc progymnasma sparsimus ) rem sacram, rem diuinam peragere, facere. Linius dixit, sacra perpetrare. Sacrificium, sacra facere, sacrificare, sacris, diuine rei dare operam, sacris operari; & operari simpliciter sine casu. Itē facere,*

cere, sine casu: huius enim verbi ea vis est, ut tam separatum, quam iunctum sepius ad sacra pertineat. Cicero pro Murana. Inno Sospita, qui omnes Coss. facere necesse est. Ad Brutum ep. 15. Qui hunc honorem mulieri Laurentia tribuerunt, cuius vos Pontifices ad aram in Velabro facere soletis. Ad Att. lib. 1. Cum pro populo fieret. Virgil. eclog. 3. Cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito. Adiunxit ablatiuum. Graci, δρᾶν, & πέξαι eodem modo. CVM TVA PERVIDEAS) Peruidere hic non est perspicere, sed parum videre, & cecutire, τῶρα βλέπει. Reliqua Nanius li. 3. TITIVILLITIVM, SCARABÆI VMBRÆ) Veteres hanc vocem, tanquam interiectionem ad summum quendam contemptum indicandum adhibebant, perinde ut Graci, τῖπολλὸ, Galli, vn festu. Ad rem preterea nullius momenti significandam. Scarabeo autē quid despicabilius? quam obrem quis umbram eius magnificiat? Eandem planē vim habent hæc duo cū illis, pili non facio, nauci non facio flocci non facio, huius non facio. FACIIE VT RESTITVATVR) Sic Cic. 2. Philipp. Iam inuideo magistro tuo, qui te tanta mercede, quam iam proferam, nihil sapere docuit. Parū est non docere sapere, præ ut est docere nihil sapere. Quamobrē quis discipulus à tali magistro non duplici iure mercedem repetat? VT CICERONEM, LIVIVM) Ex Tertulliano quoque, Arnobio, Hieronymo, Augustino, Ambrosio, Apuleio, Cassiodoro, Martiano, Sidonio multa se reperiturum putat Muretus lib. 15. cap. 1. quibus suo loco positis oratio vberior fiat, & ornator. Nec eorum esse imitandā stultitiā, qui vsque eò antiquitatis studiosi sūt, ut voces quoque Christiana religionis proprias resugiant, & in earum locum alias substituunt, quarum nonnullæ etiam impietatem olent: qui non fidem, sed persuasionem: non Sacramen-

tum corporis Dominici, sed sanctificum crustulum, non excommunicare, sed diris deuouere: non angelos, sed genios: non baptizare, sed abluere dicunt. Hæc viri optimi & eruditissimi reprehensio in eos valet, qui Christianas voces omnes & semper repudiant: quasi piaculum commissuri, si eas aliquando in oratione ponant. Nam quin interdum venuste, sacro fonte abluere, pro illo Græco, baptizare: & pro corpore Dominica, cælestes epula: & pro excommunicare, anathemate percellere, ferire, iugulare, piorum communionem interdicerem aliisue modis religiosi doctique & eloquentes viri dixerint, & nos eorum exemplo dicere possimus, nunquam neque negauerit, neque vetuerit Muretus, aut ne si Muretus. SACRARIVM NOMINATVR) Seruius in illud Virgil. 12. Aeneid. duri sacraria Ditis, & Isidorus volunt sacrarium esse non ipsum locum sacrum: sed in quo res sacre deponuntur. Suetonius autem in Aug. cap. 5. pro sacello videtur cepisse, ut aliquoties. Cicero pro Milone. Ante ipsum sacrarium Bonæ Deæ. Et. 1. Catill. Aquilam illam argentæam, cui sacrarium scelerum tuorum domi tuæ constitutum est. SACROSANCTA EVCCHARISTIA) Quid proprie sit sanctum, & sacrosanctum, disertè explicat Bud. in Pandect. Nos propter egestatē linguæ & rerum nouitatē sæpe cogimur verba mutua sumere, & minus prisce loqui. CIBORIVM A GENERE POCVLI) Vfus est Horatius pro capaci poculo lib. 2. Ode 7. Vnde autē ad pocula trāsata sit hæc vox, Iunius li. 1. cap. 10. IMAGINES, SIMVLACRA) Simulacrum & imago sunt idem, ab effigie quiddam differunt. Idem esse indicat id quod sequitur infra: qui neque pictam, neque fictam imaginem suam passus est esse. Nam simulacra iam vocauerat Cicero, pictam ab Apelle, fictam à Lysippo imaginem Alexandri. Sunt igitur simulacra



*Et imaginis, qua pinguntur, & qua finguntur: effigies autem, contra Valla sententiam, est, qua fingitur, non qua pingitur: quod ipsum nomen arguit. Plura Manut. in epist. quam ipse Cicero ep. 6. lib. 4. ad Att. valde bellam vocavit, duodecimam nempe lib. 5. Coram me tecum.*

PROGYMNASMA  
NONAGESIMVM QVARTVM.

*Piacularis confessio.*

*SYMMACHVS, VALERIVS.*

**S**YMMACHVS. Præter solitum iam per dies Saliquot, in attentissima quadam cura defixum te, ac nescio quid tanquam super Aristotelis enrelechia, aut Platonicis numeris meditantem, interdum altos gemitus cientem, & pectus pugno bis terque continenter plangentem observo: nec quæ causa sit dispicere queo. Si quid mala tibi obiectum est manu, si quis te casus afflixit, quod vereor, *μη χεῖθε νόω, ἵνα εἰδομεν ἄμφο.* Perinde id ego dolenter feram atque tu. Nihil enim potest mihi abs te, seiunctum esse, à quo omnia summa in te studia, officiaque expectare debes. Amicus sum: amicis secunda & aduersa sunt cõmunia. V. Agnosco & recognosco quantum adhuc in me voluntatem contuleris. Cæterum nulla in me fortuna grauior incurfauit: quamobrem nihil est cur sollicitere. S. Quid ergo est? V. Nihil est. S. Qui hoc nihil est? Per amicitiam & per amorem obsecro, ne occultum ha-  
beas:

beas : non effluet, ne istuc time. V. Fiat, geratur mos tibi. Totius anteaetæ vitæ noxas, ab vltima pueritia ducto initio in memoriam mihi met redigo, eas in libellum confero, vt sacerdoti exponam : qui me deinde arctissimis vinculis, in quæ me opte nutu, heu miser, me indui, leuatum dimittat. Nunc demum clarè intelligo, quid suspiria, quid perpetuum penè silentium sibi voluerint. Nam quod tu opus efficiendum suscepisti, mente omni alia cogitatione soluta, & cum silentio efficiendum est. Præterea religiosus animus sine acri doloris morsu sua piacula nunquam recolit. V. Probè, & ex tribus pœnitentiæ partibus prima & potissima est, quæ contritio apud Theologos. O si commissa me cruciarent impensius, ita exploratior veniæ spes nasceretur. S. Quem ordinem, quam viam in delictis tuis recognoscendis sequeris? V. Perdifficile est, cum tam multa, tam diuersa, tam longo repetita principio recordari velis, id commodè præstare, nisi aliquem indicem inspicias, qui te moneat, in quo cōscientiam excutere, & vbi in temetipsum debeas inquirere. Est igitur mihi liber per commodus, quo peccata in certos ordines dispertiuntur, doceturque quibus modis & rationibus in Deum, quibus in seipsum, quibus in alium committi possit : idque dictis, cogitatis, & factis. Eum vbi videris, probabis: exhiberem si esset sub manu. S. Emam continuè, quantumlibet carum, si in taberna libraria inuenero. V. Ecquid tu aliquando istam generalem exomologesin obiisti? S. Et quidem cum admirabili fructu animi placatissimi: postquam videlicet

domum meam vna opera totā perpurgavi, omnesque inde sordes abradi atque abituli. V. Quis tibi confitenti aures dedit? S. Presbyter senectute reuerenda, egregiè pius, & vt ferebatur doctissimus iuxta ac prudentissimus: is me ignorantem erudiebat, suauis consolatione mœstum permulcebat, & quo pacto à vitiis flagitiisque cauere edocebat. V. Egredere medicum, morbum sanauit, & antidota præscripsit. S. Sic agere par est eos, qui animarum nostrarum medici nominantur. V. Aliàs quoties per annū expiaris? S. Quinque. V. Nimirum. S. Ad Pascha, hebdomade scilicet maiore (quo tempore Catholici omnes Ecclesiæ iussu id faciūt) ad Pentecosten: ad diem quo assumptæ in cœlum Mariæ virginis anniuersaria gratulatio celebratur: ad Kalend. Nouembres, qui dies omnibus cœlitibus dicatus est. Postremò ad ferias natales Iesu Christi Seruatoris nostri. Veruntamen cogito posthac in singulos menses accusare me apud presbyterū: quod vt possim plenius ac sincerius, sub noctem quotidie cogitationes, sermones & actiones meas quàm diligentissimè discutio. Quæ errata reperio, in palimpsestū inscribo. Mirum dictu, quàm salubris medicina sit contra peccandi assiduitatem crebra accurataque confessio. V. Ostende. S. Qui fieri potest, vt aliquem sapius iisdem se commaculare piaculis delectet, quæ frequenter, ac proinde etiam maiore cum rubore pudoreque apud virum grauem, suæ conscientie iudicem ac moderatorem enūtiat? Item, quoniam detestamur & odimus peccata, cum ea confessuri sumus (alioqui confessio inanis ac nulla sit)

qui

qui crebrò ea sacerdoti aperit, eorum execrandorum consuetudinem adipiscitur. Quæ autem execrari solemus, ea vix aliquando perpetrare audemus. Ipsa insuper Dei gratia (munus in primis optabile & amplectendum, quo ille hominem per sacramentorum vsurpationem dignatur) vires ministrat ad contemnendas repellendasque omnium scelerum labes: stabilior que & placidior semper animi pax & spes in Deo collocata absterret nos à pravis actibus, quos molestissimæ perturbationes, stimuli & agridines comitantur, quibus mens diu noctuque compungitur, dilaceratur & exeditur, vndeque amplius timetur Deus vt truculentissimus iudex, quàm diligitur vt mitissimus pater. Nec verò qui rarissime consistuntur, & agrè semel toto anno, tam videntur expetere cœli gaudia, quàm fugere inferorum tormenta: quod illiberale, parumque Christianum est. V. Te auspiciem sequar, & ob has aliasque causas, quas me audire & legere memini, sarcinulas meas apud confessarium sapius deponam. Nam vacuum per iter ingredi quàm cum onere, multò est commodius, multoque iucundius. S. Censeo.

---

 ANNOTATIONES.

**S**UPER ARISTOTELIS ENTELECHIA)  
*Σὺπερ ἐλεχίας* (sic i. Tuscul. continuatam motionem & perennem interpretatus est, & sic Aristotelem appellasse ipsum animum dixit. In quo reprehensus est primum ab Argyropylo, deinde à Budeo & aliis. Defensus autè à Politiano lib. Miscell. cap. i. MALA OBJECTVM  
 MANV) Illi mali quippiam mala manu obiicitur, cuius

mentem veneficiis excantat. Siquidem in veneficiis non tantum est carmini locus, sed etiam manuum, id est, iis, quae fiunt manus opera: ut cum adhibentur herbae, medicamenta, mala venena, etiam quaedam interdum vincula. Virgil. 7. Aeneid. Spargere qui somnos cœlique manusq; solebat. Turneb. lib. 4. cap. 15. ACRI DOLORIS MORSV) Tristes animi morsus vocat Marcial. lib. 12. quos vulgus conscientia stimulos. Tibull. lib. 3. Nec cor sollicitani facta nefanda meum. Cic. 1. de finib. Stulti malorum memoria torquentur: sapientes bona prae terita grata recordatione renouata delectant. Surda verbera vocat Iuuenalis. Notanda sententia Isocratis ad Demonicum. Μὲν εἰς τὸν αἰσχροῦ ποίησας, ἐλπίζε λίσσασθαι, καὶ γὰρ, ἀπὸ τῆς ἀλλοῦ λάθης, σφαιρῶς συνειδύσθαι. Si quid unquam turpe admisieris: ne sperato fore clam. Nam ut alios id celes, at tibi ipse eris conscius. Hinc & Ausonius. Turpe quid ausurus, te sine teste time. Et illud tritū: Conscientia mille testes. IN PALIMPSESTVM) Graeca vox, Latine charta seu membrana deletitia, in qua videlicet deleta priore scriptura reponitur alia noua. Vtitur Cic. ad Trebat. lib. 7. epist. 18. & Catull. epig. 19. ad Varum.

PROGYMNASMA  
NONAGESIMVMQVINTVM.

Sacratissima Eucharistia.

CANDIDVS, PATRICIVS.

CANDIDVS. Quandoquidem hac luce à cœlesti conuiuatore cœlestibus atque immortalibus epulis inter alios complures, viros, feminas, adolescentes, pueros, pauperos, diuites,  
ad

ad aram honorificentissimè accepti sumus, agendum de hoc tam nobili conuiuio sermonem intituamus: hoc quippe maiori nobis emolumento futurum est, quam vicissim ludicras historias, & aniles fabulas memorare. P. Decentissimè hoc abs te argumenti ad colloquendum proponitur. Nam sicut qui functi epulis recedunt, ipsum imprimis epuli dominum ab humanitate, liberalitate, magnificentiaq; cōmendant, & ciborum delicatissimorum, vinorumq; varietatē ac præstantiam dilaudant: ita nos conuenit hunc generosissimum potam, hanc diuinam escam immensis prædicare laudibus: quam non homo aliquis, non Princeps, non Rex, non Imperator pretio ingenti cōquisitam apposuit: sed Deus ille omnium opifex: nec uti quondam in desertis locis populo Israëlitico māna, sed semetipsum quantum quantum est, corpus & sanguinem, animam ac diuinitatem suam vescendam cœlitus largitus est. C. Quo studio, quibus laboribus, quo impendio hoc ferculum, has cupedias quærere debuerunt, qui in medio mari linguas plittacorum esitabant? P. O effusionem, ô luxum: haud enim dixero, ô voluptatem, qui existimem vitulorum aut agnorum, aut saltem perdicum linguas ad gustatum perinde suaues esse, ut illius peregrinæ volucris. C. Ignorabant fatui legitimum pecuniarum vsum. Ideo sæpè illas in res parui, aut nullius momenti vel superbia tumefacti, vel libidine exagitati, sine causa, sine modo luxuriosissimè profundebant. O ter & amplius fœlices Christianos, quos ipsorum solus verusque Deus in tam excelsum honoris & am-

plitudinis culmen extulit. Sit tot mundos ædificasset, & vnūquemque nostrū vnus mūdi rectorem possessorēque constituisset, quid hoc fuisset comparatione eiusdē sacratissimi numinis? Aut quot millenis mundorum myriadibus ille nō est excellentior? Attamen beatiores illi, qui mente pura, & casto corpore has epulas in-eunt, & non aliter, quā principem potentissimum hospitio accepturi, domiciliū suum exor-nant, parietes aulæis, id est, virtutibus conue-  
stiunt. P. An non illos quoque beatos numeras, qui non rarò huic diuinæ mensę accumbunt? C. Beatissimos: fieri siquidem nulla ratione potest, quò tam admirabilis hospes, tantusq; Rex sæpe diuertit, quin ibidem plurima & expressa dulcedinis ac beneficentiæ suæ vestigia relinquat. P. Cur ergo tam multi à frequētanda synaxi refu-giunt? C. Nonnulli id ex magna quadam animi summissione modestiāq;, & supremæ illius ma-iestatis reuerentia faciunt, seque tam inexpli-cabili beneficio indignissimos ex animo arbi-trātur; neq; secus de se, quā de pānosīs & esu-rientibus mendiculis cogitant, quibus satis be-nignè fit, si frustulū cibarij panis ante fores ex-spectantibus ac rogitantibus detur, cœnitare cum Regibus, etiā inuitati (quando autē inui-tarentur?) nequaquā volēt. Atque hi quidē lau-dandi amanīdque sunt, cū semetipsos eousque despiciunt ac deprimunt. Verūm proposito in-gēti Eucharistiæ fructu & vtilitate, ad crebri-orē eius vsum adducendi atque excitandi essent. Quidā ob timorem hac frequentatione absti-nent, vide obsecro qualē: ne salutem dicere suis  
cupidita

eupiditatibus, ne ad mores vitamque continētem se dare cogantur. Hoccine Christianū? hoc-cine Catholicum? P. Nec hominis quidem, ut homo est, nolle scilicet probiorem fieri; sed ad voluptates inhonestas tanquā ad Sirenum scopulos adhærescere, ac lutum reputare rosas. C Ipsa magnitudo multitudōque commodorum, quæ cū hisce dapibus tribuuntur, excitare torpentes animos ad crebriorem earundem vsum deberet. Hinc enim ceu leones quidam contra diabolū fortes ac robusti efficimur. Cum aduersis fortunæ flatibus iactamur, hinc solatium: cum rebus turbidis quocunq̄ in genere vexamur fatigamurque, hinc tolerantiam acquirimus, ne infracti abiectique concidamus. Quis verō explicet illam intelligentiæ lucem, illud fidei, spei, charitatis virtutūque omnium incrementum, illum fœlicissimum animi statum, quem iteratus identidem iste passus nobis conciliat? Quod si indignè manducanti graue supplicium est cōstitutum, æquū est vicissim, dignè manducanti singulare præmium esse decretum, vitam in cœlo perennem. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Non te latet, cuius ex ore hæc profecta sit oratio. P. O incōprehensam bonitatem, ô nimis effusum amorem domini mei erga me seruulum suum, longè vilissimum. Quis pastorum aliquādo ouibus sanguinem suum bibendum dare cogitauit? etiam multæ matres cum pepererunt, proles suas non ipsæ de fontibus lactis sui, quibus ad nutrimenta nascentis turgentibus mam-



mis foecundum pectus exuberat, vt Lactantius ait libro de opificio Dei, alere atque educare dignantur, sed aliis mulieribus eas nutriendas committunt. At Dei filius, suo ipsius corpore, suo pretioso sanguine omnes nos, & vnumquēque vel in singulos dies pascere paratus est. Quam longo interuallo matrum alioqui ardentissimam charitatem superauit? prō quam pudicos oportet esse oculos, qui hunc panem de caelo descendentem, & vitam mundo impertientem aspiciunt? quam innocuas manus, qui eūdem contrectant? quam purum os, per quod ingreditur? quam sanctum pectus in quo recipitur? C. Catholici nos tantis bonis fruamur, dum è sterquilinio effossi homines litigant dicentes: quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Illi interpretationes verborum Christi nouas, inauditasque prouadant, quibus comminiscendis tempus, edendis chartæ, emendis pecuniæ, legendis credendisque animæ perdūtur. P. Occinamus licet illud Christi: finite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. Piè autem & sapienter etiam hoc Ecclesia sanxit, vt diuinissima hostia auro & gemmis inclusa, quotānis per vias & regiones vrbs à sacerdote portaretur sub umbella, habereturque illi honor qui posset amplissimus. Nempe videmus templas, domos, compita ornari virentibus arboribus, spargi flores, sterni gramina; intendi sertis parietes. Præcedunt psallentium puerorum & sacerdotum chori, à tergo populus ac principes ciuitatum faculas gestantes consequuntur, tubarum clangores audiuntur, tormenta bellica

tonitruorum fragores amulancia exploduntur, quibus rebus dominum laudare iussit, & ipse laudauit propheta magnus Rex Dauid. C. Hunc triumphum contemplari malo equidem, quàm Romanum aliquè Cæsaris aut Pompeij. Est verò mihi in more carmina in S. Eucharistiam conde-  
 re in annos singulos. Seruo collecta in serinio, vt cùm perpoliuero, publicum accipiant, quod me amici hortantur. P. Idem ego te hortor; que-  
 so ne premas diutius: nam tua vena, quod com-  
 peri, probatur multis. Dic porrò, cū toties scri-  
 bas, vnūne semper argumentum persequeris?  
 C. Minimè. P. Quæ igitur? C. Aliquando egi de  
 præsentia Christi; aliàs de præparatione ad su-  
 mendam synaxin; aliàs de dignitate huius Sa-  
 cramenti; aliquando de fructibus sacræ com-  
 munionis. Etiam ad eandem quàm creberrimè  
 repetendam cohortatus sum. Exaggeraui item  
 Dei munificentiam, & precatiunculas quasdam  
 sapphiceis iâbiceisque dimetris cõtexui. Recens  
 PANGE LINGVA hymnum paraphrasticôs  
 explicari hexametris. Quid multis moror? pe-  
 lagus est, tantum suppeditat materiæ. P. Et quia  
 pelagus, maturè littus legamus, ne in altum lō-  
 gius prouecti, redire in portum non queamus.  
 Crede autem mihi, mi Candide, ex tua oratio-  
 ne haud vulgarem voluptatem me percepisse.  
 C. Et ego ex tua nihilo minorem, mi Patrici: id  
 tibi persuadeas velim.

---

 ANNOTATIONES.

SACRATISSIMA EUCCHARISTIA ) In  
 Scriptis antiquorum Patrū videbis Eucharistiam  
 panem

panem Dei, panem cœlestē, mysteriū, corpus Christi appellatam. Et quoniam Saluator apud Ioannem dixit: Panis quē ego dabo caro mea est, pro sæculi vita, Punicī Christiani sacramentum corporis Christi nihil aliud quā vitā vocabant. Testis Augustinus contra Pelag. LINGVAS PSITTACORVM) Heliogabali hic luxus fuit, de quo Lamprydus, & Crinit. lib. 23. cap. 2. Nunquam minus centum sesteriis cœnauit, hoc est, triginta argenti libris. Nonnunquam tribus millibus cœnatus est, sexcentorum struthionum capita multis in cœnis exhibuit, ut conuiuia cerebellis illorum vesceretur. Plura Iouian. Pontan. lib. de Cōnientia, statim à principio. Lege cap 13. Sueton. in Vitellio. PERDICVM LINGVAS) De perdice multi hoc literis prodiderūt: cā alterius perdicis oua solere furari, eaque excludere. Pullos autem veram matrem postea consecrari, mentitā deserere. Tales sunt, qui metunt quod non seminauerunt: tollunt quod nō posuerunt. LVXVRIOSISSIME PROFVNDEBANT. ) Vis exempla? en accipe. Septuagies quinquies centenīs millibus dalerorū suenerant Hephestionem Alexāder. Plutarch. in Alexādro. Septuaginta millibus dalerorū Medeam & Alacem Timomachi emit Cæsar. Plinius lib. 7. cap. 38. Idem centum octoginta septem millibus dalerorum, & quingentis Seruilia margaritam mercatus est. Quingentis quinquagies cetera aureorum millia prodiga Neronis donatione effusa sunt. Tacitus lib. 17. NAM TVA VENA) Ingenium faciendo carmini idoneum, ingenium Pœticū, vim ingenij natiuam ad versus condendos sic sepe appellamus, à metallis aut fōribus ducta metaphora, quorum alie vena latiores, alie angustiores sunt. Hinc arida, pauper, diues, beata, felix, benigna vena. Horat. ode 18. lib. 2. & epist. ad Pisones.

PROGYMNASMA  
NONAGESIMVMSEXTVM.

*Ieiunia.*

PASCHASIVS, ALPHONSVS,  
HONORATVS.

PASCHASIVS. Vtrum *παρά τὸ πάσχειν*, id est, à patiendo, an à Pascha ( quæ vox à pharse Hebræo deflexa proditur, trāsītumque declarat, & tempus insuper maximis, gaudióque effertissimis opimitatibus refertissimum, ac prorsus aureum, quo memoria triūphi illius omnium post homines natos iustissimi splendidissimi que per orbem vniuersum recolitur ac celebratur ) ab vtro, inquam, horum nomen mihi dictum sit, haud pro certo affirmem. Hoc verò cineralium ieiuniorum tempore, quo inedia macieque suprema confectus sum propemodum, vti videtis, volo me à *πάσχειν* appellatum Paschasium: quandoquidem multa & dira patior: quo pacto res nomini suo, & nomen rei quadrabit. Simul esuriales istæ feriæ præterierint, ( quæ vtinam postremum iam venissent ) tum verò à paschalibus mensis Paschasium, seu Paschalem me cognominabit. A. Huic, Honorate, haleca, salsamenta, fabæ, pisa, lupini, cicera, lentes, polenta, ficus aridæ, iuglandes, ptisanæ, aliæque huiusmodi sacrorum dierum propria obsonia vilescere iam ac sordere cœperunt. Animus eius in bobus ac vitulis totus est. H. Fortiter reliquum Quadragesimæ

gesimæ perferamus Paschali, & de ieiunationibus omnia præclara sentiamus. P. Septuaginta propemodum dies per annum cibo nos priuate cogimur: an hoc parum est? A. Quî tam ad vnguem cognouisti hunc numerum? P. Fasti hoc loquuntur, fastos consulite, fastis credo. H. Reuera putavi dies esse pauciores: & tibi quoque tam multi non videbuntur, si non repugnanter feceris, vt ventri bellum indicas, & cœna careas. P. Philippum & Iacobum Apostolos laudo, qui sua causa inedia macerari neminem voluerunt. H. Per dies plus octoginta ieiuniis corpus affligunt monachi. P. Per me quidē cuius ieiunare licet bis quotidie, si velit; & vt nescio quod genus animantis, aère pro cibo vti. Quàm rugiat venter meus euidenter experior. A. Scin' tu qui ieiunia oderint? si fortè ad castra ipsorum deficere cogitares. P. Quæ tu mihi castra? non obtusa adeo gestamus pectora, non ita deliramus, vt hominum qui de consilio, de ratione, de mente exierunt perfidiosissimum institutum approbemus.

Et mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,

Aur pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbas.

H. Quid ergo sic loqueris, vt si cupias vltra Tannaim relegari ieiunia? P. Obsecro, cur ista ex te audio? equidem certè cupio & volo ieiunare, nec imperium Ecclesiæ aspernor: sed in me tamē famē dominari, & esurie me prope enectū quin dicam, hoc saltem non vetabitis. Amplificatione tanta nihil est opus, necdum adipem funditus perdidisti. P. Si potestas fieret, inspectantibus vobis ederem ac biberem, & ambabus expletis

pletis malis vorarem, quo me à famis tyrannide  
absoluerem. Quid autem nouum ac singulare,  
nos, qui animo & corpore constamus, de corpo-  
re alendo sollicitos esse? atqui ego nōdum ter-  
tium & vicesimum ætatis annum attingo : non  
multum abiit temporis, cū inter cœnitantes  
stipendia facere desij, in hac militia tyro sum. A.  
Turpe tamen existimo, tam sanctum & virtutis  
plenum opus necessitate potius compulsū,  
quā voluntate libera inductū exequi. P. Quī  
possim alacriter? H. Etsi tu ipse id non ignoras,  
dicam tamen. P. Audio. H. Si dignitatem vtilita-  
tēque ieiunij perpenderit. P. Disserte pauca  
de vtroque, si libet. Quamuis enim quædam me  
non fugiant, nihilominus ex ore vestro eadem,  
& alia accipere delectabit. Nec aliquando hoc  
officium apud me intermoriturum putetis. A. Ie-  
iunauit Christus Dei Filius, cuius actiones om-  
nes in maxima laude ponūtur. Ieiunarunt Apo-  
stoli, de quibus Propheta; Constitues eos prin-  
cipes super omnem terram. Quid deinde in am-  
borum testamentorum libris toties prædicatur,  
quoties ieiunium? Quid autē virtute pulchrius,  
quid speciosius? P. Per bene, & quā breuissimè  
de dignitate disseruisti. Restat vt de vtilitatibus  
aliquid afferatur. A. Hæ sunt tuæ partes Hono-  
rate. M. Poteras hoc quoq; largiri Paschasio. Ve-  
rū ne videar laborem defugere, & quia non  
tibi tantummodò Paschasi, sed nobis quoque  
ista dicuntur, incipiam. Vix quisquam verbis  
expresserit, ad coercendas animi cupiditates,  
comprimendāque flagitia quāto perē conducat  
ieiunium. Qui sitit & esurit, haud facillè libidi-  
nibus

nibus se in seruitutem tradet. Aberit ab eo somnolentia, aberit sensuum & mentis hebetudo, quam cibus & potio frequēs atque nimia creāt. Difficile autem est in vtroque seruare modum. Cumque propter necessitatem, ad vires scilicet reficiendas, ad cibum potionemque capiendam accedamus, sæpe propter solam voluptatē ultra fines naturæ progredimur, & propter eandem ægrè desistimus. Res magnæ a Deo per ieiunium sunt impetratæ, cui merces ampla est cōstituta. Etiam ipsis conuiciis ieiunium dat gratiam, inquit D. Ambrosius. Dulciores post famē epulæ fiunt, quæ assiduitate fastidio sunt, & diuturna continuatione vilescant. Condimentum cibi ieiunium est. Quanto auidior appetentia, tãto esca iucundior. Etiamne audire vis, quæ illusterrimus ille Catholicæ fidei propugnator Athanasius scribat? P. Certè audiam. H. Ieiuniū morbos sanat, destillationes exsiccat, dæmones fugat, prauas cogitationes repellit, mētem clariorem reddit, cor mundum efficit, corpus sanctificat, denique ad thronum Dei hominem sistit. Ieiunium angelorum cibus est; & qui eo utitur, ordinis angelici censendus est. Plura possē, aut intelligenti pauca sufficiunt. P. Vestræ humanitati ago gratias, quæ & me ad perferendam inedia animosiorē effecit.

---

 ANNOTATIONES.

**Q**UÆ VOX A PHASE) Existimarunt quidam, & in his Nazianzenus, Græcam esse vocē pascha, deriuatam παρὰ τὸ πάσχειν, à patiēdo, significarēque tempus quo mortem passus est Seruator. Sed falluntur, est

est enim origine Hebraea, à transeundo, significans scilicet festum, quo Iudei memoriam eius diei celebrabant, quo duce Moysè mare rubrum transierunt. Sen in memoriam noctis illius, qua angelus Domini in Aegyptiorum familiis primigenia quaeque peremerat, prateritis Iudeorum domiciliis. Hinc sibi Christiani ad suum mysterium declarandum eandem vocem vsurpandam censuerunt. NESCIO QVOD GENVS ANIMANTIS) (Chamaleon, de quo Plinius lib. 8. cap. 33. in hunc modum. Ipse celsus, hianti semper ore, solus animalium nec cibo nec potu alitur, nec alio quam aëris alimento: & coloris natura mutabilior: mutat namque eum subinde, & oculis, & cauda, & toto corpore, reddiq; semper quemcunque proximè attingit, prater rubrum candidumq;. Lege prouerb. Chamaleonte mutabilior. Veruntamen Brodaus Miscell. lib. 6. cap. 21. diuersum sentit à Plinio, quod ad partem eius attinet, cuius verba recitabimus. Linguam sesquipalmum longam habens, eam in inserta, quibus maximè vescitur exerit ac vibrat: eiusque mucore scarabaeos, locustas, formicas, muscas ad se adducit. Multos tamen menses famem tolerare cuncti fatemur.

---

P R O G Y M N A S M A  
NONAGESIMVMSEPTIMVM.

*Religiosi, seu vita monastica.*

INNOCENTIYS, RICHARDVS.

INNOCENTIYS. Improvisum planè, & inexpectatum, ac lugubre tibi accidet, mi Richarde, de quo te celare diutius non fert tua in me



incredibilis beneuolentia, meâq; item in te singularis. R. Percellunt me istæ voces, & timore cumulant mentem meam. Quid rei est? I. Cum primùm crassina cælo Puniceis inuecta rotis aurora rubebit, separabimur. R. Quid? separabimur? I. Ita inquam, amplius simul non viuemus, nec tu me posthac visurus. R. O verbum omni felle amarius. Tanquam spiculo transfixisti cor meum. Nos seiungemur? Irrupta copula nostra dirumpetur? quomodo tandem mi Innocenti? I. Quia discedam ab te. R. Esto, sed reuersurus. I. Neutiquam. R. Quò discedes? I. Extra mundum. R. Aufer iocum. In illud infinitum inane fortassis, quod philosophos quosdam extra cælum somniasse didici à philosophis. I. Non abibo extra hunc mundum, qui ex elementis & orbibus celestibus coagmentatus est: in quo sunt beati, & homines, & animantes. R. Estne alius mundus? nisi fortè Democriti mundos intelligis, quem Firmianus Lactantius Epicuro stultitiæ hæreditatem reliquisse scribit. Ille quidem ex indiuiduorum, & inseparabilium corpusculorum, quos atomos Græci vocant, fortuita concursione mundos infinitos fabricabatur. I. Extra illum mundum, quo de Saluator sæpe, & Apostoli, & sancti viri. Mundus gaudebit, vos autem contristabimini. Et mundus eum non cognouit. Filioli, nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt. Quid autem est aliud in mundo, quàm, vt idem ait, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ? R. Iam perspicio quò abiturus sis. In religiosorum aliquod domicilium te includere vis, & eorum instituta pro

ta profiteri, aut fortassis etiam omnino capite  
raso cucullum induere. I. Stat sentētia. R. Quam  
ob rem istuc? I. Roga Benedictum, Franciscum,  
Dominicum. Interroga tot religiosorum mil-  
lia, quare propinquos, amicos, omniāque vitæ  
huius blandimenta deseruerint, despexerint,  
conculcarint. Nimirum vt pericula plurima &  
grauissima effugerent, & Christo, quem medul-  
litus amabant, expeditius perfectiūsque serui-  
rent, cumulatioremq; in cœlo fœlicitatem adi-  
piscerentur. Hic est thesaurus in agro abscondi-  
tus, quem qui inuenerit, vendat vniuersa quæ  
habet, etiamsi regna habet, & emat illum. Crede  
mihi, Richarde, aut nulli, aut religiosi viri gu-  
stant & vident, quoniam suavis est dominus: cui  
adhærent, & cum eo spiritus vnus efficiuntur.  
Illi vitam ducunt maculatum puriorem, quàm  
qui sæculi fluctibus adhuc inuoluuntur, nec ad  
istum beatissimū & securissimū portum appulsi  
sunt. Vbi inter tot tamque manifestas peccandi  
occasiones difficillimū est non fieri malum; quan-  
to difficilius euadere insigniter bonum? Si in de-  
licta quandoque inciderint (quis enim non pec-  
cat?) ea sunt leuia, & propter consuetudinem re-  
ctè factorum citò ex iis sese emergūt. Cumq; ip-  
sorum studium sit meditari in lege domini die  
ac nocte, & libros sacros ac pios lectitare per-  
petuò, peccandi vias, & insidias diaboli non  
possunt ignorare. Itaque ea cauent magis, nec  
se irretiri ab eo sinunt. Cœlestibus porro solatiis  
quoties putamus eos suauissimè perfrui? quæ  
omnibus corporum deliciis, & quibuscunque  
mundi voluptatibus infinitis partibus præstant

Iam cum moriendum est, illis omnis mora longa videtur, dum, quem tamdiu totis medullis desiderarunt, quem ipsorum animæ dies atque noctes sitierunt, egressi è luteis istis tabernaculis aspiciant. Qualia verò præmia ipsos accipere existimamus? quantis remunerandos gaudiis, qui sese etiam concessis voluptatibus propter Christum priuauerunt? qui Deo multis annis seruerunt cum omni humilitate, in ieiuniis multis, in precib<sup>9</sup> assiduis, in vigiliis plurimis, in afflictionibus corporum. R. Cum soleres arcana tua mihi committere, mirari nequeo fatis, cur hoc vnum tacueris. I. Sciebam tibi sermonem atque nuntium istum peracerbū fore, ideo tibi cruciarum parare nolui. R. Pars de corpore meo auelli videtur tuo discessu. Nullum hominem æquè ardenti studio, vt te, complexus sum. Quin de annis meis ad tuos libenter addiderim, si possim, propter multas ingenij tui suauitates, & propter singulares tuas eximiâsq; virtutes, quas nouo isto, & omnibus laudibus efferendo vitæ genere exaggerabis atque concludes. Quid parentes? I. Etsi grauatè, quia vnicus, tamè obtestationibus expugnati, Deo me concesserunt: sperantes sibi eundè ob hoc veluti holocaustum beneuolum atque propitium fore. R. Quî poteris, mi charissime Innocenti, tolerare inedia, cilicia, flagella, peruigilationes nocturnas, & impetus diaboli? Quî poteris in teipsum tã durus ac seuerus existere? tã acriter tibimet imperare, adolescens prognatus genere summo, summis diuitiis, corpore haud firmissimo? Nunquid non hæc tibi aliquem in pectus metum iniiciunt? I. Sequor  
confi

consilium sapientis: accessurus ad seruitutē Dei,  
sto in timore, & præparavi ac præparo animam  
meam ad tētionem. Spero etiam vehementer,  
Deum mihi suppetias laturum, perfecturūque  
in me opus bonū quod cæpit, & cum tentatione  
facturum esse prouentum, vt possim sustinere.  
Permultum quoque addunt animi exempla tot  
millium, qui hac via cælum petierūt, cum ad fi-  
nem perseuerassent, nec virorum modo, sed mu-  
lierum quoque. R. Haud aliter afficior, quam si  
parentem ante oculos emori viderem. Vt angor?  
vt affligor desiderio tui? heu heu, lacrymæ profu-  
liunt. I. Ne opplora. Si nihil aliud, dies leniet at-  
que molliet ægritudinē tuam. Quin mecū Chri-  
sto militatum vadis? R. Militatū? Ah, nimis alic-  
nus sum ab hoc spiritu: istis ego flāmis nondum  
calesco, nedū vt ardeam. Præterea parentes mei  
tuis pietate multum cedunt. Si vel minimam si-  
gnificationem darem vitæ istius amplectendæ,  
necem credo sibiipsis afferrent. I. Deus tibi vo-  
luntatem eandem mecum largiri, & parentes  
tuos flectere atque emollire potest. R. Potest. I.  
En libros meos tibi dono omnes, & hunc pu-  
gionem, istum ensē, hanc, qua curas meas so-  
labar, testudinem: cætera domum portanda cu-  
rabis. R. Obruis me donis immerentem. Deus  
te in suam tutelam recipiat amantissime Inno-  
centi. Ne fueris immemor mei in tuis precatio-  
nibus. Hoc te vehemēter etiam atque etiam ro-  
gatum volo. I. Ne istuc roges, faciam vt tui me-  
minerim. R. Illaquæ mandasti curabuntur fide-  
liter. I. Cōplectamur mutuūm. R. Vale & salue.

## ANNOTATIONES.

**I**RRUPTA COPULA) Horat. lib. 1. ode 13.

Felices ter & amplius

Quos irrupta tenet copula: nec malis

Diuisus querimoniis

Suprema citius soluet amor die.

Quorum concordia animorumque coniunctio sola morte dirimetur. Sic autem irruptam copulam dixit, quomodo Homerus Iliad. 15. δεισὺν ἀγῆστον, vinculum irruptum, indissolubile. Et est apud Cicronem cum de amicitia loquitur, creber usus verbi huius, vinculum. **MVN-DOS INFINITOS**) Hoc cum audisset Alexander, ingemuit, quod desperaret se illos sub potestatem redaturum, qui necdum unum perfectè domuisset. Tanta huic Regi innata erat imperij cupiditas. Eundem Democritum vocat Lactant. fabrum atomorum, assertorem voluptatis. De Epicuro autem. In quem vanitas omnis de Leucippi fonte profluxit. Leucippus enim magister fuit Democriti, & Epicurus huic perpauca adiecit, ut in 1. de finib. affirmat Cicero, & est in physicis totus alienus. Item illa. Turpissima voluptatis assertor, voluptarius, delirus, quo sano & vigente nullus ager ineptius deliravit. **SESE EMERGUNT**) Verbum emergere actiuam aliquando significationem obtinet. Terent. And. Dehinc facile ex illis sese emersurum malis. Cic. de Arusp. resp. Iam ista serpens quantum hic delitescit, tam se emergit, & fertur illuc. Est etiam in usu deponens emergor. Cic. pro Sextio. Hominem emersum subito ex diuturnis lustrorum tenebris. **NUNTIVM ISTVM**) Nuntius non cum solum, qui nunciat, sed rem quoque que nunciatur significat, utroque numero, quod plurimis scriptorum locis probari potest. Nuntium autem

neutro

neuro genere adiectiuum est, etiam numero multitudinis. DE ANNIS MEIS AD TVOS) Inter omnia loquendi genera, quibus veteres mirificam quandam vim amoris in aliquem sui exprimebant, illud mihi excellere videtur, quo significabāt, cupere se, si quo modo id fieri posset, annos sibi ad viuendum constitutos conferre ac contribuere cum eo quem diligerent. Hæc & plura Muret. cap. 1. lib. 9. CILICIA) A Cilicibus inuenta vestes dicuntur, quæ cilicia vel ob id appellari solent, quibus veteres in castris & nauibus, sed maiores nostri ad affligendum corpus utebantur.

## PROGYMNASMA

NONAGESIMVM OCTAVVM.

*Templorum constructio, & ornatus.*

*IUSTVS, ALBERTVS, Ludimagistri.*

**I**VS TVS. Euoluere superiorib<sup>9</sup> diebus aggressus eram illud, quo nullum Latio clarius extat opus, diuinam dico, omniumque gentium linguis celebratam Æneidem. Cum autem legendo primo libro ad locum peruenissem, quo pater ille Romanæ poëseos, & Latinorum poëtarum Apollo, de Didone Carthaginensium regina hunc in modum canit.

Hic templum Iunoni ingens Sidonia Dido  
Condebat, donis opulentum ac numine Diuæ:  
Ærea cui gradibus surgebant limina, nexæque  
Ære trabes, foribus cardo stridebat ahenis.

egomet cōtinuò mecum: hem, isti mortales idololatriæ teterrima caligine mersi, superstition-

numque tenebris altissimis obfessi ac sepulti, diis deabusque suis commentitiis, seu demonibus potius, sumptu & magnificentia incredibile, operosa & immania templa exedificabant, ubi eosdem stans sacris ceremoniisque venerarentur: cur minus Christianorum populus, alumnus veritatis, & beatæ illius, ac magnæ civitatis hæres institutus, vero unquam Deo suo templa passim condant, cum ipsi gratissimum esse sacrorum voluminum testetur auctoritas, & nos idem doceat regum sapientissimus Salomon, cuius templum cui non fando auditum est? A. Maiores nostri, mortales religiosissimi, Principes item, Reges & Imperatores Catholici, ut multas passim ædes sacras construxerunt quam splendidissime, ornamentisque preciosissimis affatim locupletarunt? plenæ sunt historiae, plena exemplorum antiquitas: ut probationes in medium afferre nihil sit aliud, quam laborem capessere non necessarium. Ea nostro hoc ævo calamitosissimo plurimis in locis hominum amentia & scelere perditissimorum furor aut demolitus est, ut parietina tantum extent, aut ad profanos usus accommodavit, ablatiis donariis, anathematis, vasis, vestibulis: statuis aureis, argenteis, campanisque conflatis, sacra pecunia decocta, aut in ararium redacta, sacerdotibus & monachis alicubi contrucidatis, virginibus Christo dicatis per sacrilegam libidinè turpissime, flagitiosissimeque contaminatis. S. S. S. ista verissima quæ dicis. At quam execrandum ac detestabile, ex illo argento in conviviiis luxuriosis usque ad ebrietatem & vomitum perpotari vinum, quo toties sacratissimus

Christi

Christi sanguis exceptus est? substernique co-  
 ctis quadrupedum, avium, pisciumque carnibus  
 illas patinas, quibus tam læpe cœlestis imma-  
 culatusque ille agnus recubuit? A. Verendum sā-  
 nē, ne istis templorum, monumētōrumque præ-  
 donibus contingat aliquādo, quod in libris Ma-  
 chabæorum Helidoro contigisse proditum est,  
 quē angeli duo Hierosolymitanum tēplum di-  
 ripientē, flagris sæuissimē & largissimē coope-  
 ruerunt. I. Memor sum, quo capite libri secundi  
 id scriptum sit. A. Interrogemus autē istos Dio-  
 nysios. Hymnos & psalmos dies noctesque cā-  
 tare, victimas incruentas immolare, homines  
 peccatorum noxis exsoluere, aqua salutis lauare  
 infantes & catechumenos, cōcionari, reliquās-  
 que Ecclesiasticas functiones obire, vbi cōmo-  
 dius fieri ista possunt, quā in sacris ædibus? Por-  
 rō si templum veluti aula est summi Regis, cur  
 eius aulici ministriq; sacerdotes sumptuose ex-  
 ornati non incedant, dum ei quasi in cœlo quo-  
 dam terrestri terrestres angeli inseruiūt, atq; in  
 eius negotiis occupantur? I. Cur vasa auro gra-  
 uia, gēmisque distincta nō sint? cur organa con-  
 cētūque musici non perstrepant? cur diebus fe-  
 stis tanquā Regis Reginaeque, Mariæ inquā vir-  
 ginis ac Dei matris, humanique generis depre-  
 catricis in conspectū collocutionemq; venturi,  
 cultum nitidiorem Catholici nō sumāt? cur nō  
 vestes, pecuniam, aurum, argentum, aliāque ad  
 templi vsus liberalissimē donent, quæ quidē il-  
 lis eorumque nepotibus honori sempiterno, &  
 apud Deum, qui ea prius ipsis dona uit, & cuius  
 est orbis terrę, & plenitudo eius, magno merito



sint? Cur demum pulcherrima ornatissimâq; sacella non condant, quibus & suam pietatem, & erga Deum diuôsque beneficâ voluntatem declarent? A. Domos quidam suas ædificant magno, Dei domum malè materiata ac ruinosam esse patienter sustinent. Cæterùm ipsi viderint: nos pueros doceamur, cum portas tēplorum prætereunt, quoniam Dei domus est, & ibi in sacrosancta Eucharistia Deus ipsemet habitat, cœlestiumq; cineres atque ossa ibidem asseruantur, vt caput reuerenter aperiant. Si per ea fortè transferint, aut si in ea sacrorum caussa intrauerint, versus Eucharistiam genua primùm flectant, eamq; breui quadam prece venerentur. Spatia in iis facere velut in porticibus, nemini prorsus concedamus. I. Sanè quidem hoc meis frequenter cantito.

---

### ANNOTATIONES.

**L**INGVIS CELEBRATAM ÆNEIDEM)  
*Ad commendationem huius operis ea omnia pertinent, quæ de Poëtæ laudibus dicta & scripta sunt ab Imperatoribus, Philosophis, Historicis, Poëtis, Grammaticis, doctissimisque viris. Ego in præses de Maronis præstantia ex Scaligeri Catullianis manibus perquam festinum carmen adscribam.*

Dulcis Virgilius, Latina Siren,  
 Duplex Mæonides, triplex Apollo,  
 Vnus omnia, quæ ambiunt Poëtæ.  
 Ocygne, ô philomela, ver Latinum,  
 Mel merum Latij, Latinæ Athenæ.  
 O monstrum vitio carens. Quid ergo?  
 O cælum sine nube, lux serena.  
 O pontum sine fluctibus profundum.

Men'

Men' tecum trahis incitamque mentem?

Ignoto attonitum rapis furore?

O si in te penitus migro, meique

Tuis, nescius, inferor medullis:

Cur abs te doleam me abesse tantum,

Quantum frustra alij propè esse credant?

*Addamus & hoc Matthæi Toscani haud inuenustum  
& ingeniosum tetrastichon.*

Virgilium cœlo Phœbus demisit, vt estet

Mœoniam posset qui superare tubam.

Se vinci vt sensit, tunc æmulus ipse canorum

Ante diem stygio merfit in amne caput.

**DIONYSIOS ISTOS**) De sacrilegiis Dionysij huius, quem heretici studiosè imitantur, cum similibus faceret diælis, & in cuius imagine ipsi quodammodo cernuntur, hæc sunt apud Cic. lib. 3. de nat. deor. Cum sanum Proserpina Locris expilauisset, nauigabat Syracusis: isq; cum secundissime cursum teneret; Videtisne, inquit, amici, quam bona à diis immortalibus nauigatio sacrilegis detur? Et paucis interiectis. Qui cū ad Peloponnesum classem appulisset, & in sanum venisset Iouis Olympij, aureum ei detraxit amiculum, grandi pōdere, quo Iouem ornarat ex manubiis Carthaginensium tyrannus Gelo. Atq; in eo etiam cauillatus est, estate graue esse aureum amiculum, hyeme frigidum: ei que lancū pallium iniicit, cum id esse aptum ad omne anni tempus diceret. Idemque Æsculapij Epidauri barbam auream demi iussit. Neque enim conuenire, barbatum esse filium, cum in omnibus sanis pater imberbis esset. Iam mensas argenteas de omnibus delubris iussit auferri: in quibus quod more veteris Græcia inscriptum esset, Bonorum Deorum, uti se eorum bonitate velle dicebat. Idem victoriolas aureas, & pateras, coronasque, que simulacrorum porrectis manibus sustinebantur, sine dubitatione tollebat: eaque se accipere, non auferre, dicebat.

Esse

*Esse enim stultitiam, à quibus bona precaremur, ab iis porrigentibus & dātibz nolle sumere. Ecquid tibi praeluisse nostris sacrilegis videtur Dionysius? De illa inscriptione, Bonorum Deorum, lege qua scripsit Victor. lib. 1. cap. 1. Et de hoc sacrilego eadem Arnobius lib. 5. & Elian. lib. 1. cap. 20.*

## PROGYMNASMA

NONAGESIMVMNONVM.

*Indulgentia, bona opera, Christi Vicarius,  
cultus & imploratio Sanctorum, &  
alia demum.*

CATECHISTES, CATECHVMENVS.

CATECHISTES. Respōdebis mihi interroganti de nōnullis capitibus fidei Catholicae, vt quantum tu me audiendo profeceris, & quid hāreticis in te inuadentibus dicturus cōtra sis, intelligere queam. CATECHVM. Quacūq; vis: nam ad interrogata me haud imparatū fore confido. CATECH. Quid vocamus Purgatorium? CATECHVM. Locum & regionem apud inferos, in quo elapsi è corporibus humanis piorum animi, antequam in beatorum sedes transferantur, salutarium flammatarum ignibus lustrantur, & quasi perpoliuntur. Ex diuinis siquidem Scripturis cognouimus, supplicium peccatis ad tempus constitutum nō simul cum reatu condonari. Cum autem nihil inquinatum cœlos ingredi possit, oportet huiuscemodi labes, si in hac vita pœnis voluntariis, aut alia ratione dele

deletæ & elutæ non fuerint, post obitum in Purgatorio deleri. Atque hinc, indulgentiarum siue cōdonationum vsus existit. CATECH. Etiã in mortuos indulgentiæ conferuntur? CATECHVM. Quid ni? CATECH. Quis est ille Ecclesiæ thesaurus, quem se aperire dicit Pont. Max. cū est indulgentias largiturus? CATECHVM. Meritorum seu perpeffionum Christi, & Sãctorum; thesaurus infinitarum opum, quæ nunquam exhaurientur. CATECH. Cur heretici tam atrociter oppugnant editis libris indulgentias? CATECHVM. Nō intelligunt earum rationem, vt alia Ecclesiæ mysteria, ideo blasphemant. Est enim verè consentaneum diuinæ clementiæ, pati eum qui soluendo non est, sibi per alium satisfacere. Est etiam iustitiæ, cū quod debetur, hoc vsque ad extremum quadrantem exigitur, tametsi à debitore non soluatur. CATECH. Cū Christus patri pro nobis omnia persoluerit, quid bona opera? quorsum attinet nos vexare corpora & animos rebus tam iniucundis & asperis? CATECHVM. Non ideo necessaria sunt ad salutem, quia pretium quod ille persoluit non sit iustum satis, cum pro mille mundorum peccatis fuerit plus satis magnum atque nimium etiam futurum; sed quia ipse Christus nihilominus requirit à nobis, vt suæ voluntati obtemperemus, si liberationis huius participes cupiamus esse. In carcere tetro & horrido clausi sunt trecenti homines, Princeps aut Rex aliquis pro omnibus liberandis numerat viginti aureorum millia: quantum videlicet non petebatur. Num idcirco in huius liberalissimi liberatoris

ratoris potestate non erit captiuus præscribere quid agât, si de carcere exire velint? potest nihil iubere. Sed si iusserit, nõ erit iniquus. Et profectò non tantũ credẽtibus, sed agentibus quoq; vltimo illo die dicturus est: Esuriui & dedistis mihi manducare, & quæ sequuntur. **CATECH.** Cum Ecclesiæ caput sit Christus, quid nos Pontificem Romanum eiusdem caput facimus? **CATECHVM.** Primum, præcipuum & antiquissimum caput est Christus: fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est Iesus Christus. Verum enim vero, cum eius corpus, quod est Ecclesia, sit aspectabile, cur non item caput habeat, quod videri audiri que possit? Et cur sub Christo capite aliud caput non sit? An quia Rex vnus est, & omnium Dominus, ideo alij magistratus sibi subseruientes non erunt? Petrus caput fuit: sed illo humanis rebus exempto, num cœlum claudi & aperi-ri desiit? **CATECH.** Cum scriptum sit: Dominũ Deum tuum adorabis, & illi soli seruias, cur nos adoramus cœlites, eis que seruimus? **CATECHVM.** Adoratio aliquando communem quãdam venerationem siue cultum significat, vt honorem exhibere caput aperiendo, genua incuruando, in terram se prosternendo, similibusue modis, quomodo adoramus Præceptores, Parentes, Reges, Principes: & in Scriptura sancta Abraham filios Heth, Iacob Esau fratrem suum, alij alios adorauerunt. Hac ratione nos adorare Sanctos consueuimus. Altera adoratio *λατρεία* vocatur, eaque multò plus continet: cum videlicet quispiam communibus illis quæ diximus

ximus non contentus, plenè perfectèque se  
 Deo summittit, intellectu eius magnitudinem  
 præstantiamque cognoscens, omnium ipsum  
 auctorem confitens, voluntate se totum ipsi  
 subiiciens, omnia in eum velut supremum fi-  
 nem referens. Seruimus autem Deo sic, vt om-  
 ni ex parte ei subiecti simus, sentientes ex ani-  
 mo idem quod Apostolus: Siue enim viuimus,  
 siue morimur, Domini sumus. CATECH. Sed cur  
 ab ipsis opem petimus? CATECHVM. Tanquã  
 ab amicis Dei, & à fratribus nostris, qui nõ mi-  
 nus curãt res nostras, quã cum nobiscum ver-  
 sarentur. Immò magis iam sunt de nobis solli-  
 citi, quoniam eorum status atque dignitas cõ-  
 munem erga nos amorem auget. Nec verò dici-  
 mus, S. Paule miserere nobis, sed ora pro nobis.  
 Quamuis & illud similiãq; liceret dicere, hoc  
 sensu, miserere nostri, vt Deum nobis tuis preci-  
 bus placatũ reddas. CATECH. Quis aquæ, ce-  
 reorum, herbarum, aliarumque rerum benedi-  
 ctiones instituit? CATECHVM. Apostoli illarũ  
 preceationum consecrationumque primi aucto-  
 res sunt, vt diaboli potestas, quæ res creatas sæ-  
 pe inficit & corrumpit inde pellatur, & per il-  
 las ab aliis seu locis, seu hominibus rebúsque  
 cæteris excludatur. CATECH. Qui sunt effe-  
 ctus aquæ lustralis? CATECHVM. Multi sanè  
 atque varij. Dæmones fugantur, peccata leuio-  
 ra eius aspersione remittuntur, cogitationes  
 improbæ, imagines à diabolo in animis excitate  
 euanescent, mens à rebus perituris auocatur, ad  
 preces castè faciendas comparatur, sancti Spi-  
 ritus fauor impetratur. CATECH. Cur accen-  
 duntur cerei, & primũ quidẽ ante ædiculã in

qua Eucharistia seruatur? CATECHVM. Quod  
 Christus est lux mundi: & quomodo cereus è ce-  
 ra, quam apes Veneris omnis expertes bestiolæ  
 fecerunt, lychno & igne constat, sic Christus è  
 corpore, quod ex virginis Mariæ sanguinibus  
 concretum est, anima & diuinitate tanquam ly-  
 chno & igne constat. CATECH. Cur ante ima-  
 gines & reliquias Sanctorum? CATECHVM. Vt  
 significemuseos splendoribus virtutum & san-  
 ctitatis orbè illustrasse, de diabolo triumphum  
 egisse (nam triumphantes cum facibus dedu-  
 cere mos erat) & in cœlis clarissima ac sempiterna  
 luce circumfundi. CATECH. Cur adlectionem  
 Euangelij? CATECHVM. Quoniã illud gentibus  
 humanis quasi lumen fuit ad cognoscendum  
 Deum. CATECH. Cur in supplicationibus lumina  
 præferuntur cum crucibus? CATECHVM. Vt nouerim<sup>9</sup>  
 in hac militia Christiana sub vexillo crucis fidei  
 lumen adhibendum, & secundum eam viuendum.  
 CATECH. Cur in funetibus? CATECHVM. Docemus  
 mortuos tanquam inuictos milites triumphasse  
 de hostibus, nosque ipsis perpetuam optare lucem.  
 CATECH. Quas utilitates præbet crucis forma?  
 CATECHVM. Est Christianorum oratio, qua cum  
 se signant, Deum precantur, vti suum ipsis  
 auxilium præstare in omnibus actionibus velit.  
 Est oblatio qua nos & nostra omnia Deo offerimus.  
 Valet item ad frangendos impetus dæmonis.  
 Excitatur hoc signo spes nostra & fiducia in  
 Deum de obtinenda peccatorum remissione  
 aliisque bonis: charitas etiã erga Christum,  
 qui pro nobis in cruce vitam reliquit, &  
 eius

eius imitandi desiderium. CATECH. Quis auctor fuit religiosarum & votiuarum peregrinationū ad reliquias & sepulchra Sanctorum? CATECHVM. Deus, qui nunc ibi, nunc alibi, nunc isto, nunc illo loco ad monumenta cineresque beatorum, seu ad templa eorum magna & insolita opera edidit, & hominibus dona varia eximiaque impertiuit. Vnde pij commoti sunt ad eiusmodi locos religiosè visendos, ibique à Deo gratias pro innumeris in genus humanum beneficiis agendas, & ad opem impetrandam, qualem cæteris ibi præstitam accepissent. CATECH. In promptu te habere quod respondeas animaduerto, si rogeris vel in singulis, quæ Institutionibus primis Catholicæ fidei continentur. CATECHVM. Operam quidem dedi vt haberem.

## ANNOTATIONES.

**E**X tanto numero rerum ab hæreticis in controuersiam vocatarum paucissimas selegimus, quas pinguiore Minerva & breuiter explicaremus, eo consilio, vt aliquid electorum verborum, locutionumque nitidorum inuenturi in hoc genere suppeditemus. Optamus tamen multo magis eam res tenere ipsas quibuscunque tandem modis loquendi efferant, quam illis ignoratis nosse quo pacto vel Latinissimè vnamquamque declarent. Non enim sunt res propter verba, sed verba propter res excogitata. Nec ideo parum quis Christianus erit, si barbarè loquatur: at parum ceriè Christianus sit oportet, qui Catechismum, hoc est, præcipua religionis Christianæ capita non didicerit. Nec verò nobis quidquam ignominiosius potest accidere, quam cum aduer-



sarij in sua perfidia & impietate tuenda tam sint prom-  
pti atque disertj, nos balbutiamus, ac penè obmutesca-  
mus in congressibus, & disputationibus improuiso inter-  
dum existentibus. Sed hæc parentibus & Magistris  
relinquamus.

---

PROGYMNASMA  
CENTESIMVM.

*Veneratio, & laudes Dei matris.*

MELCHIOR, FRANCISCVS, BARTHOLO-  
MÆVS, GASPÆR.

**M**ELCHIOR. Mariæ virginis patronæ ac  
dominæ nostræ immò enimvero totius  
humani generis aduocatæ dignitatem prædice-  
mus nos, qui in eius tutela sumus, & Sodalitati  
nomen dedimus. F. Num sanctis Patribus hæc in  
re disertiores sumus? quorum pleni sunt libri  
Mariæ prædicationibus. Et cum multa sæpe le-  
gerim, quæ ad eam commendandam pertinerent,  
nunc vnius tantum loci mentionem faciam, qui  
est apud D. Ambrosiũ, & hoc modo quasi meam  
symbolã ad hanc cœnam contulero. M. Accipie-  
mus libenter quod dabis. F. *Quid nobilius, inquit,  
Dei matre? quid splendidius ea, quam splendor elegit?  
quid castius ea, quæ corpus sine corporis contagione ge-  
nerauit?* B. Quoniam vnica sententia, eaque alie-  
na contentus es, peto abs te, Melchior, vt ean-  
dem mihi facultatem aliena recitandi cõcedas,  
quibus ego profectò meliora inuenire nequeo:  
& existimo Virgini gratum accidere, si vel non  
nostris verbis dictisq; , nostro tamè ex affectu &  
pietate

pietate concelebretur. Nam sic quoque eius filium quotidie laudamus, dum in precibus sanctorum hominum psalmos, hymnos & postulata quasi nostra ipsorum propria proferimus. M. Affer quam lubet, & vnde lubet, promptè ascultamus. B. *Quid nos tantilli, ait Hieronymus, in eius laudibus referamus, cum etiamsi omnium nostrum membra verterentur in linguas, eam laudare sufficeret nullus. Altior enim cælo est, de qua loqui nitimur: abyssoprofundior, cui laudes dicere conamur.* G. Pauca quidem, sed nihil potuit *ἑρεγγυτικώτερον*. Et si verò aliud statueram, tamen ne à vestigiis horum duorum discedam, adducam ego ad eundem modum, quod apud Chrysostomum legisse me recordor. M. Hoc prius, posterius quæ statueras dicere, dices omnino: nam te alioqui non dimitemus. G. Atqui à vobis par officium requiram. F. De nobis pone curam, nihil promissimus: si quid dederimus, vltro dederimus. G. Spero nullum vestrum fore mutum. Ergo Chrysostomi verba hæc sunt. *Magnū reuera miraculum fuit beata semper virgo Maria. Quidnā illa maius aut illustrius vllō unquam tempore inuentū est, seu aliquando inueniri poterit? Hæc sola cælum & terram amplitudine superauit. Quidnam illa sanctius? non Prophetae, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphin, non Cherubin, nō denique aliud quidpiā inter creatas res visibiles, aut inuisibiles maius aut excellentius inueniri potest.* Et nōnullis interiectis, audite quomodo eā veneretur, quomodo salutet, quomodo roget. *Aue igitur mater, cælū, puella, virgo, thronus, Ecclesia nostra decus, gloria & firmamentum. Assiduò pro nobis*

*precare Iesum Filium tuum, & Dominum nostrum, ut per te misericordiam inuenire in die iudicij, & qua reposita sunt iis, qui diligunt Deum bona consequi possimus.* M. Os aureum, verba aurea. Quia porro vobis ita visum est, ordiri colloquiū hoc à grauissimorum sanctissimorumq; Patrū vocibus, patiemini me quoque, quamuis huius sermonis ducem aliquid è Cyrillo Alexandrino Episcopo libare. F. Si vel totam homiliam adducas, nō graue nobis acciderit auscultare. M. Non longū faciam, vt Gasparem audire quamprimum possim. G. Sic dicam, vt tibi maiores dicendi partes relinquam. B. Quomocunque ré partiti fueritis, & siue tu Gaspar, siue tu Melchior plura differueris, ego & Fraciscus hunc totum diem in audiendo libenter ponemus. Sed quæ est illa gnome? M. Die quodā ipsi festo, cū ad populū concionaretur: *Laus & gloria sit tibi sãcta Trinitas, quod omnes nos ad hanc celebritatem conuocaris. Sit etiã tibi sãcta Dei mater laus: tu enim es pretiosa margarita orbis terrarū, tu lucerna inextincti luminis, corona virginitatis, sceptrum orthodoxæ fidei, templū indissolubile, continens eum, qui nusquam contineri potest, mater & virgo. Tu benedicta inter mulieres, eius parēs, qui venit in nomine Domini.* G. Præclarè Cyrillus, & magnificè vt cæteri. M. Dic tu iã Gaspar quæ cogitaras. G. Extra dolum, partem orationis meæ, quam ad studiosos adolescentes dixi de Deipara, ab hinc trienniū volebã ex memoria dicere. Etenim quia non longa, necdum oblitus sum. F. Age. G. Laudabam Annam & Simeonē, de quibus D. Lucas, eos cū portaretur in tēplum Iesus infantulus, occurrisse. Quos item credibile, ambos eundem non

non aspexisse modo, sed complexos etiam, & osculatos esse. Dehinc addebam hæc. Beatos oculos pronuntiare non dubito, qui rem tantam, & omnibus inauditam sæculis cõtemplati sunt. Beatas manus quæ tractauerunt, beata labia, quæ illam pulcherrimam, suauissimam ac cœlestem faciẽ osculata sunt. Beatas aures, quæ postmodum loquentem in corpore diuinam sapientiam audierunt. Hæc cum ita sint, quanto scelliciore ac beatiorem ipsam Dei nostri genitricem statuemus, quæ non semel duntaxat aspexit hoc ingens cœli terræque miraculum, sed quàm sæpissime, non tantum contrectauit, verum etiam educauit, nec educauit modò, sed etiam de suo purissimo sanguine formatum vtero gestauit, gremio confouit, vlnis circumtulit. O rem admiratione omni superiorem. Quem cœlorum immensa capacitas, terrarum ingens amplitudo, mundus vniuersus non capit, eum puellaris veteri angustia totum cœperunt. B. Disertus orator fuisti quantum apparet. G. Quis potest obsecro esse indisertus cum de hac Virgine loquendum est? cuius paruo lacte pastus est, per quem nec ales esurit, vt canit Sedulius. Lacta ô beata puella, lacta eum quem cum Deo patre communem habes filium. Nec totus de illo, nec totus de te est: quãtus quantus tamen est, totus Dei est, totus tuus est. Tibi salutis nostræ pretiũ est creditum. In manibus tuis est libertas, via, salus nostra. In sinu tuo, inter vbera tua commoratur agnus sine macula, quem pro nobis immolari oportebit. Te velut arborem fertilissimam cum summa animorum iucunditate aspiciamus, velut

irriguum atque amœnum, & omni florum diuer-  
 sitate confutum hortulum intuemur, velut lim-  
 pidissimum fontem contēplamur. Fructum pro-  
 tulisti, quem qui comederit, non morietur. Sum-  
 misisti florem, cuius odor venenatas fugat be-  
 stias. Fudisti aquam, quam qui biberit, nunquam  
 sitiet. F. Tua facundia rumpit meum silentium.  
 In quo ordine collocabimus hęc Deiparentem?  
 cum coniugibus? incorrupta est. Cum virgini-  
 bus? mater est. Cum viduis? virum habet. Cum  
 hominibus vniuersis? nobilior, sanctior, excel-  
 sior est omnibus. Cum angelis? hos ipsos purita-  
 te vincit, dignitate antecellit. B. Nec ego tace-  
 bo. Sedet ad dexteram filij mater in cœlis, vt Sa-  
 lomonis illa in terris. Hanc spirituum beato-  
 rum myriades, vt conditoris sui parentem laudi-  
 bus eximie venerantur. Quā porriguntur spatia  
 orbis Christiani, carmina illi perpetuò concin-  
 untur, honoresque maximi tribuuntur. Et qui-  
 dem merito, quando nunquam fuit, nunquam  
 erit, cui secundum Deum plus debeamus. Per il-  
 lam (vt complectar vno verbo) durissimæ serui-  
 tutis iugum à ceruicibus nostris depulsum, &  
 interclusus in cœlum aditus nobis est apertus.  
 Eva vulneravit, Maria sanauit. Illa mortem in-  
 uexit, ista vitam apportauit. G. Noli à nobis po-  
 stulare plura Melchior, cum possis vnus dislere-  
 re in noctem si velis, de hoc argumento, in quo  
 te scimus & sæpe versatum, & versari quàm cu-  
 pidissime. M. Si quid præsto, aut præstaturus  
 sum, quod Mariæ non displiceat, & lectores at-  
 que auditores meos nullo tædio afficiat, & gau-  
 deo mihi, & gratulor illis. Epicurus cum do-  
 cuisset

cuiſſet deos neque bene meritis capi, neque gratia flecti, neque irasce, neque res mortalium curare, nihil denique neque habere ipſos negotij, neque aliis exhibere, propter præſtantem nihilominus eorum excellentemque naturam venerandos ab hominibus, & colendos iudicauit: habet enim venerationem iuſtam, quidquid excellit, vt inquit M. Tullius. Quid iam ſecundum Deum inter res omnes ab eo conditas nobilius, quid præſtantius hac virgine animo concipi poteſt? quomodo ſol iſte vniuerſum orbem fulgore ſuo illuſtrat: ſuæque lucis aſpectu mortales mirificè exhilarat: ſic mulier hæc amiſta ſole, & veriſſimi ſolis mater orbi Chriſtiano diè ac lucem gratiſſimam infert. Atque vt in iſtum, qui ſupra nos voluitur globum, ſine offenſione aciei oculos intendere nequimus: ita neque in hunc cœleſtem diuinumque ſolem animi obtutum penitus deſigere, ob incredibilem ſuæ lucis immenſamque claritatem. Hæc eſt illud lignū vite, fructum afferens immortalitatis. Hæc domus, quam ſibi exciſis ſeptem columnis ſapientia ædificauit. Hæc tabernaculum Dei cum hominibus. Hæc ſtella matutina in medio nebulae refulgens, liliū in medio ſpinarum, oliua ſpeciola in campis, cinnamomum & baſamum fragantiſſimum. Illa tanquam vitis fructificauit ſuauiſſimam odoris, & flores eius fructus honoris & honeſtatis, cuius memoria in generationem ſæculorum. Hæc omnia, & longè plura, quæ omittere cogor in præſentia, nonne perſpicua illius excellentiæ ſunt argumenta? B. Sunt verò maximè perſpicua. M. Iuſtè igitur illam ſuſpici-

mus, & cum pietate colimus. Sed ob hoc etiam multò iustius, cum tot eiuſtámq; magna & ſingularia in genus humanum extent promerita. Verè illa ciuitas refugij, & clypeus omnium in ſe ſperantium dicitur. Clamant vrbes, clamant prouinciæ, clamat omnis ordo, omnis atas, clamât omnes penè anguli orbis terrarum, & Mariæ pietatem, clementiam, beneficentiam extollunt. Quot miſeri, & incommoda fortuna uſi, per eam ſolatum, quot morbidi ſanitatem, quot periclitantes ſalutem, quot ſcelerati ueti ueniam, quot mortui vitam inuenerunt? Mira huius ſanctiſſimæ parentis in homines benignitas, inexplicabilis amor. Et quãuis ipſa gaudiis innumeris circumfluat, atque cum filio ſœliciffimè regnet, noſtri tamen ueluti bona mater liberorum nunquam poteſt obliuiſci. Quo enim pacto ceſſet eſſe miſericors, quæ miſericordiam ipſam peperit? aut quî poſſit non amare, quos tantoperè amauit filius, ut eorum liberandorum cauſſa diriffimis cruciatibus excarnificandum ſeſe occidendúmque obiiceret? Quoties inter Deum atque nos ipſa ſeſe interpoſuit, & irato ſuis precibus quaſi telum de manibus extorſit? quoties bellum, incendia, cædes, direptiones, peſtilentias, annonæ difficultates, & ſimilia mala impendentia nobis filium deprecata auertit? quoties pacem, rerúmque omnium copiam impetrauit? Iure populus Catholicus eam vitam, dulcedinem & ſpem ſuam ſalutat. Iure ſe ipſi eiufque fidei committit. Iure eius opem & auxilium quibuſcunque preſſus incõmodis implorat, & quantis maximis poteſt honori

noribus eam prosequitur. Quam nos vti hactenus, pro sacrosancta consuetudine, ac legibus Sodalitatis nostræ quàm castissimè, ac præcipuo quodam cultu veneremur, hæreticorumq; maledicta, quibus eâ lacerant, nec flocci faciamus. F. Si in filium tantis debacchantur contumeliis, quomodo tandem parceret matri? Sinamus eos implere numerum perfectæ insanix, vt Lactantius de Leucippo venustè scripsit.

ANNOTATIONES.

**Q**uoniam Dei matrem aliquatenus ex S. Patribus laudauimus, & de penu nostra etiam aliqua ad eandem amplius predicandam contulimus, par videbatur, vt item è Poëtis aliquid ad eius predicationem decerperemus: nam illi quoque suum ipsi Helicônem, suasque Musas, sua plectra, lyras & barbita seruire voluerunt. Veruntamen quoniam liber aliôqui penè nimiam est adeptus magnitudinem, & quia ipsa me copia inopem facit, nihil adiungam. Existimaui autem faciendum, vt cum omnis hic labor noster ad Dei gloriam propagandam ab initio susceptus sit, eius quoque celebratam memoriam, per quam maximè semper Dei gloria creuit illustratâque fuit. Id autem hoc altero volumine, & quidem in extremo quam opportunissime fieri posse visum est. Sed tamen quid obstat, cur non de primis exercitationibus meis Poëticis aliquid ad Dei param celebrandam attexam, & hoc pio lectori gratificer? *ὄμωδ' ἄσ' αὐτ' εἰ* igitur librum claudamus.





## HYNMVS IN MARIAM VIRGINEM.

**M**agna decus puerperae  
 Gentes per orbem pangites.  
 Dei parentem virginem  
 Tellus & astra pradicent.  
 Coelestis haec est plantula,  
 Sabaea vincens germina.  
 Haec est pudoris liliū,  
 Mater salutis omnium.  
 Quam luna fulget pulchrius,  
 Stellis micat formosius.  
 Huic ipsa concedit suis  
 Phœbea lampas ignibus.  
 Qui fecit vnus omnia,  
 Terras, fretū quo & sidera,  
 Quem nulla capacitas capit,  
 Vtiro puella captus est.  
 O ter beata, ò millies,  
 O numini gratissima.  
 Qua lingua te mortalium  
 Quantum mereris efferat?  
 Idem tibi sponsus, Deus:  
 Genitor & idem, & Filius:  
 Fouetur amplexu tuo  
 Qui cuncta rerum sustinet.

*Vetus quod Eua perdidit  
Tu rettulisti gaudium.  
Aures benignas supplici  
Tu fida semper commodas.  
Dissolue nostra vincula,  
Hostesque sauos dissipa.  
Aeternitatis gloriam  
Puis roga clientibus.  
Per te bonus nos audiat  
Mundi supremus arbiter,  
Nostris super cernicibus  
Ne stringat enssem feruidus.*

*FINIS.*





Quod hoc R. P. IACOBI PONTANI Progymnasmatum Latinitatis siue Dialogorum volumē secundum Christianæ iuuentuti cū moribus, tum etiam optimis disciplinis formandæ accommodatissimum sit, luce & publicatione dignissimum esse iudicaui.

PETRVS STEVARTIVS LEODIVS, Professor Theol. & Colleg. Theol.  
hoc tempore Decani Vicarius, &c.

*LVGDVN I,*

Excudebat Stephanus Seruain.

M. D. XCII.

